

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis
conceptibus moralibus illustratum**

Venegas, Luis

Friburgi Brisgoiae, 1624

[urn:nbn:de:bsz:31-160454](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160454)



n^o 68. A 2544 R

68-

Sem. Cler. Episc. Mon.

J^o. 36.

Kollqui 22. XI 1962

s. 130

187

232

} falsch pag

Wurmstichig (ohne Textverl.)
stark gebräunt

CLB 74

68

Handwritten scribble

Servio Canonicis
Collegiata Ecclesia
Sanctissima Trinitatis
ad fontem Salientem.

**R. P. M A G I S T R I
FR. LVDOVICI VENEGAS**

HISPALENSIS ORDINIS PRAEDI-
catorum SS. Theologiae Doctoris, Re-
gentis, & primarij Professoris.

Summ. 4. 26. Episcopus Meßsteden
**MARIALE BEATISSIMAE VIR-
GINIS VARIIS CONCEPTIBVS MO-
RALIBVS ILLVSTRATVM.**



Cum gratia & Privilegio Sacrae Caesareae Maiestatis.

FRIBVRI BRISGOLAE,

Excudebat **PAVLVS D ũ S E L.**

ANNO M D C E X I V.

1624



AK

R. M. A. M. S.
FR. LAUDOVICUS

INSPALENSIS ORDINIS PRAEDI-

CAEPTI 22. Theol.

Handwritten scribbles

GENIS PARS CONCERNENS

68 A 2544 R



Handwritten: J. v. Me v. 1711

Faint mirrored text from the reverse side of the page



ILLVSTRISSIMO ET EXCEL-
lentissimo Principi Domino Dno.

CAROLO ALEX-
ANDRO DVCI A CROY,
MARCHIONI HAVRAEO,
DEI GRATIA SACRI AC ROMANI
Imperij Principi, Fistingæ Hæroy libero, Comiti

Fontenoy, Vicecomiti Hanachæo, Dommartinij Baroni,
Domino Bayonæ, Hiocourtij, Ogiouillæ &c. Aurei Velleris
Equiti, Serenissimæ Majestatis Catholicæ à
consiliis militiæ. &c.



Xorsus hanc de Deipara subtilem planè que diffi-
lem materiam, Princeps Illustrissime, cum tam fra-
ctas & debilitatas assiduis studiorum laboribus in-
genij mei vires, quàm obiecti, in quo illustrando
mihi studendum erat, considerarem maiestatem
ac excellentiam, hæere mox & subsistere pauli-
per inter ipsa initia capi. Nec mirandum hominem mortalem in
tantæ virginis contemplatione & intuitu stupore quodam circum-
fundi ac attonitum hæsitare; cum id ipsum supremis cælorum spi-
ritibus contigisse sacrarum testentur monumenta litterarum. Nam
Exodi. 21. duo illi Cherubim ex auro puriss. confecti, conspicien-
tes propitiatorium, & attentè illud contemplantes, præ tanti operis
admiratione expandentes alas & operientes oraculum, hærebant;
vt eloquentissimus Græcus Andreas Cretensis in oratione de As-
(:) 2 sumpti-

EPISTOLA

sumptione Deiparæ explanat; Mariam enim sacratissimam com-
 mune totius vniuersi propitiatorium appellat: Quia in ea miseri-
 cordia Dei & remissio peccatorum, sicut in antiquo illo propitia-
 torio, tanquam in arca quadam deposita sunt. Si ergo in considera-
 tione huius virginis subsistunt ac hærent Cherubim, quis ego
 sum, vt augustissimorum elogiorum Deiparæ dignas aureolas
 contexere, aut amænos tam admirandæ fertilitatis campos irri-
 gare audeam? Verum, licet tanta sit huius virginis excellentia &
 præstantia, vt pro dignitate ab humana lingua nequeat explicari,
 ne tamen tam sublimi argumento iam impositam manum retra-
 herem, & orationis nostræ telam abrumperem, affectus & volun-
 tas impulit erga Deiparam, quæ nihil abiectum & vulgare, sed ma-
 gnum quoddam & eximium, quod in posteritatis fructû redunda-
 ret, iam pridem certè parturiebat. Quod tandem eadem virgi-
 ne sanctissima assistente & opitulante ad finem foeliciter per-
 ductum, cum iam iam in lucem emittere cogitarem, rursus a-
 lia, de Mecœnate scilicet & Patrono, cuius clypeo munitum, ne li-
 uidus obtrectatoris dens hæreticâ rabie, ad conuicia tantum arma-
 tus & calumnias, temerario ausu, & forsitan blasphemio illud con-
 scinderet, securissimè ad manus omnium possit deuenire, moueba-
 tur quæstio; quæ quidem diutiùs animum suspendisset, nisi tu
 Princeps Illustrissime, eius nodum iam pridem dissoluisses. Vide-
 bam enim magna huic mei primo ingenij partui subeunda pericu-
 la, magnis eum obijciendum hostibus; cui, nè tot tantisque infi-
 dijs circumseptus, succumberet, te magnum patronum, defenso-
 remque magnum, Princeps Illustrissime, constitui ac elegi, vt
 tuâ potentiâ, præstantiâ, fauore, clementiâq; protectum, in tutissi-
 mo quodam portu collocarem, & immortalitate quadam muni-
 tû, firmiter consignarem. Quem eni inrectiùs aut iustiùs, quàm te
 Princeps Ill. me in protectorem eligerem magnum? Magnus es, infi-
 ciaris? Carolus es, Alexander es, qui magnus esse nequis? Isti terra-
 rum olim Domini propter gestorum magnitudinem cognomen-
 to ma-

DEDICATORIA

te magni sunt appellati, Tu, qui cum Caroli & Alexandri nomi-
 ne magnam & ingentem animi fortitudinem, gestorumquè excel-
 lentiam coniungis, cur magnus renuis vocitari? Commodè sanè
 Carolus, Alexander, & vtroque titulo magnus huic meo operi
 euenit patronus: siquidē vel solo nomine exaudito huius sanctiss.
 Virginis hostes, & obtrectatores maleuoli in fugam conuertentur,
 ac profligabuntur. Norunt namq; magnitudinem animi tui, Prin-
 ceps Ill. me. quā paucis ab hinc annis validam equitum turmam
 proprio neruo ducens, sine dubio sanctę Religionis Zelo, & sa-
 cratissimę virginis amore succensus, cuius tunc nomen extin-
 ctum iacebat, ad illud restaurandum, non ferrum, non ignem, non
 mortem perhorrescens, in Bohemiã profectus es; ibi quot, quan-
 tasquē strages edideris, ipsi satis indicant hostes, iamquē omnibus
 perspicuę sunt. Propter quod, & ob merita tua singularia, virtutes,
 actionesquē eximias, & spectatum in bello inuictumque generosi
 tui pectoris robur, potentissimus Hispaniarum & Indiarum Rex
 Philippus IV, magnā cum subiectarum prouinciarum congratula-
 tione & applausu, magnifico aurei velleris titulo, velut Iasonem aut
 Gedeonem aliquem, ritu & exremoniã vſitatã nuperrimè insigni-
 tum, in societatem adsciuit Illustrissimorum Equitum, in te enim
 videbat elucere clarissimis inditiis raram in civili & militari ad-
 ministracione prudentiam, in consiliis altitudinem incredibilem;
 quę sanè Magno Monarchę causam præbuit, vt te vnicum inter tot
 magnates & Principes caput excellentissimę domus Croyacę, quę
 à multis annis hoc summi honoris gradu potita erat, designãrit,
 quę domus præclarissima, cū antea hac dignitate ex titulo Du-
 catus Ariscotani frueretur, modò nouiter tibi restituta est, & titu-
 lis tui Marchionatus Hauræi annexa. Hęc sunt tuarum virtutum &
 animi generosi præmia. Hinc te etiam Serenissimus Princeps Al-
 bertus Archidux Austrię ad maximas functiones & præfecturas e-
 uexit, ac splendidissimè condecorauit. Quid de serenissima Isa-
 bella totius Belgię Principissã proferam? Cū te tanquam vnum
(;) 3
ex pri-

EPISTOLA

ex primariis & sui palatii præcipuis Principibus lætis supercilijs
& hilari fronte conspiciat? Vnū planè in te admiror, Princeps Ill.^{mo}
quòd neque tui generis & nobilissimæ profapiz splendor fulgen-
tissimus, neque tua præclara facinora & supremæ dignitates, qui-
bus clarissimè fulges, neque deliciæ vllæ animi tui magnitudinem
virtute firmatam potuerint vnquam à recta viuendi ratione retra-
here, aut à sanctorū cultu auertere & reuocare. Quod quidē effica-
citer meum commouit animum, vt tibi hoc opus dedicarem, & tui
iuris facerem ab inscriptionis nota: Tua nempe religio & pietas,
quâ Diuos, Diuorumquè Reginam sincerissimè amplecteris, de-
fendis, patronam & aduocatam agnoscis. Quæ, vtinam præstet ti-
bi, vt prorogatione multorum annorum, defensorem ipsa te suum,
& cultorem acerrimum; ego verò te Principem habeam beneuo-
lum & clementem, cuius seruitio & obsequijs me totum deuouco.
Princeps Illustrissime in æternum viue, & vale. Friburgi Brisgoia,
Quinto Calendæ Iulij, ANNO MDC XXIV.

Excell.^a T.

Deuotissimus.

FR. LUDOVICVS VENEGAS.
SS. Theologia Magister. & Re-
gens ac Professor Primarius.

STVDI-



STVDIOSO AC PIO LE-
CTORI SALVTEM.

H Abeshic, Amice Lector, varias de vnica virgine varijs scri-
pturae sacrae, flosculis, Sanctorumque Patrum eloquijs re-
fertos sermones; ex quibus, si tibi fasciculum colligere,
atque intellectui tuo adiuuere studueris, suauissimum, &
admirabilem illum percipies odorem, quem Spiritus Sanctus in plurimis
scripturae sacrae locis, mystice hanc sacratissimam virginem introducen-
do, per ora prophetarum, aliorumque Sanctorum sparsit ac diffudit. Nec
dubito quin gratantissimis animo accepturus, auidaque mente lustraturus
hoc meum, quod misto, viridarium. Nam si lilia inter rosas in hortis terra
consita nares pascunt, oculosque delectant, quomodo & lilium inter spi-
nas ex caelesti illo horto non arridebis? Sed miraris forte, cur grauioribus
studijs implicatus, ad hoc scribendi genus me contulerim? Mirari desi-
nes, cum mentem intellexeris causamque cognoueris. Proposueram &
decreueram antehac auxiliante gratia Dei, aliqua Commentaria in
Sanctum Thomam, praeclearum totius orbis & ordinis praedicatorij or-
namentum, iuxta ordinem, quem ipse seruauit diuinum & plane Ange-
licum, in lucem emittere: verum ut res, quam breui executioni man-
dare, statui, felicem sortiretur effectum, hunc librum de laudibus virgi-
nis sacratissima, & de mysterijs, qua Deus mirabiliter per eam operatus
est, praemittere volui, eam, qua semper Praedicatoria familia singula-
ris extitit patrona, & a qua totus orbis vita salutisq; principium accepit,
mei insenti ductricem constituendo. Accipe ergo, benenole Lector, has me-
as lucubrationes, quas proprio labore & industria pepereris, & partim a do-
ctissimis nostrae familiae Patribus in celeberrimo monasterio Sancti
Pauli

Pauli Hispalensis, cuius filius natus sum, didici & accepit; lege, volue,
& reuolue, nihil in eis reperies, quod non in sacris letteris aut Sanctis Pa-
tribus fundamentum habeat; cum hoc tamen laboris mei addito, quod
illa, qua sparsim de hac SS. Virgine in eis habebantur, hic in unū con-
gesta facile cognoscere queas. Caterum, si quos errores deprehenderis, eos
piè emendare stude, labentemque Typographum excusatum habe. Vale
Datum Friburgi, in Conuentu Patrum Pradicatorum, quinto Cale-
das Iulij. Anno M DC XXIV.



IN



IN
PARTHENICAS HAS
CONCIONES, ET SELE-
CTISSIMAS DEIPARAE VIRGI-
nis Panægyres,

M. GEORGII NICOLASII

Elogium.



Vlla hic hostili narrantur mænia bello
Eruta, prostrateque acies : non punica fata,
Nec Troiæ cineres, nec operta cruoribus arua,
Linteaq; tabulæque, inhumataque membra recenti
Doctus & antiquo repetit nihil Author ab ævo,
Quod Martem, aut furias Bellonæ spiret : In armis

Quanquam procinctus totus stet mundus, habenas
Irarum laxante Deo, meritâque premente
Vindictâ mortale genus. Quin imò profanum hinc
Omne argumentum procul exulat: aurea dicat
Hic solùm & diuina liber præconia magnæ
MATRIS, in hunc Orbem quæ pacem prima, superno
Afflatu tota & cælesti semine prægnans,
Intulit, inque nouam reparauit sæcula stirpem,
Stirpitùs excisâ Satanæ radice, ô stupendam,
O admirandam virtutem Fæminæ ! Vbi orco

);(

Iam

Iam proscriptus erat cum posteritate, perennes
In p̄anas, nec spes vltra superesset Adamo,
Offensum ob Numen, quin cœli casus & horri
Deliciis, stygios moriens raperetur ad ignes
Ipse, suumque genus, scelus indelebile flammis
Perpetuis luiturus, adest hæc, ecce piandę
Fatalis noxę Mediatrix, cuius ab aluo,
Pneumate divino conceptus prodijt Infans,
Vnde salus homini perituro, & vita recepta est.

In cuius laudes, quia pleno flumine fertur
Impetus eloquij, & doctę facundia linguę,
Quã polles, REVERENDE PATER, quãue exerit aureo
Verborum ac rerum sese hic splendore, mereris
Acternas & tu laudes vtrique, hocquę labore
Victurum nomen, famamque parabis in ævum,
Atque coronam illic in cœlo, regia necet
Quam tibi VIRGO suo PRAECONI: Hęc ipsa salutis
Humanę Inuentrix, inquam, tua tempora cinget
Serto immortalis; nec te hic sudasse pigebit,
Quamquam indefessum studium, munusque docendi,
Qui magna cum laude præes fructuque, teneret
Obstrictum interea, cathedręque choriq; labores,
Qui vix respirare sinunt. Sed fortior ille,
Qui te mouit, erat, traxitque ad grandia cępta hæc,
Reginæ deuotus amor, reuerentia, cultus,
Maiestasque Deæ: Quid enim excellentius il a?

O te felicem, cui contigit ista voluntas
Sic exercendi ingenium, mentisque recessus
Scrutandi, suppressa diu in quibus ista latebant,
In lucem promenda semel, publicoque fruenda
Commodo, in Augustam congesta Encomia cœli,
Et terrę Dominam: Quę divulgata legentur
Iam passim te Authore, etiam manibusque terentur
Omnium, in affectum tracta, incrementaque amoris.

Quo

Quo magis atque magis lecta, atque relecta placebunt.
 Gratulor hanc fortem tibi iure, H I S P A N I A , tales
 Quę fecunda viros nutrias, qui lampadis instar
 Doctorum in cętu fulgent, quantumque vigore
 Corporis, ingenij tantum se robore tollunt
 Supra alios, summisque pari gradiuntur honore.
 Gaude stirpe tua, generosa ò Natio, & Orbi
 Perge faces similes accendere sæpius: Imò
 Da tales stellas nobis, quas præuia ducit
 Stella maris M A R I A , & solem, & quæ sydera vincit:
 Hęc tibi præfulsit, Clarissime D O C T O R , in isto
 Haud dubie conatu etiam, claramque lucernam
 Prætulit, accinxit dum se manus impigra primò
 Huic operi, viresque dedit, iuuitque laborem.
 Cui F V N D A T R I C I totus quoque militat ordo
 Vester, & vt Marri, vt Dominæ, electæque Patrone
 Conceptus offert numerata R O S A R I A votis.
 Sospes viue P A T E R , nomenquè loquentibus annis
 Consecra ita: in cælis tibi larga recondita merces.



).(2

EPI-


EPIGRAMMA IN OPERIS
AVTHOREM.

Nomen in Oebaliis ferro pinxisse columnis,
Aut Phrygia gelidis imposuisse petris.
Nubiger a collo ferientis & astra, ligasse
Pyramidis: siculo siue dedisse fabro.
Quid iuuat? aut tectis operoso marmore, & auro.
Purpureis, stolidâ supposuisse manu?
Marmorarumpuntur, furit ignis & ara liquecunt;
Scabraque rubigo ferrea tecta perit.
Inde iument rapido luctantes turbine fratres
Aeolidi, umbroso culmine saxa ruunt.
Hinc cadit & nomen, quod viuere stultus in omne
Credebat tempus, saxa Deos reputans.
Non tibi mens eadem, non sic tibi viuere quaris
Aeternum, agnoscens quæ peritura cadunt.
Hæc posuisse iuuat, pede quæ solidata perenni,
Quæque sciunt certo fixa manere loco.
Hæc monumenta iuuant, quæ non vorat imber edaci
Dente; nec horrifonus diruit aut Aquilo.
Sic tibi nomen erit (Pater ô venerande) perenne,
Pectora, non lapides, dum monumenta petis.
Et merito aternis linguis celebrabere, cuius
Virginis aterna, buccina lingua fuit.
Buccina lingua tua est, hostiles flamine mentes
Grandifono terrens, castra nefanda fugans.
Buccina lingua tua est, sancto modulamine mulcens
Corda, aures hominum meonioque leuans.
Nam velut Odryseus positus ad Strymona plectris
Vates, præcipites sistere fecit aquas.

Sic

*Sic tua dulcisono saliens per corda cothurno.
Lingua, oculos, animos, corpora tota trahit.
Dulcia verba tibi, tibi miror Hymetia verbas,
Dulcia de dulci gutture verba fluunt.
Miror qui tantâ per fles dulcedine. sed non
Miror, de dulci virgine sermo tibi est.
Mellea virgo tibi, qui non tibi mellea verba?
In medio mellis mellificare licet.
Ast tibi pro tanto quæ premia danda labore?
Dulcia. Dulcis erit sic liber atque labor.
Mellea dona feres, tribuunt quæ viuere dulce,
Nam decet Ambrosium, nect ar & ambrosia.*

F. PHILIPPUS VVEIS eiusdem ordinis,
humilis discipulus.



):(3 LI-



LICENTIA ADMODVM
REVERENDI P. PROVINCIALIS
TEVTONIAE.



Os Frater Petrus Baptista SS. Theologiae Magister, & Germania superioris humilis Provincialis & servus. Quia ad nostram curam spectat, viros nostrae Provinciae, qui pro communi bono nostrae religionis, & Reipublicae Christianae strenue laborant, publico lumini exponere, ut communi bono provideatur. Ideo auctoritate officij nostri, Tibi Reverendo Patri, Fratri Ludouico Venegas Provinciae Beticae, SS. Theologiae Magistro, & in Florentissima Archiducali Academia Friburgensi eiusdem facultatis Doctore, ac in nostro monasterio Praedicatorum Regenti & professori primario concedimus facultatem, imò in virtute Spiritus Sancti, & Sanctae obedientiae precipimus, ut servatis servandis Mariale Beatissima Virginis praelo quamprimum tradas, non obstantibus in contrarium quibuscunque. In quorum fidem his nostro Sigillo munitis manu propria subscripsimus. Friburgi in Conuentu nostro Praedicatorum. 14. Septembris. 1621.

F. PETRVS Baptista SS. Theologiae
Magister Provincialis, qui supra.

Ap-

Approbationes



Conciones omnium festiuitatum Beatissimæ Virginis Mariæ, Reuerendi Patris Fr. Ludouici Venegas Hispalensis, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctoris ac Professoris, contra regulas fidei ac bonorum morum continent nihil: Quinimò omnib, verbi Dei præconibus, ad præexcellentes Dei Matris prærogatiuas, solidè, dilucidèque explicandas, & ad humanæ vitæ mores expoliendos, lumen eas, & limam præbituras censeo.

F. BALTHASAR BVECHNER,
Herbipolensis SS. Theologiæ Magister,
Vicarius Provincialis per Alfatiam,
& Conuentus Friburgensis
Prior ordinis Prædicatorum.



Concionibus his omnium festiuitatum Beatissima Virginis Mariae, Auctore Admodum Reverendo Patre F. LVDOVICO VENEGAS, Hispalensi, SS. Theologia Magistro, in Conventu nostro Friburgensi ordinis Prædicatorum Regente & Professore primario, & in celeberrima Vniuersitate Friburgensi Doctore publico &c. à me Fr. IOANNE WAGNERO, eiusdem ordinis, conuentus Colmariensis Priore, & concionatore ordinario diligenter visis atque perlectis, easdem tanquam orthodoxæ fidei consonas, ac vè subtilibus, ita & vtilibus conceptibus illustratas, typis meritò imprimendas censeo.

Fr. IOHANNES WAGNERVS
qui suprâ.

IN-



INDEX SERMONVM QVI IN HOC
opere continentur.

*De Conceptione Beatif-
sima Virginis Mariae.*

- Sermo 1. pag. 1.
Sermo 2. pag. 12.
Sermo 3. pag. 24.
Sermo 4. pag. 38.

*De Nativitate Beatissima Vir-
ginis Mariae.*

- Sermo 1. pag. 47.
Sermo 2. pag. 56.
Sermo 3. pag. 69.

*De praesentatione Beatissima Vir-
ginis Mariae.*

- Sermo 1. pag. 81.
Sermo 2. pag. 91.

*De Annuntiatione Beatiss. Virgi-
nis Mariae.*

- Sermo 1. pag. 99.
Sermo 2. pag. 108.
Sermo 3. pag. 116.
Sermo 4. pag. 125.
Sermo 5. pag. 137.
Sermo 6. pag. 149.

*De Visitatione Beatiss. Virginis
Mariae.*

- Sermo 1. pag. 158.
Sermo 2. pag. 167.
Sermo 3. pag. 176.
Discursus circa eandem festivi-
tatem pag. 185.

*De Purificatione Beatiss. Virginis
Mariae.*

- Sermo 1. pag. 192.
Sermo 2. pag. 202.
Sermo 3. pag. 212.
Discursus circa eandem festivi-
tatem pag. 221.

*De Assumptione Beatiss. Virginis
Mariae.*

- Sermo 1. pag. 227.
Sermo 2. pag. 240.
Sermo 3. pag. 250.
Sermo 4. pag. 258.
Discursus circa Evangelium,
pag. 267

*De Sacratissimo Rosario Beatiss.
Virginis Mariae.*

- Sermo 1. pag. 277.
Sermo 2. pag. 288.
Sermo 3. pag. 301.

RE-

1.
REVEREN-
DI PATRIS, FR. L. V.
DOVICI VENEGAS, HIS-
PALENSIS, ORDINIS PRAEDICA-
torum, S. S. Theologiae Doctoris, Regentis, & Pri-
marij Professoris,

AC
CONFESSARII ET CON-
CIONATORIS, EXCELLENTISSIMI
D. D. VINCENTII PIMENTEL, EX MAG-
naribus & Comitibus de Benauente.

*Conciones omnium festiuitatem Beatissima Virginis
Mariae, varijs conceptibus moralibus illustratae.*

DE CONCEPTIONE BEATIS-
SIMAE VIRGINIS,

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.



Ornatu dignissimus
est locus ille Prophe-
tae: *Fundamenta eius
in montibus sanctis.*
Psalms 86. Quare pro-
prium Mariae nomen

vsurpare noluit Propheta David? solus
ait *fundamenta eius.* Quare proprio
titulo non exornauit? sine dubio ve-
peculiari Christi nomine exornaretur.
Sic Christus Dominus in scripturis
appellari solet, occultato proprio ti-
tulo &

A

tulo & cognomine vt patet. *Qui accesserunt & ministrabant ei. Matth. 4.* Si ergo potentissimus Angelorum Rex & dominus, hac voce non expresso proprio nomine nuncupatur; Regi nam etiam Angelorum hoc nomine insigniri decet. Et sanè in libris Geneseos sic appellata fuit. *Ipse conteret caput tuum, Gen. 3.* Non dicitur Maria conteret caput tuum sed ipsa conteret caput tuum. Et meritò hac ratione nuncupanda est, quia nullum peculiare nomen in veniri poterit, quod sub se comprehendat & apertè exprimat magnitudinem & excellentiam Beatissimæ Virginis. *Fundamenta eius in montibus sanctis. psal. 86.* Idèd nullum peculiare nomen vsurpat Propheta, quo lingua humana suorum fundamentorum, (hoc est conceptionis celsitudinem,) aperire possit; quia illius sanctissima conceptio super sanctissimæ Trinitatis montes altissimos fundata & stabilita est. Super omnipotentiam patris, nè ex fragilitate naturæ peccaret; Super sapientiam Filij, nè ex ignorantia caderet; Et super bonitatem spiritus Diuini, nè ex malitiâ defecisse videretur. Hanc fundamentorum altitudinem & infinitatem eximia iucunditate & iubilo, hodierna die Ecclesia Catholica celebrat. Fateor ingenij nostri vires ad aliquid dignè proferendum in tanta festiuitate protius deficere, cum sacra scriptura vix nomen Beatissimæ Virginis in præsentis solennitate indagare possit; sed ad sit

gratia spiritus diuini, qui os & sapientiam suis prædicatoribus promisit. Dicamus A ve Maria

Liber generationis Iesu Christi Matth. 1.

Celebris est apud omnes Christi fideles (charissimi & Catholici auditores) festiuitas hæc cōceptionis Beatiss. virginis, in qua in memoriam nostram reuocantur antiquæ lites propter peccatum inter Deum & homines exortæ, iustissimam Dei erga mortelas furor, vt vindictus sumeret de peccatis nostris, repræsentatur etiam reparatio & reconciliatio strictissimis amoris & beneuolentiæ vinculis inter creaturas rationales, & suum conditorem facta. Nam novâ Beatiss. Virginis conceptione, per quam ipsa tanquam sol fulgentissimus in hanc lucem sælicissimis auspicijs prodijt, cum nullus mortalium excitatas lites composuisset ipsa sola aduentante compositæ ac sedatæ fuere. Ea enim hanc in lucem exoriente in tam perarduo & difficili negotio mediatrix extitit, ita vt insignum amicitie & reconciliationis humanæ ex nostro genere & profapia Deus ipse originem duxerit. *Filij Dauid Filij Abraham.* Ad propositum nota locum arcanis & mysterijs profundissimis plenum. *Cant. 6. Electa vt sole terribilis vt castrorum acies ordinata.* Verba sunt Sponsi ad Beatissimam Virginem Mariam suam charissimam sponsam directa; quæ in superficie non rectè viden-

Beatissima Virginis.

dentur inter se coherere & conuenire. Quæ enim inter solem & exercitum conueniētia reperiri poterit, vt eidem congruenter competant? Sol enim cælo affixus est, exercitus in terris congeritur & constipatur: Sol latitiam & iucunditatem præ se fert, exercitus mærorem & tristitiam secum ducit: Sol est origo vitæ & generationis hūanæ, exercitus vita priuat, & singula quæque deuastat. Quid ergo pro Maria sanctissima coherere poterunt? optimè sanè, si ad litteræ spiritum attendas. Deus namq; solem sibi elegit tãquam potentissimum exercitum ad suos hostes, imò & aliorum comprimendos & subiugandos; Præcipuè solem à Deo destinatum reperiemus, vt lites compoat, vt inimicitia, furori & iracundiæ etiam terminum & metã imponat. *Sol non occidat super iracundiam vestram. Paulus ad Eph. 4.* Ac si apertius diceret. Ira vestra, & concitatus furor, non nisi ad occasum solis persistat, nã si adhuc radiis solaribus fugatis iracundia vestra perseueret, non dubium quin de vobis tanquam Dei potentissimus exercitus iustissimam vindictam illicò accipiet, attendite (inquit Paulus) à Deo solem constitutum, vt iracundiæ & inimicitie vestre terminum præfigat. *Sol nè mouearis contra Gabaon. Iosua. 10.* Inuictissimus Iosua victoriam reportare volens cõtra Gabaonitas, sic solem allocutus est. *Sol nè mouearis contra Gabaon;* ac si diceret, planè agnosco solem à Deo esse destinatum, vt pacem inter

mortales tanquã fortissimam acies interponat, nè ad occasum solis, cum suos ignitos radios absconditrix & concitata lites perdurent; vt tamen plenus constet, meam erga Gabaonitas indignationem non ex odio, sed ex solo iustitiæ & æquitatis zelo ortam, *Sol nè mouearis contra Gabaon;* Tuum naturalem cursum cohibe, nè forsitã tuorum radiorum luce fugata, victoria nostra cõtra Gabaonitas retardetur, pugna & concertatio nostra non est tuis radiis comprimenda, &c. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Genes 32.* Angelus prædicta verba protulit, cum intra brachia Iacob cõpress⁹ teneretur, in actuali pugna & colluctatione sic exclamauit. *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Quasi diceret. Nobis licitum non est, sic brachiis concertantes auroram solis prænuntiam intueri, nè forsitã solaribus radiis comprahensi, metas & limites inimicitis exortis impossitas, trãsgrediamur. Vbi notatu dignissimum est, splendorem & præfulgētes lucis radios quos primo diluculo aurora spargebat, contra Angelum fortiùs decertasse ipso Iacob, qui tunc illum deuincere conabatur. quandoquidem deuictolacob, altero iam claudicabat pede, aurora verd claritatem solis prænuntians, ipsum Angelum quasi deuictum & oppressum Patriarchæ tradidit. Ex prædictis sacræ scripturæ locis aperte constat, solem à Deo institutum fuisse, vt tanquam exercitus potentissimus pacem astrueret, & inimicitias

se concitatas lites sedaret. Et nunc plane intelligemus quare spiritus diuinus suam charissimam Sponsam Beatiss. Virginem solem & exercitum appellet. *Electa ut sol, terribilu ut castrorum acies ordinata. Cant. 6.* Cùm enim peccato præpotensque dominus ex peccato primi nostri parentis excitationes lites & inimicitias cum hominibus conferuisset, neque aliquis mortalium composuisset, B. Virgo tanquam fulgentissimus sol, & castrorum ordinatissima acies in nostra terrarum sola felicissimè per suam sanctissimam conceptionem descendens, lites composuit, iustum Dei furorem sedauit, ita ut in signum amicitie & reconciliationis inter illum & homines, ex nostro genere & psapia originè duxerit. Rectè ergo in B. Virgine sol & exercitus coherent, fuit planè sol fulgentissimus, quia suæ purissimæ conceptionis micantibus radiis, inimicitie & antiquæ lites ad pacem & tranquillitatem redactæ fuerunt. Fuit etiam potentissimus exercitus, quia suâ conceptione furorem & justam Dei erga peccatores iram, quasi impetu factò validissimè compressit. Quæ omnia in nostro Euangelio apertè & perspicuè designantur. *Liber generationis Iesu Christi Filij David.* Statim in principio Euangelii describitur David, ut constet amicitiam inter peccatores fuisse contractam. *Filij Abraham.* Hic in prædictis verbis durissimum medium huius contractus, quale fuit Christi Do-

mini passio in sacrificio Abraham designatur, & quia mediū fuit Beati. Virgo, concluditur in nostro Euangelio. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Liber generationis Iesu Christi filij David.* Quare Euangelista hic Davidem sine regis titulo designat, cùm non solum Rex fuerit potentissimus, sed etiam pluribus cæremoniis in regem euectus, & vnctus? nam ut accuratè notârunt Hebræi super illa verba. *Inueni David seruum meum, oleo sancto meo vnxit eum, Psalm 88.* Reges, ut regni sui gubernacula tractarent, vulgari solum & communi oleo fronti imposito, & in modum coronæ factò circulo, perungebantur: At sacerdotes sacrosanctuarii oleo capiti in formam crucis appposito, linebantur. Quæ cum ita forent, David non vulgari oleo, sed particulari sacerdotum Chrismate fuit perunctus in regem, & hoc indicant illa verba, *Oleo sancto meo vnxit eum.* Si ergo David inter reges primatum tenuit, & illius vnctio extra communem & vsitatum modum afflatu spiritus Diuini facta, quare Euangelista regis nomen non vsurpat? cùm in hac genealogia nullus dignior regio titulo & nomine reperiat, de quo quasi per emphasin dicitur, *David autem Rex.* Subindicans sacra scriptura alios si cum Dauide conferantur, reges non fuisse; Rationem huius apertam inuenies, si attentè perpendas, hic regium vatem peccatorem repræsentare, cui Deus scelera condonare, &

CUM

Beatissima Virgini.

cum quo pacem inire contendit; At
similes peccatores, non regia orna-
tū purpura & titulo, etiam si regia maie-
state & pompa ceteros præcedant, sed
humili & abiectæ pœnitentis forma &
specie coram Deo suo comparere de-
bent. Et hæc sanè ratio est, quare his
qui aureū vitulum adorarunt strictis-
simè præcepit dominus, ut illis culpam
condonaret, splendidas vestes, coro-
nas, & ornatum statim relinquerent.
Nunc ergo de pone ornatum tuum ut sci-
am quid faciam tibi, Exodi 33. Illa enim
non internum animi dolorem, nec
perpetrati sceleris detestationem, sed
potius vanitatem sæculi, & cordis im-
pœnitentiam aperiebant. Sic David li-
cet alios reges præ excelluerit, at pec-
catorem repræsentans, non regis titu-
lo & pompa decorandus est. *Fili David.*
Sed quare Deus noster in effigiem pec-
catoris, quo cum pacem inire conten-
dit nobis Davidem statim in principio
Euangelii ante oculos proponit? Non
ne alii sceleribus Davidem superârunt?
Quare carnalem peccatorem ex infir-
mitate & fragilitate nature peccantē,
& consequenter minùs culpabiliter
deficientem, nobis ad excitandam pec-
catorum spem ante oculos repræsen-
tat? Aliqua sine dubio malitiæ & de-
formitatis circumstantia in peccato
sensualitatis latet, quâ magis peccator
à suo conditore auertitur ac longius
distat; quæ in aliis peccatis non in-
venitur, & ided cum carnali potius pec-
catore voluit Deus pacem stabilire &

inimicitias terminare. Quam cir-
cumstantiam ut inuestigemus, nota
egregium locum. *Fascinatione nugaci-
tatis obscurat bona: & inconstantia con-
cupiscentia transuertit sensum. Sap. 4.*
Hic spiritus Diuinus peccatum sensu-
alitatis fascinationem vocat. Nam si-
cut fascinantes oculi si in tenellum
puerum defigantur, illum planè per-
dunt, & necant: Ita mutus viri & fœ-
minæ turpis intuitus animam perdit
& eneruat. *Oculus meus depradatur est
animam meam. Thren. capite 3.* Et a-
libi. *Mors intrauit per fenestras.* Quid
quæso Davidem fascino, & illius de-
turpauit animam? intuitus sanè Ber-
sabee. Et quis Amonem? nonne
Thamar incestuosus aspectus? ided
lasciuia & carnalis concupiscentia
fascinatio nuncupatur. Additur etiam
nugacitatis, hoc est, mendacii & falsi-
tatis, quia turpis intuitus ex motiuo
fallacis & fucatæ & planè depictæ pul-
chritudinis extortus animam nostram
depradatur. Flores quibus prata vi-
rentia rident, non tam citò marce-
scunt & pereunt, atque humana pul-
chritudo & venustas. *Fallax gratia &
vana est pulchritudo. Proverb. 31.* Et ad
nostrū intentum propiùs accedentes,
diligenter notanda sunt verba quæ se-
quuntur. *Inconstantia concupiscentia
transuertit sensum.* Sanctus Fulgētius sic
legit. *Instantia concupiscentia transuertit
sensum. Epist. 2. cap. 4.* Vocat in-
stantiam concupiscentiæ vehemen-
tem illum conatum, quo nostri effre-

nati carnis appetitus animam stimulant & urgent, ut sua sequatur desideria. Sed translatio Græca sic accuratius vertit. *Circumrotatio concupiscentia transuertit sensum.* Hoc est, animus carnali concupiscentia captus, lasciuia ipsa & turpitudine vexatus in gyrum vertitur, atque huc & illuc agitur, grauius fluctuat & vndique circumuoluitur. Sed quænam erit hæc circumrotatio concupiscentiæ? Quod genus rotarum indicat, ut plenius agnoscamus qualiter carnalis concupiscentia longius peccatorem à suo conditore separat? Aliqui per hæc circumrotationem eam intelligunt, quæ rotæ ad torquendum martyres olim deputatæ in gyrum ferebantur, sic Catharina simili nouaculæ rotæ affixa martyriū patiebatur. Quæ intelligentia carnali peccatori rectè congruit; Nam concupiscentia carnis captus & ab ea possessus ad deuictus, nunc timore & zelo, iam etiam imminente famæ ac vitæ periculo, huc & illuc agitur & ad ultimas angustias deductus, etiã viuendum oritur, quin & detrahentium linguas quasi acutis nouaculis circumrotatus, totus decerpitur ac dilaceratur. Alii per circumrotationem prædictam illam interpretantur, quæ circumfertur rota, ut ex hortorum puteis belluæ opertis oculis aquã extrahant, quæ interpretatio etiam carnali peccatori congruit. Carnales enim peccatores belluæ planè sunt, quia carnis concupiscentia ducti quasi utroque lumine

priuati & cæcutientes, nunc aquas ex concupiscentiæ puteo ex hauriunt, nunc iterum effundunt, iam illa odio prosequuntur, quæ summo opere exoptabant, modò placent, postea iterum fastidiunt ac vehementer displicent, & sic tanquam bestię aquam exhaurientes & illic effundentes, ipsã carnali concupiscentiã circumrotantur. Alii circumrotationem, illam explicarunt, quam trochus à pueris proiectus in gyrum conficit, & ita intelligunt illud. *Pones illos ut rotam; ipsi vertunt. Pones illos ut trochum. Psalm. 82.* Et verè hæc explicatio carnalibus peccatoribus conuenit, nam carnalis amor quem in infantis formam & effigiem sibi effingunt, illos tanquam trochum agit, iam rotant ac saltant supra manum pueri, iam ex manibus confestim decidunt ac supra humum saltitant, quod si funiculo quo sunt ligati percutiantur & verberentur, (sicut apud pueros moris est,) huc & illuc facillimè trahuntur. O miseri & execrandi turpitudinis amatores, qualiter vos vestra lasciuia & turpitudine circũuertit, modò in prospera, modò in aduersa amoris victitetis fortuna, semper insanos, & sine mente considero, ad modum trochi circumuolutos, nam si fauoribus amariæ in altum efferamini, nouo & crebro vestium apparatu, tanquam personati quotidie incedentes stultorum personam geritis; Quod si in inferiori amoris fortuna versemini, inuidia & Zelo permoti suspiria in altum

emit-

emittentes. aëra querimoniis verberātes, infomnes, & sine cibo & potu vitam agentes insaniam vestram ostentatis. Alii tandem per circumrotationem concupiscentiæ circulos quosdā intelligunt, quos olim maleficæ vittis quibusdā fericis in aëra elatae conficiebant, quibus à dæmone postulabant, vt virum erga quē ipsa amore afficiebantur, sic in circulum amore ipsarum circumferret, ad eam normam & formam, quā ipsa fericos illos funiculos in gyrum afferebant; Quæ intelligentia damna & graua nocuenta perpendit, quæ carnales peccatores experiuntur, nam dæmonis ingenio & arte grauitè decepti, ita ad nutum & voluntatem dæmonis aguntur, vt proprias vxores & familiam negligentes, maleficarum meretricum amore capti ipsarum fericis funiculis circumferuntur. Omnes prædictæ interpretationes licet congruæ & accuratæ sint, & rectè carnalis concupiscentiæ effectus manifestent, aliam tamen nostro proposito propius accedentem adhibebo, & intelligam per circumrotationem istam, circulum illum quem funda in manibus proiciētis lapidem conficit, antequā per illam lapis emittatur, fundæ enim circulo sacra scriptura peccatores comparat, qui lōgius à Deo distant & separantur. Ita Abigail, cum Dauidi loqueretur ait. *Porro inimicorum tuorū anima rotabitur quasi in imperu & circulo funda. 1. Reg. 25.* Ac si diceret; Ad eum modū quo funda pri-

us in aëre ad modum circuli agitata lapidem emittit, vt amplius non appareat; sic Deus tuos hostes & inimicos destruet, & à se longè dimittet. Asserere ergò carnales & sensuales peccatores esse veluti lapis fundæ impetu prius in aëra circungiratæ proiectus, non est aliud quàm apertè indicare, carnis concupiscentiam adeo carnalem peccatorem à Deo suo auellere & separare, vt nisi Dei misericordia iterum reuocaretur, penitūs periret. Inter peccatores huius lineæ & generis connumeratur Dauid, amore enim Bersabee ita captus & obcæcatus fuit, vt ferè per integrum annum sui conditoris oblitus vixerit, quin & prædicante propheta Nathan, & illi suum peccatum proponente, nihil prorsus intellexit, quoadusque proprio digito propheta tanquam peccatorem demonstrauit. Ex quibus manifestè constabit, quare volens Deus cum peccatoribus pacem inire, & ex illorum profapia originem ducere, nomine omnium, carnalem peccatorem designauit, vt alii peccatores firmiter confidant, nè propter patrata scelera in desperationem inducantur; Si enim Deus cum Dauide à se tam longo interuallo propter lasciuiam & carnalem concupiscentiam separato, strictam amicitiam contrahit, facilius & libentiùs eandem cum illis peccatoribus firmabit, qui à suo conditore non tam longè distant, cum non semper ex lasciuia & carnali concupiscentia peccatum committant.

FILII

FILII DAVID.

DE qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Declaratum dedimus in præcedentibus, quibus cum Deus noscitur nouam amicitiam & pacem contulerit: inuestigandum nobis est & inquirendum de mediatrice huius pacis & amicitie tam strictis nexibus contractæ. Et eam Beatiss. Virginis præsens Evangelium aperte manifestat. *De qua natus est Iesus &c.* Ex quo mediatrix officio haud obscure, ni fallor, colligi potest, B. Virginis purissima & sanctificata conceptio. Si enim Apostolus Paulus in Christo assertore nostro, non fuisse peccatum ex officio mediatoris colligit, quia futurus erat mediator, & ipsa propitiatio pro peccatis nostris. *Talis decebat ut esset Pontifex impollutus, segregatus à peccatoribus, qui etiam interpellat pronobis. Hebr. 7. cap.* Ex eodem etiam motiuo decet Beatiss. Virginem D. E. præstantissimam matrem, cum sit omnium peccatorum vnica mediatrix, ex peculiari gratie priuilegio in nullo tempore peccatum, sed excellentissimam gratiam, munditiam, & sanctitatem modo possibili creaturæ verè & legitime ex semine Adæ descendenti, habuisse. Et ut sanctificationem purissimam Beatiss. Virginis siue in instanti vnionis animæ ad corpus, siue postea factam (De quo Doctores Theologi disputant.) paulò altius repetamus & extollamus. Notandus est egregius locus, quem Ec-

clesia Beatæ Virgini accomodat. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, Psalm 44.* Vbi nostra vulgata legit *Audi filia*. Sic vertit Hebræa translatio. *Audi pupilla*. Quibus verbis filiam, vocat oculi pupillam; Forsitan quia filia dum Virgo est, tanquam pupilla oculi, summa cura & vigilantissimo studio custodienda; cui etiam vel leuis aura nocebit, sicut palea vel stipula si pupillam oculi contingat, lacrimas statim exprimit. Quo indicauit Spiritus diuinus, quâ curâ & diligentia etiam in minimis se ipsas custodire & obseruare debeant: cum experientia constet, plures se ipsas incautè negligentes, postea utroque oculo miserimè, & lacrimabiliter, suam castitatem deplorasse. Sed si aliquam virginem Summus præpotensq; dominus sibi tanquã pupillam oculi seruatum in hac lucem edidit, hæc sanè fuit Beatiss. Virgo. Quæ etiam coram salutante Angelo comparere noluit, sed inclusa latuit, & idè iure optimo pupillæ oculi comparatur. Exitimo tamen in hac comparatione aliquid accuratius & profundius Beatæ Virginis elogium occultari: quo illius cõceptio miro modo euehitur & decoratur. Quod ut clarius appareat, notate diligenter fabricam & oculorum nostrorū ingeniosam compositionem, sic à Deo effectam fuisse, ut in illa producenda, creationem luci, in principio mundi imitatus fuerit, quam Deus quasi ex tenebris efforma-

vit; Nam ante lucis creationem tenebræ præcesserant super faciem abyssi, vt Sacra scriptura testatur, & ex illis hanc pulcherrimam lucis creaturam effinxit & efformauit. *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere. Paulus 2. Cor. 4.* Eodem profus modo Deus fabricatus est oculos: Virtus enim visiva quæ colorata cernimus & intuemur, quæ lux oculi appellari potest, cum media illa percipiantur colores, non in alba oculorum substantia, sed in nigra oculi pupilla residet, ex illo tenebroso & caliginoso pupilla loco hæc visiva virtus emanat. Nunc apertè intelligitur, quare Beatissima Virgo *pupilla oculi* vocetur; Illam ita Spiritus Diuinus nuncupauit, vt suprema sanctitas & munditia suæ conceptionis illucesceret, licet enim ex obscuris & tenebrosis culpâ parentibus orta fuerit, at intra suæ profapię tenebras tanquam lux fulgētissima emicuit, intrâ obscuram illorum pupillam purificanda conceptio latitabat. *Audi pupilla, & vide, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui;* Licet enim in illa tot reperiantur peccatores, vt in hac genealogia Christi describuntur, id tamen impedire non poterit, quin Beatiss. Virgo in materno vtero concepta fulgentissima gratiæ sanctificantis luce præfulgeat & eniteat. Sed quare hanc sanctitatem & conceptionis præclaram & planè diuinam emundationem Evangelista non expressit? quin potius ita limitatè in laudâdo processit, vt so-

lum collectim & breuiter de Beatiss. Virgine hæc stricta verba protulerit. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Respondeo, in prædictis verbis Evangelistam expressisse quidquid de Beatiss. Virgine effetri potest, nihil de illa præclarius aut excellentius dici potest: Quod vt intelligatur, investigandum nobis est, quæ nam causa excogitari possit, obquam Sponsus Diuinus nunquam suæ charissimę sponsæ manus laudibus extulerit, cum tamen etiam illius laudaverit calceamenta. *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis Cant. 6. & 7.* Defuit forsitan Diuino sponso encomium aliquod, aut congrua cõparatio, quæ manibus sponsæ adaptari posset? Id planè nec licitum est apprehendere, cum sapientissimus & prudentissimus existat, & pro alijs corporis partibus plurima epitheta inuenerit. *Caput tuum vt carmelus; Coma capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus. Capilli tui sicut grex caprarum, qua apparuerunt de Galaad. Gena tua sicut fragmen mali punici. Cant. 4.* Quare ergo pro efferendis manibus laudes suppressit, cum fœminę manuum venustatem & pulchritudinem plurimi faciant? Longè aliter se gessit sponsa ergà suū charissimum sponsum, oculos enim in manus illius defigens, non solum manuum pulchritudinem, sed etiã margaritas & aureos annulos laudibus in cœlū extulit. *Manus eius tornatiles, aurea, plena hyacinthis; Cant. 5.* Et meritò quidem margari-

B

gari-

garitis & anto ornatæ laudatur à sponsa. Nam, ut ait Tertullianus pro Christianis, Gentilibus respondens, qui arguebant, ut idolis sacrificarent, sic asseruit, *Deos vestros non colimus, quia plures habent manus*, ac si diceret, Deos vestros adorare nolimus, quia illorum manus indigentes, inopes, indecoræ & ponderosæ sunt; At Dei nostri manus pulcherrimæ, & ditissime, *quia tornatile, aurea, plena Hyacinthis*, ac proinde soli Deo nostro verum cultum exhibere volumus. Si ergo sponsa manus sui sponsi sic præclaris laudibus exornavit, quare & sponsus insignum saltem gratitudinis, & reciproci amoris, id etiam non præstitit? Existimo sanè Divinum sponsum manus sponsæ tacendo magis prædicasse & extulisse, & plura de illis affirmasse, quàm si expressè & hyperbolicè multa de illis protulisset; Ac si tacendo diceret, Manus qui simul ac semel ipsum Deum nobis tradiderunt, verbis non laudandæ, sed silentio & admiratione celebrandæ sunt; Manus etenim sponsæ plus certo modo hominibus tradiderunt, quàm ipse Deus ipsis concesserit. Nam et si ex maximo erga nos amore æternus & increatus pater nobis suum filium unigenitum dederit, *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Ioann. 3.* non tamen tradidit nobis eundem passibilem & accommodatum, ut posset suum sanguinem pro nobis fundere, id enim manibus Beatiss. Virginis præstitum fuit; Manus igitur tot divitijs re-

fertæ, quæ tam præciosum & tantæ æstimationis donum nobis exhibuerunt, quid de illis lingua dignè efferre potest? *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*, idè nec Evangelista alias laudes afferre voluit, prædictis verbis collectiùs ostendendo supremum, & infinitum donum fuisse nobis collatum, nec sponsus, licet alias sponsæ partes laudaret, manus tamen illius silentio potiùs laudandas consultiùs existimavit; quia ad id lingua nostra per tingere non potest, suæ tamen sponsæ Beatiss. Virginis calceamenta verbis extollere non omisit. *Quàm pulchri sūt gressus tui in calceamentis.* Per calceamenta illius cõceptio indicatur: Quem admodum enim in physico corpore inter alia corporis membra primùm pedes in terra collocantur; Ita etiam morali & mystico more loquendo, animæ nostræ pedes primò in terram defixi, conceptionis nomine intelliguntur. Hanc laudat & extollit spiritus Divinus. *Quàm pulchri sūt gressus tui in calceamentis.* Non absolutè laudat suorum gressuum pulchritudinem, quia filia Adæ gressus fuerunt, sed pulchritudinem calceamentorum. Venerabilis Beda per calceamenta sponsæ gratiam & virtutes, quibus exornatur, intellexit. Quæ ergo erit calceamentorum sponsæ pulchritudo? Gratia sine dubio sanctificationis, quæ concepta in utero, exornata, & pulcherrimè decorata fuit, cui si alia, etiam in supremis Angelis & Apostolis re-

perta

perta, comparetur, nullam profus
 habeat pulchritudinem & venusta-
 tem. Quod nostro iudicio Evangelistæ
 Ioanni quadam mysteriosa visionede
 monstratū est. *Apoc. 21.* vidit enim civi-
 tatē sanctam Dei duodecim lapidibus
 magni pretij & æstimationis stabili-
 tam & fundatam, sed inter tot prætio-
 sos lapides carbunculum non vidit,
 cū tamen sit inter omnes præstantis-
 simus, de quo naturales philosophi
 referunt, ipsum in mediis tenebris
 lucere, & ita splendere & corrusca-
 re, vt in splendore fulgentissimam fir-
 mamenti stellam adæquet. Quomodo
 ergo Evangelista Ioannes tam prætio-
 sum lapidem inter cæteros non cen-
 spexit neque animadvertit? Ratio-
 nem huius in veniemus, si attentè per-
 pendamus mysterium. Prædicti enim
 lapides, Apostolos iuxta communem
 intelligentiam repræsentant, quia ipsi
 Ecclesiæ nostræ fundamēta firmissima
 fuerunt, quæ firmiter constructa & ere-
 cta est super fundamentū Apostolorum
 & Prophetarum; Ipsi fuerunt prima-
 tes in gratia, virtutibus, & donis super-
 naturalibus, quorum humeris tota no-
 stræ Ecclesiæ machina enixa est; Car-
 bunculus verò inter prædictos lapides
 non cernebatur, quia in illo, qui omnes
 alios claritate, splendore, & æstimo-
 ne antecellebat, gratia, & virtutes
 Beatif. Virginis supra virtutes aliorum
 sanctorum splendidius micantes, re-
 præsentabantur; Cū ergo illius gra-
 tia, sanctitas, & virtutum eminentia

altioris esset lineæ & ordinis, inter A-
 postolorum gratiam non comparuit;
 Est enim altior, præclarior, & eminenti-
 or, ad quam nec supremi spiritus
 Angelici pertingere poterunt. Ideò in
 Genealogia huius Evangelij, Christus
 tanquam illius caput inscribitur, quia
 nulla pura creatura ad perfectionem
 gratiæ & virtutum illius pervenire po-
 test; Et in fine Beatiss. Virgo tanquam
 fundamentum genealogiæ supponit-
 ur, quia post Christum Dominum, in
 illa excellentior gratia & vltimum il-
 lius in gradu heroico reperitur. Hinc
 Divinus sponsus in calceamentis suam
 sponsam pulchram appellavit, quia
 ad suorum calceamentorum pulchri-
 tudinem nec supremi spiritus Angeli-
 ci, nec omnes simul Apostoli pertin-
 gere poterunt. *Quam pulchri sunt gres-
 sus tui in calceamentis:* Placeat Deo no-
 stro, Charissimi Auditores, vt saltim
 corrigiam calceamentorum tantæ gra-
 tiæ & virtutum per imitationem dis-
 solvere possimus, vt illa & virtutibus
 cum illa connexis circumligati & con-
 stricti, pignus certissimum gloriæ ha-
 beamus. Quam mihi & vobis præ-
 stare dignetur author
 gratiæ. Amen.



B 2

Ser-



Sermo Secundus.

PRO SALVTATIONE

Angelica.



Apientissimus Rex Salomon, ad ostensionem suæ gloriæ & magnitudinis, thronū erexit, puro ebore & fulgentissimo auro vndique coopertum atque exornatum. *Fecit ergo Salomon thronum ex ebore grædi, & operuit illum auro fulvo nimis; 3. Reg. cap. 10.* Deinde figuris & pulcherrimis leonum imaginibus distinxit, tantoq; artificio & ingenio hoc opus elaboratum fuit, vt & spiritus Diuinus, qui de rebus omnibus sapientissimum potest iudicium ferre, apertè affirmarit, non fuisse tale opus in vniuersis regnis, etiam si illi N. li. pyramides & præstantissimum Davidis sepulchrum, ac totius mundi portenta, comparare velis. Sed quid Salomonis thronus, si throno Beatiss. Virginis hodierna die intrà sanctissimæ Annæ vterum fabricato conferatur? noster enim sapientissimus Rex Salomon supremus omnium artifex Deus, de quo dictum est; *Ecce plus quàm Salomon hic*, qui alium Salomonem diuitijs, ingenio & sapientiæ superauit, ad ostensionem suæ magnitudinis & infinitæ sapientiæ, hodierna lu-

ce Beatissim. Virginem tanquam præclarum suæ Maiestatis thronum in integritatis & munditiæ signum ex puro ebore confectum efformavit, vndique etiam ex fulgentissimo magni pretij & æstimationis auro, in signū præstantissimæ gratiæ & charismatum supernaturalium, quibus tanquam margaritis illius anima decorata & exornata fuit, ingenioso artificio cooperuit; Nihil in illa reperire poteris quod aureum non sit; Figuræ & imagines quibus hic elegantissimus Mariæ thronus decoratur, illius avi & parentes extitère, qui præclaris virtutibus splendidissimè micarunt. Si enim genealogiam attentè percurras, Reges, Prophetas, & Patriarchas conspicias. Tanta est & tam eximia huius nouiter fabricati throni pulchritudo, vt etiam cœlestia palatia, illorum sydera & planetas in maximam admirationem rapiat, *de cuius pulchritudine sol & luna mirantur.* Nostro sanè & rectè sentientium iudicio, nihil excellentius aut præstantius Deus noster suæ omnipotentia fortissimo brachio vtens, molitus & fabricatus est, etiam si Samsones, Hieremias, Baptistas, & Apostolos, qui in sanctitatis culmine primatum tenuère, in vnum congeras; Opus planè Diuinum omnium mortalium oculos & corda rapiens. Vellè aliquid de tam præstati & excellenti opere saltim balutièdo proferre, quod cõgruè præstare non potero, nisi ad sit gratia spiritus Diuini, Dicamus Aye Maria.

Li-

Liber generationis Iesu

Christi, Filij David.

Matth. 1.

Merito sanè, charissimi Auditores, gloriosus Apostolus & Evangelista Matthæus statim huius Evangelij initio concupiscentiam carnis in Davide carnali peccatore repræsentatam nobis ante oculos propõit; Tum vt huius vitij effrenatam audaciam perpendere mus, quæ tanta est, vt etiam in generatione Christi proprium locum & sedem habere non dubitãrit; Tum etiam, vt nobis apertè constaret omnium malorum primum principium, & bonorum omnium totalem necem & desolationem, concupiscentiam carnis censendã esse, quod ex ipso Evangelij contextu graviter comprobare & roborare possumus. *Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Historia habetur *Genests capite 38.* vbi refertur hanc fœminam molestia & furore in Iudam suum focerum arreptam, quia noluit Sela proprium filium, iuxta promissionem sibi factam in matrimonio tradere, quoddã scelus in Iudæ vindictam propria mentis arte & industria ex cogitãsse. Accidit ergò vt Thamar viduæ vestes in meretricis habitum mutaret, quo induta viam quandam aggressa est, quã Patriarcha Iudas necessariò venturus erat, in biuio itineris confedit, vbi iter in duplicem quasi semitam dividebatur, & cum Iudas ad-

ventãssset ipsam in meretricis forma & habitu conspiciens, minimèq; agnosceus, illius amore captus, cum illa concubuit, quæ ex ipso duos filios concepit & peperit, Phares & Zaram; Et cum fœminæ potiùs rei familiaris quàm personæ amore ducantur, statim à Iuda suæ turpitudinis præcium efflagitavit. *Dabis mihi (inquit) annulum tuum, & armillam & baculum, quem manu tenes.* Circa relatam historiam, ad nostrum propositum hæc mihi consideranda occurrant. In primis locum considero, vbi Thamar Iudam est depredata. In bivio captam venationem expectauit, vbi duæ semitæ oriebantur, in quibus dæmon mira arte nostrum animum deludens, homines per montana peragrantes à recto in Deum tramite seducens, in oblectamenta & delicias carnis præcipites agit. At, quæ sunt delectationum huius sæculi viæ & semitæ, quas mundani homines tantopere exoptant, & amplecti cupiunt? Sanctus Ioannes Evangelista *Epist. 1. cap. 20.* eas accurate enumerat. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hæ sunt semitæ, in quibus dæmon tanquam vigilantissimus venator seductam venationem expectat. Ad cuius comprobationem Athonius Richardus, verbo Pluto, refert, antiquorum consuetudinem in depingendo ementitum Deum Plutonem fuisse, quod ipsū curru, qui à tribus ferocissimis equis trahebatur, in-

sidentem, manibus suis tridentem, si-
 vetriscupidem, hastam acutissimam
 gestantem, depingerent. Hac Pluto-
 nis effigie significare voluerunt, vt no-
 tat Georgius Venetus in sua Harmo-
 nia, folio 212. dæmonem per Pluto-
 nem representatum triplici viæ præsi-
 dere, nempe luxuriæ, auaritiæ, ac su-
 perbiæ, & vnicuique tridentis alte-
 ram cuspidem defigere, quâ mortali-
 um animos configere conatur, vt le-
 thali vulnere confossi, ad veram vi-
 am inveniendâ nequaquam aspirent.
 Verum notate, Auditores, in hac itine-
 rum divisione & partitione, quæ reuera
 ducunt ad mortem, primū locū obtine-
 re concupiscentiam carnis, vt Ioan-
 nes testatur, *Omne quod est in mundo,
 concupiscentia carnis est.* Hoc etiam
 Thamar indicavit in bivio sedens, ac
 meretricis effigie & figura apparens;
 Vt vnusquisque animaduertat, radi-
 cem & principium omnium malorum
 esse carnis concupiscentiam; Imò ex-
 perientia ipsa id comprobatum reperi-
 mus, si ad adolescentem mentis oculo
 cõvertamus, qui vbi ad vsum ratio-
 nis pervenit ac de propria persona deli-
 berat, hanc cõcupiscentiæ viâ frequen-
 tibus secutus, à vero Dei tramite declinat;
 Neq; enim tunc eum auaritia sollicitat,
 aut superbia exagitat, aut eminentia
 loca perturbant, cum hæc omnia suis
 viribus & ætati imparia esse apertè co-
 gnoscat, id ergò, quod illius animū fre-
 quentius stimulat, carnis cõcupiscen-
 tia & appetitus reputatur. Adolescens

ille, quem filium prodigum appellant,
 de quo S. Lucas ait cap. 15. cum ad æ-
 tatem iuvenilem pertigisset, omnem
 patris substantiam, non in pompa, &
 apparatu sæculari, non in honoribus
 & dignitatibus, quibus solent homines
 in sublimè elati inflari & superbire,
 sed in luxuria, & carnis concupiscen-
 tia, consumpsit, & sic veram virtutis
 semitam, solis libidinis stimulis vexa-
 tus, dereliquit; Est itaque hoc primum
 malum, quod animum nostrum de-
 vastat ac deturpat. Id quod secundò
 considerandum circa historiam Tha-
 mar, est, quod exposulârit ipsa pro præ-
 tio & stipendio turpitudinis, primò
 anulum, secundò armillam, tertio
 baculum. Iam quid significavit car-
 nem in Thamar representatam à lascivo
 peccatore anulum in mercedem
 postulare? Multa indicat & adumbrat,
 quæ notari dignissima sunt, addigno-
 scendam libidinis & concupiscentiæ
 perniciosam exitiosamq; lucem. *Paulus Scaliger lib. 2. fol. 20. ait.* Per annu-
 lum durum carcerem, & molestam ca-
 ptivitatem indicari, nec incongruè; E-
 am enim infert carnis concupiscentia,
 cum primò à carnali peccatore suâ li-
 bertatem, quæ pratiofior est auro &
 margaritis summi pretij & æstimati-
 onis, poscat, statim conatur redigere
 hominem in miseram servitutem & in
 perpetuum carcerem. Ita asseruit spiri-
 tus sanctus loquens de muliere, vbi vo-
 cat ipsam nomine laquei & sagenæ.
*Laqueus peccatorum est, & sagena cor il-
 lius,*

*ius. Eccles. 7. quæ omnia indicant captiuitatem & carcerem. Vocat spiritus Diuinus mulierem laqueo, & illius cor sagemam; Quia illius malitia tanta est, vt ad vastissima maria, & ad terræ planitiem se extendat. Pisces non capiuntur laqueo, sed hamo, vel sagemam, aut retibus, nequè terrestria animalia capiuntur hamo vel sagemam, sed laqueo ad pedes vel collum extorto; Vult ergò significare spiritus Diuinus tantam esse mulieris libidinosæ pernitie ad subiugandos & capiendos homines, quod illos veluti pisces in mari in sui cordis sagemam immittat, & in terra molestissimos captiuitatis laqueos præparet, omnes cuiuscunq; status & conditionis sint, strictissimis laqueis quasi inuitos constringat. *Laqueus peccatorum est, & sagemam cor illius.* Notate illud verbum, sagemam, quæ significat specialem, & artificiosum modum capiendi pisces, ita enim à piscatore sagemam capiuntur, vt nullo modo possint, etiam saltando, aut magna commotione facta ex illa exire, quod in retibus non ita cõtingit, plerumque enim ex illo liberati pisces in proprijs retibus piscatores quasi deludunt. Cor ergò mulieris sagemam est; Nam si semel intra se carnalem peccatorem cõcludat, dicit & perpetuo carceri mancipat, ita vt etiam si velit ex duro illo carcere foras prodire, haud, aut ægrè possit, vt experientia magistrà compertum & exploratum est. Illud etiam significat annulus, vt notauit sanctis. paguinus lib. 6. suarum intro-*

ductionum cap. 3. *secretum videlicet.* Est, inquit, annulus signaculum secretorum. Nam cū primùm mulier carnalem hominem in miseram seruitutem, tanquam seruum humilem sibi mancipavit, statim claves sui cordis enixè postulat, vt sic anima capta, aperta cordis ianua illius secreta callidiùs perferretur. Sic Samson quã primùm Dalilæ amore captus, illius brachijs innixus dulciter recubuit, ita etiam cordis sui ianua Dalilæ patuerunt, vt licet animaduerteret, illam nõ aliud quàm propriam necem & pernitiam moliri, nihilomius tamè omnia cordis secreta, vt ipsa circa capillorū fortitudinè postulabat, apertè monstravit. Stephanus Episcopus Eduensis in tractatu à se edito sacramento altaris cap. 11. aliam refert annuli significationem; ait enim, significare fidelitatem Deo & Ecclesiæ adhibendam, & id indicare asserit, annulum digito Episcopi impositum. Illius verba sunt. *Annulus in digito Ecclesiam, cuius minister est, sponsam Christo associat.* Carnem ergò annulum à carnali peccatore in lasciuia mercedè postulare, quid iuxta hanc doctissimi Stephani explicationem indicavit? Non aliud sanè nisi quod statim caro necem & totalem fidei nostre vastationem moliatur, hominem spoliet fide, vt in media veritatis luce cætutiens, illius fulgētissimos radios ad modū noctuæ & vespertilionis non percipiat. Vnde tot in misera Germania exortæ hæreses? Omnes ex libidine & effrenatæ carnis

nis concupiscentia, tanquam ex pernitiola sentina originem duxerunt. Quid aliud sapientissimū Salomonem à vera Domini nostri fide separauit, vt Idolis sacrificaret, nisi libido & mulierularum amor lasciuus? ab his namquē seductus, à fide apostatauit. Petijt secundò Thamar armillam, quæ iuxta sanctispagninum loco citato robur & fortitudinem significat, sic enim ait. *Armilla prapostorum opera fortia.* Ambrosius Calepinus curiosè notauit, armillas olim ornamenta quædam fuisse, quæ ab Imperatoribus, militibus strenuis, tanquam insignia & stemmata illustrissima cõferri solebant, his insigniti partas ab hostibus victorias, & sua egregia facinora ostentabant, illas que, vt mos est apud nostros equites nobilissimos Hispanos Sancti Iacobi, vel sancti Ioannis, aut alterius militaris ordinis, sinistro brachio gestabant; ipsi enim equitum insignia sinistro pectoris lateri affixa deferunt; Et hinc derivata est ista vox armilla ab armis scilicet; quia armillæ apud veteres non nisi præclaris militibus, & in armorum strepitu versatis conferebantur: Tum etiam quia brachiū exornabant, (quod latini armum vocant) Solent etiam Postæ armillati cursores appellari, quia in pectore, aut ex collo appensa quædam suorum principum insignia argento, aut auro impressa, gestant; Petijt ergò Thamar à Iuda armillam, quæ illius fortitudinem & strenui equitis insignia referebat,

vt sic viribus, fortitudine, & equitate insignibus destitueret: Homo enim carnalibus concupiscentijs deditus, ex fortissimo leone in debilem & inermem fœminam statim commutatur, Quid robustissimum samsonem ita deiecerit? quis illū viribus, & sua pristina, & antiqua fortitudine privavit, vt in manus Philistinorū deueniret? non aliud quam sua carnalis concupiscentia, & in Dalilam effrenatus amor, qui homines inermes & effeminatos reddit. Quod apertè Ioanni demonstratum fuit *Apoc. cap. 2.* Nam vidit Angelum flammeis oculis, seuero & minaci vultu ignea verba contra Episcopum Thiatyræ acriter proferentem. Et si ab Angelo sui furoris, & iustæ indignationis causam perquiramus, non aliam in scriptura inuenimus, nisi quia permisit Iezabel. *Quia permittis mulierem Iezabel.* Circa intelligentiam huius loci, quid per Iezabel intelligatur, sequar tanquam veriorum explicationem Sancti Augustini Ticonij, Bede, Primasij, Ruperti, & Ioachimi, qui intelligunt per Iezabel procaces & effeminatos hæreticos, qui sèper Bacho & Veneri seruietes in fœminas commutati, non alio quàm Iezabel nomine decorandi sunt: Qui bus verba illa Prophetæ ad exprimendam illorum turpitudinem rectè congruunt. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui. Nahum. cap. 3.* Quæ licet in litterali sensu de Ninivitis interpretentur, qui potius in hominum multitudine, quam

quàm in Deo ad consequendas victorias suam spem collocabant; quae de causa mulieres appellantur, quia omnis militaris apparatus, si cum Deo conferatur, foeminarum conventus & fortitudo existimandus est. Sed in morali sensu excæcatis & execrandis hæreticis accommodanda sunt, ut potè qui præ libidine & lascivia propriè oblitæ naturæ, foemineam elegerunt. Animadvertant tamen Imperatores, Reges & principes igneum & minacem Angeli vultum contra Episcopum Thiatyræ, quia hæreticos in suo territorio permittebat, nè fortè in eadem damnatione existentes, irati Angeli vultum, propter hæreticorum exitiosam permissionem experiantur. Tertio & ultimo petijt Thamar baculum. In sacris literis baculus varia indicat. Primo significat rem familiarè, cui tanquam bacillo & firmissimo baculo, sæculi amatores inniti solèt. Hanc statim turpis foemina, in Thamar representata, in libidinis mercedem reportare intendit, totam amantis pinguem suppellectilem cautè & fraudulenter extorquet, plures divitias, quàm venustatem, aut rectam membrorum compositionem, æstimans, quod apertè in vxore Iob. demonstratum & comprobatum est; Nam cum primum sanctum virum pristina divitiarum affluentia vacuum & nudum aspexit, illius mortem nõ solum corporale, sed etiam spirituale summopere desideravit. *Benedic Deo, & morere.* Septuaginta in-

terpretes ita vertunt. *Dic aliquod verbum contra dominum, & morere Iob. cap. 2.* vbi ad Blasphemias contra Deum excitabat, ita ut non solum corporis, sed etiam animæ iacturam faceret. Quid ad extremam paupertatem, (cum alias divitias affluenter possideret) filium prodigum reduxit? Non aliud nisi mulierum libidinosus amor; Ipsæ namquè eò miserè seductum iuvenem adduxerunt, ut vix glandibus, quibus sues pascuntur, saturari potuerit; Tanta fuit illius egestas & inopiæ magnitudo. Secundo baculus regimen Reipublicæ manifestat, quod sanè statim efflagitat foemineus amor; Nam foeminae suæ conditionis prorsus oblitæ, quàm primum magnate aliquem suo amore captum animadvertunt, clavum reipublicæ tenere, & totius populi gubernacula tractare totis viribus conantur, ac si non ex costa, sed ex Adami capite efformatæ essent. Intueamini mentis oculis Præsidem, aut virum quempiam in publica dignitate constitutum, Ducem, Regem, aut Imperatorem, foemineo amore captum, ac obcecatum; tunc enim foemina in ipsius ditione & regimine imperat, ipsa veram regis personam, alter ementitam gerit, ipsa ad nutum & voluntatem, etiã renuente principe, omnia moderatur ac disponit. Sic Herodiades, etiam contristato Herode, Baptistam decapitari iussit; quia cum infestissimus Herodes puellæ amore cæcutiret, non ipse, sed Herodiades reipublicæ gubernacula tra-

C

la tra-

la tractabat, ipse regio duntaxat titulo gaudebat, Herodiades verò hæreditario amoris iure, & dominio regnum sibi vendicabat. Tertid tandem baculum fiduciam & firmissimam spem indicat, vt rectè demonstrat historia Rablaces præcipui ducis exercitus Sennacherib Regis Assyriorum, qui cùm Hierosolymam obsideret, animadvertens Hierosolymitanos auxilium Pharaonis Regis Ægypti expectare, sic affatus est. *Ecce confiditis super baculum arundineū confractū istum* quasi diceret. Nulla vobis spes in Pharaone Ægyptiorum Rege statuenda & firmanda est. *4. Reg. cap. 18.* Postulat ergò baculum Thamar à Iuda, vt in mercedem suæ turpitudinis, spem saltim & fidelitatem extorqueat; Id namquè machinatur & molitur libido, spei scilicet perniciem & totalem devastationem, Ex qua intelligentia percipietur facilè quæstio illa difficilis, quæ excitari solet in libris Iob; Quare videlicet, cùm dæmon omnia bona patientissimi Iob funditùs evertisset, vsquè ad vltimam filiorum interuentionem, nunquam tamen illius vxorem tetigit, aut in minimo læsit. Sanctus Ioannes Chrysof: cuius mentem sequar, duo respondet, quæ difficultatem euacuant. Primò asserit dæmonem vxorem Iob illæsam reliquisse, vt in tot angustijs secum haberet vetus illud organum diaboli, quo primus noster parens Adamus, à prima illa, & antiqua suæ creationis pulchritudine deturbatus fuit, vt forsitan me-

dia vxore illud reportaret, quod nequè violenta filiorum morte, aut rei familiaris iactura, vel propria persona obtinere potuit. Secundò magis ad nostrum scopum respondet Chyrsf. Id ita à dæmone callidissimè excogitatum esse, vt vxor à sancto Iob spem penitùs auferret, nè illà munitus ac firmissimè roboratus, angustijs & molestijs, vexatus constans & incolumis persisteret. Quo medio, vrgente & instante dæmone, vxor Iob, illum aggressa est. Vt illius animum deiceret, & tandè ad desperationem incitaret. *Benedic Deo & morere. Iob. cap. 2.* Vbi septuaginta ita legunt, vt iam retuli. *Dic aliquod verbum contra Deum & morere.* Quibus verbis persuadebat, & incitabat Iob, vt spe abiecta, contra suum creatorem blasphemias proferret. Sed de his dicta sufficiat, vt ad laudes Beatissimæ Virginis propiùs accedamus, graviter enim, vt iudico, & firmiter comprobatum & roboratum est. concupiscentiam carnis omnium malorum initiū esse, quin & omnium virtutum totalem perniciem, idè nobis Evangelista Matthæus initio huius Evangelij in Davide carnali peccatore & quatuordecim generationibus primò designatis, huius execrandi vitij strages apertè indicavit, vbi concupiscentia carnis suam sæuitiã exercuit; In illis enim in memoriam revocatur incestus Patriarchæ Indæ, Thamar turpitude, Raab etiam describitur quæ exploratores terræ promissionis, intra proprias ædes occultavit, Ruth, quæ pro-

pria

pria arte & industria Booz sibi in matrimonio coniunxit, Davidis etiam adulterium ad mentem reducitur. In secunda huius Genealogie parte, que alias quatuordecim generationes sub se comprehendit, avaritia regum veteris seculi, in Roboam Salomons filio descripta, & ad viuum depicta, recensetur, a quo cum populus & magnates sui regni sumis precibus efflagitassent, ut saltem ex parte onera aliqua & impositiones remitteret; iuniorum consilia sequens noluit concedere, quin potius novis vectigalibus extortis subditorum animos in se concitavit; quo effectum plane fuit, ut decem tribus in illum insurgentes, alium sibi principem & Regem elegerint. In ultima tandem Genealogie linea, que alias quatuordecim generationes sub se continet, Evangelista Mattheus sacerdotum imperium & regimen commemorat, ubi sacerdotum antiqui seculi superbiam & elationem representat. Ex quibus omnibus manifeste constat, in veteri seculo ante Mariam & Christi generationem, concupiscentiam carnis, oculorum, & superbiam vite maxime viguisse, ut Ioannes testatus est. Sed notate dilectissimi, quod Evangelista Mattheus ad antiqui seculi confusionem, & ad presentis edificationem, & novam reparationem in nostro Evangelio tria preclarissima virtutum germina ad extirpanda & eradicanda predicta vitia designat & describit. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de*

qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Ad effrenatam concupiscentiam audaciam comprimendam, Ioseph Beatissimam Mariam sponsus proponitur, qui ita viriliter concupiscentiam impetum compescuit, ut cum legitimus Mariam sponsus existeret, virginitatem tamen mentis & corporis perpetuo colu erit, quod tamen in tota Christi Genealogia inauditum est, cum omnes usque ad Ioseph per corruptionem carnis descenderint, quod per illud verbum, *Genuit*, toties in Genealogia Christi repetitum, haud obscure indicatur, cum vero Evangelista de Ioseph loquitur, solum ait, *Ioseph virum Mariae*, quia solus ille inter suos progenitores concupiscentiam carnis superavit, non obstante matrimonij statu in quo, quod testimonio haud indiget, carnis concupiscentia suam causam iustificat, & æquam putat. Propter hanc virginitatis prerogativam dignus fuit, ut prestantissimam omnium, quæ reperiri possunt, sponsam sibi caste desponderet, ac in matrimonium duceret. Quæ sponsa in dignitate & excellentia etiam supremos spiritus Angelicos excellit, cum sit verissima Dei omnipotentis mater; Hoc matrimonio nullum prestantius aut excellentius excogitari potest; Ex quo Sanctus Ioseph, preclarum etiam & ineffabile Patris Dei nomen, debito castitatis iure sibi usurpavit. Secundum & longe sublimius ab Evangelista designatum germen, Christus est, regum & principum avari-

liam prosternens, vt cum rex regum & dominus dominantium legitimo iure foret (idem significat ea vox Christus, hoc est, victus in regem) & consequenter omnia essent sub sua potestate & dominio, vt indicant illa verba, *Meus est enim orbis terra Psal. 49.* ad huc tamen ad nostram & antiquorum regum ac sacerdotum avaritiam comprimendam, propter nos egenus factus est, vt inquit Paulus, *Egenus factus est cum esset dives, vt illius inopia vos divites essetis. 2. Cor. 8.* Illius enim pauperiem imitantes, caelestibus divitijs affluenter abundabimus. Sic explicat Sanctus Sixtus Papa tractatu de divitijs. Vltimum tandem & praestantissimum huius Genealogiae germen Beatiss. Maria ab Evangelista designatur. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus,* quae sacerdotum veteris testamenti elationem, superbiam & appetitum dominandi ita compressit, vt cum mater Dei, Spiritus Divini sponsa, & omnium creaturarum regina & mediatrix existeret, se tantum ancillam domini salutante & visitante Angelo confiteatur, *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.* Super hanc sanctissime Mariae praexcellenter humilitatem, hodierna luce illius laudes (reiectionis in vitilibus controversijs) proferemus & firmabimus, quas recte & accurate exprimit locus ille. *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris, & vniuersi pulveris pigmentarij. Cant. 3.* Verba sunt spiritus Divini suae

charissimae sponsae Beatiss. Virgini dicta & accommodata. Et vocat illam *Virgulam fumi*, non virgam, sed diminutivo vtens nomine, virgulam appellat, vt suae sponsae profundam humilitatem exprimeret. Fuit sane virgula fumi in propria existimatione cito evanescentis, sed ita efficax & foecunda, vt ipsum Deum, à quo tota haec mundi machina dependet, tanquam pulcherrimum & praestantissimum florem produxerit. *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris.* Rupertus Abbas praedicta verba ad nostram mentem explicans, sic ait. *Quid enim est fumus, & quid pulvis, nisi spiritus lachrimosus, & conscientia valde humilis?* ac si apertius diceret, fumus & pulvis humilem exprimunt, qui in propria & mundi aestimatione cinis & fumus est. *Loquar ad dominum meum cum sim cinis & pulvis. Genes. 18.* Se pulverem & cinerem coram Deo fatetur Abrahamus, & consequenter debilem, infirmum, ac parum constantem & stabilem, pulvis enim & cinis terra emortua & nullius virtutis ac feracitatis est; Sed hoc coram mortalium oculis ita contingere intelligendum est, nam in Dei conspectu cinis & pulvis non terra emortua, sed lapides sunt magni praetij & aestimationis. Quod aperte demonstrari potest, cum Moyses & alij septuaginta Senes Deum conspexerunt, ad cuius pedes lapis sapphyrinus erat. *Quasi opus lapidis sapphyrini, & quasi caelum cum serenum est. Exodi 24.* Notanda sunt dili-

gen-

genter illa verba, quasi opus lapidis saphyri-
 ni. In Hebraea enim versione so-
 lum legitur, quasi opus lateris. Iuxta
 quam versionem ad nostrum propo-
 situm maximum mysterium aperitur,
 materia enim ex qua later conficitur,
 pulvis & limus est. Quomodo ergo Mo-
 yses & septuaginta senes laterem in
 pretiosum lapidem commutatum ap-
 pexerunt? Ea sanè ratio est; Nam pul-
 vis & cinis lachrimosum spiritum, &
 conscientiam valdè humilem repræ-
 sentant, vt Rupertus explicuit, qui er-
 gò in propria æstimatione cinis & pul-
 vis est, coram Deo in lapidè saphyri-
 num commutatur. Idèd Moyse laterem
 sub pedibus divinis constitutum,
 in quo vir humilis & abiectus repræ-
 sentatur, in saphyrum pretiosissimum
 conuersum intuetur; qua propter Spi-
 ritus Divinus Beatiss. Virginem, quæ
 in propria æstimatione fumus erat, citò
 euanescebat virgulæ fumi ex aroma-
 tibus myrrhæ & thuris cõparat; Thus
 etenim suauitatè spiritus, mirra verò
 incorruptionem & mortificationem
 carnis exprimunt. Sicut Virgula fumi ex
 aromatibus myrrhæ & thuris, ac si aper-
 tiùs diceret. Sponsa nostra charissima
 propria exilimatione fumus est, citò
 ascendens & citiùs euanescebat. At no-
 stro iudicio quasi virgula fumi ex aroma-
 tibus myrrhæ & thuris, in illa suauitas
 thuris, & myrrhæ incorruptio ac car-
 nis mortificatio splendet, in ea nihil
 carnale, sed omnia spiritum redolent;
 virgula fumi est, sed non citò euane-

scens, tanta enim virtute pollet, vt ip-
 sum, quem mōtes & colles mundi ex-
 pavescent, suis humeris sustentare pos-
 sit; Pulvis est, sed pigmentarij myrrhæ
 & thuris. Sicut virgula fumi. Diuerso
 modo vertunt prædicta verba sacri ex-
 positores, aliqui sic vertunt, sicut pal-
 ma fumi, alij, sicut columna fumi, San-
 ctus Ambrosius epist. 62. sic prædi-
 cta Verba exponit, sicut virgularum seu
 stipitum fumi, quæ omnes versiones hu-
 militatem Beatissimæ Virginis extol-
 lunt & prædicant. In columna quidem,
 cui tota domus machina innititur, & in
 palma, quæ fortissima arbor est, cum vi-
 ventorum agitata incolumis semper
 persistat, humilitatis Beatiss. Virginis
 magnitudo clarè ostèditur. Sicut virgu-
 larum seu stipitum fumi (inquit Am-
 brosius.) quæ etiam explicatio rectè
 magnitudinem humilitatis adumbrat,
 facile enim est vnâ aut alteram vir-
 gam manibus confringere, vnū aut a-
 lium stipitem conuellere, sed plures si-
 mul difficile sanè est; Vbi præstantia
 humilitatis Beatiss. Virginis Mariæ
 clariùs exprimitur & extollitur, quæ
 tanta fuit, vt ipsum mundi opificem &
 molitorem sola sustinuerit, & susten-
 tauerit, ac in proprio gremio receperit.
 Quæ omnia stupens Sanctus Petrus
 Chrysologus sermone 140. sic ait. Qua-
 lis sit Deus satis ignorat ille, qui huius Vir-
 ginis mentem non stupet, animam non mi-
 ratur, Pauet cælum, tremunt Angeli, cre-
 atura non sustinet, natura non sufficit, &
 vna puella sic Deum in sui pectoris gremio
 capit,

capit, recipit, oblectat hospitio, ut pacem terris, cœlis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cœlestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium pro ipsa domus exigat pensione.

Ex aromatibus myrrha & thuris. His verbis duo humilitatis contraria effecta nobis aperiuntur, humilis enim bona opera patrata celat & occultat, dum tamen magis ab ipso operiuntur, eò magis patescunt & elucet. Quemadmodum enim peccatum, licet latenter & occultè perpetretur, tandè cœlum clamoribus excitans pluribus innotescit, vt in peccato Cain manifestum fuit, ita domino attestante & asseuerante. *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Et alibi; *si malè egeris, peccatum tuum in foribus aderit.* Genes. cap. 4. Sic virtus humilitate contecta, magis eminent & se omnibus videndâ ostentat. Quod ni fallor, indicare voluit Spiritus Divinus sigillatim annumerâdo & designando species aromaticas, ex quibus Beatiss. Maria tanquã aroma singulare, ac planè diuinum coalescit. *Ex aromatibus myrrha & thuris, & vniuersi pulveris pigmentarij,* quantumuis enim virtutes humilitate lateant, quemadmodum & diuersa odorum genera in aromate occultantur, vt vix illorum differentia percipiatur, sitamen ex corde amore diuino inflammato oriantur, omnibus apertè innotescunt, sicut & odorum diuersa genera quæ in aromate latent, si ad ignem applicentur, omnibus conspicua sunt. *Ex aromatibus myr-*

rha & thuris. Idèd Spiritus Divinus in Maria sigillatim myrrham mortificationis & orationem in thure repræsentatam designat. *Et vniuersi pulveris pigmentarij;* item omnia virtutum genera in publicam lucem eruit, nè obscurata tenebris, aliquo modo oblivioni tradantur. Quod nulla alia ratione nostro iudicio à Spiritu Divino effectum est, nisi quia Beatissima Virgo præ humilitate, suas virtutes occultare & abscondere nitebatur, idèd in publicam lucem eruuntur ac manifestantur, vt ipsa etiam in suo cantico insinuat. *Quia respexit humilitatem ancilla sua.* Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Luc. 2. Quibus verbis non vult indicare solam humilitatem diuinis oculis placuisse, sed omnes etiam virtutes, humilitate tamen tectas & occultatas, quæ non solum Dei, sed omnium etiam creaturarum oculos post se tulerunt. *Idèd beatam me dicent omnes generationes.* Ac si diceret; *Quia virtutes humilitate cooperui,* idèd non solum Dei, sed etiam omnium mortalium oculis patefient, *Et vniuersi pulveris pigmentarij.* Hic aliquid altius perpendendum est; Spiritus enim Diuinus omnium virtutum & cœlestium aromatum pigmentarius, tantè humilitatis motiuo ductus, omnes & singulas gratias, virtutes ac prærogatiuas, quæ in alijs iustis diuissim reperiuntur, in Beatissima Virgine quasi in vnum excellentiori profus modo collegit & colligavit; quare sola ipsa plures gra-

tia

tia, charitatis gradus adepta est, quam omnes simul homines & Angeli, etiam si in vnum conueniant. Ita asserit Bernardus S. serm. 15. de festiuitatibus Beatiss. Virg: in cuius confirmacionem, asfert illa verba, *Multa filia congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Proverb. cap. 31. Ex quo infert Sanctus Augustinus & refertur à sancto Bonaventura in speculo Virg: cap. 6. Deum intensius Beatiss. Virginem dilexisse, quam omnes alios sanctos, etiam si collectim sumantur. Hæc sunt verba sancti Augustini. *Te ipse Rex regum, vt matrem veram & decoram sponsam, præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat.* Et in eodem cap. *Quid mirū si præ omnibus diligit &c.* Et hinc oritur quòd sancti patres verba sacre scripturæ magis significatiua & demonstratiua amoris diuini ergà creaturas, applicant & accommodant Beatissimæ Virgini, qualia sunt illa. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum;* Cant. 4. Ac si diceret sponsus, suum maximum amorem manifestans; Charissima & dilectissima sponsa, non solum tui amore captus sum, sed etiam mortuus & exanimis, vitam cum morte commuto, quòd planè indicant illa verba. *Vulnerasti cor meum.* Vulnus enim cordi inflictum etiam si paruum sit mortem tamen certissimè infert. Nec mirandum Deum plus Beatiss. Virginem, quam ceteros sanctos dilexisse, cum in illa maior &

excellentior gratia & charitas reperiretur, ex qua amor Dei ergà creaturam pensandus & colligendus est. Aliud addam & verissimè proferam, ad sanctitatem Beatiss. Virginis efferendam & extollendam, quod humanum & Angelicum ingenium superat, nullam scilicet gratiam gratiæ Christi seruatoris nostri similiorem esse, & proximiorum gratia Beatiss. Virginis. Quod graviter comprobari potest, si diligenter perpendamus gratiam Christi Domini dignitati capitis Ecclesiæ & Verbi Diuini maiestati proportionatam fuisse, & cum nulla maior dignitas & maiestas excogitari possit dignitate capitis Ecclesiæ & maiestati vnigeniti patris æterni, hinc apertè conuincitur, gratiam Christi Domini omnè gratiam cunctorum Angelorum & hominum longè superasse; Cùm ergo post dignitatè Christi nulla alia maior sit dignitate matris Dei, inde etià colligi manifestè potest, quod sicut gratia Christi gratiam cunctorum Angelorum & hominum excelluit, ita etiam proportiòatè loquendo iuxtà dignitatè matris Dei, gratia ipsius Beatissimæ matris gratiam cunctorum hominum & Angelorum excessit & longo intervallo superavit. Quo motivo Beatus Bernardus asseruit gratiam in Christo, tanquam in fonte & primo principio reperiri, in Maria verò sanctissima tanquam in canali & aque ductu, per quem gratia Christi domini ad alios Ecclesiæ sanctos

de-

derivatur, in alijs vero sanctis tanquam in quibusdam riuulis inueniri. Christus saluator & redemptor noster caput est & origo gratiæ præstantissimæ, quam in sua membra liberaliter diffundit; Maria verò collum est Ecclesiæ, cui primò tota capitis gratia communicatur, ex quo postea ad alia mystici corporis membra derivatur, in quo peculiarem quandam eminentiam sortitur collum inter alia corporis membra, sua enim peculiari vita gaudens, aliorum etiam membrorum vita potitur, cum ex capite per collum ad cæteras corporis partes deriuetur. Omnes sancti, qui in Ecclesia reperiuntur, membra sunt corporis Christi mystici, ipse Christus caput est, à quo omnia membra spiritualé gratiæ vitam mendicant, collum vero Beatissima Virgo. Hæc igitur est eminentia Beatiss. virginis, in qua omnia alia Ecclesiæ membra antecellit; cum enim collum sit, sua peculiari gratiæ vita fungens, quæ ad alia membra non descendit, ipsam etiam Christi capitis & aliorum sanctorum vitam prius in se continet, deinde per Ecclesiæ membra distribuit. Ideò spiritus sanctus sponse collum ita extollit. *Sicut turris David, collū tuum, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium. Cant. 4.* quia ex illo tanquam ex arce ac turri munitissima fortissimorū virorū arma & insignia pendent, omnes sanctorum virtutes ac peculiare prærogativa, stemmata, ac omnis armatura fortium; Quia ut dicit sanctus Anselmus. *Existi-*

mandum est Beatiss. Virginem ea puritate niscere, quā maior sub sole nequeat intelligi. Placeat Divinæ maiestati, vt ex Christo tanquā ex capite & fonte, per hoc Ecclesiæ collum gratia divina ad nos descendat, quā insigniti & exornati, æterna gloria digni inueniamur. Quam mihi & vobis, &c.

Sermo Tertius.

PRO SALVTATIONE Angelica.

Notanda sunt illa verba quæ habentur psal. 86. *Homo natus est in ea, ipse fundavit eam altissimus, dominus narravit in scripturis populorū.*

Vbi excellentia præsentis festivitatis cõmendatur; Hodie enim Ecclesia Catholica celebrat prima illa fundamenta, quæ ad domum & templum Dei in terris erigendum iacta fuere, fundamenta sanè ita solida & firma, vt non mortalium sed solius Dei manibus jacciantur. *Ipse fundavit eam altissimus.* Licet enim vt homo natus sit in ea, sub humili & abiecta pauperrimi infantis forma, illam tamen vt altissimus, & omnipotens fabricatus est. Reges, prophetæ & Patriarchæ in genealogia Christi designati aliquid cõtulerunt, vt templum hoc amplissimū exstrueretur; sicut

Sicut & præstitere olim principes Israel ad ædificationem templi Salomonis, honorem tamen & ædificij nomen, solus Salomon sibi vendicavit. *Salomonem elegit Deus ad huc puerum & tenellum, opus enim grande est. 1. paralip. cap. 28.* Ipse solus prima fundamenta jecit, & priorem illius fabricæ lapidem firmavit. *Ipse fundavit eam altissimus.* Opus enim grande est; Ita in pulcherrima & elegantissima huius novi templi fabrica extruenda accidit, noluit enim supremus artifex, vt alius primum lapidem supponeret, aut propria subscriptione notaret, *ipse fundavit eam altissimus*, hoc Beatissimæ Mariæ opulentissimum templum non alijs, sed proprijs manibus molitus & fabricatus est. Et sicut in illustrissimis templorum ædificijs fieri consuevit, vt præclarus aliquis Antistes primum lapidem monetâ præciosâ consignatum, constituat; non dissimiliter Deum effecisse in tam pulcherrima Mariæ machina efformanda, existimandum est. *Ipse fundavit eam altissimus*, proprijs manibus in sua formatione composuit, illamque præstantissimæ & excellentissimæ gratiæ monetâ consignavit tanti prætij & æstimationis, vt nec Apostolorum, nec supernorum spirituum divitiæ etiâ simul sumptæ ei cœquari possint. Difficile sanè erit de tantis ac tam illustribus fundamentis dignè aliquid proferre, cum à solo Deo in quantum altissimus constituta sint, forsitan illud mysterij latet in illis psalmistæ

verbis: *Dominus narrabit in scripturis populorum*, ac si apertius diceret. *Domum erectam, & altissimis Dei manibus fabricatam, quis poterit humana lingua & voce dignis laudibus efferre? Dominus narrabit in scripturis populorum*, non alius præter Deum, aut verbum illius scriptum in sacra scriptura contentum. Nisi adsit mihi gratia spiritus diuini, vix & ego aliquid proferre potero, hanc enixè postulemus, dicentes Ave Maria. &c.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, Matth. cap. 1.

NOstra mater Ecclesia spiritu Divino afflata inter varias festiuitates, quas totius anni decursu Beatissimæ Mariæ dicat & consecrat, tres tanquam magis præcipuas, & pluribus mysterijs ac arcanis plenas, iucundiùs celebrat. Prima est festiuitas conceptionis, quando fuit in vtero materno Annæ concepta. Secunda, quando Deum concepit. Tertia, quando cum corpore simul & anima ad cœlestia regna evolavit, vt immensa præmia suis hæroicis virtutibus debita, integrè caperetur. Hæc tria festa, & hi dies iucundissimi, idèd maiori gloria & maiestate referti sunt, & ab Ecclesia maiori jubilo & lætitia celebrantur, quia in vnaquaque harum festiuitatum, sanctissima Virgo peculiarem Dei cognationem

D

tio.

tionem, & quasi infinitam dignitatem consecuta est. In incarnatione verbi divini, cum illud in suo utero concepit, supremam matris Dei dignitatem sibi comparavit, illo puncto & momento, quo Angelo incarnationem verbi nuntianti consensum his verbis prebuit. *Fiat mihi secundum verbum tuum. Luc. 1.* Tunc matris Dei infinita dignitate decorata fuit, atque aeterni patris filium viventem, integrum ac perfectum felicissimè concepit, cum alia feminæ nec viventem aut integrum factum, sed monstruosum & insensibilem concipiant. In sua verò suprema ad celos assumptione, perfectè & integrè honorificum sponsæ Dei titulum acquisivit, licet enim antea Deo per gratiam desponsata fuerit, nondum tamen, antequam æthereum Thalamum conscenderet, aeternæ nuptiæ celebratæ & cõsumatæ fuerût, idè Evangelista Ioannis Ecclesiam triumphantem, sponsam & uxorem agni appellat. *Veni ostendam tibi sponsam uxorem agni. Apoc. 21.* Cùm ergò Beatissi. Virgo præcipua sit inter omnes partes Ecclesiæ triumphantis, in illa præclarissimum sponsæ Dei titulum adeptæ est, in sua verò sanctissima conceptione, filie Dei rem & nomen consecuta est, tunc enim propter iustificantem gratiam, & plenitudinem charitatis sibi liberalissimè concessam, filia Dei constituta & proclamata fuit. Quia ergò prædictæ dignitates & excellentiæ inter omnes alias, quæ Beatissi. Virgini attribuuntur, præ-

cipuum locum sibi vendicant, idè tres prædicti dies, ab Ecclesia ad illarum perpetuam memoriam recolendam designati, celebriores, & iucundiores sunt. Quæ cum ita sint, diligentius & accuratius pòderandum est, quænam istarum festivitatum celebrior & excellentior sit. Quod apertè constare non potest, nisi dignitates ipsas & prærogativas, ex istis festivitatis ortas, quibus Beatissi. Virgo cognitionem & affinitatem cum Deo contraxit, inter se conferamus & ventilemus, ex his enim pendet huius rei certitudo & evidètia; Qui namq; clarè cognoverit, quænam istarum dignitatum maior sit, certissimè etiam allequetur, quænam istarum festivitatum celebrior & magnificentior existat. Quæ omnia inter se dilucidare & discutere difficillimum sanè videtur, cuius rei difficultas clariùs innotescet, si ad peculiaris amoris vincula, quibus Christo sanctissi. Virgo copulata fuit, iam titulo sponsæ, iam matris, iam filiæ primogenitæ per plenitudinè gratiæ, mentis aciem convertamus; ita enim inter se certant, ut quilibet peculiaris amor suis titulis ac dignitatibus correspondens, sibi palmam & præminentiam appetere velit. Quis quæso inter se discernet & cõferet excessivum amorem Iacob ergà Rachel, & amorem quo afficiebatur erga suum filium Ioseph? quis alterum alio præponet, ac maiorem asseret? Iacob enim maximo amore, psequutus est pulcherrimam Rachel, cum pro illa tot an-

nis

nis pastoris munus obierit, de quibus refert sacra scriptura, breves & paucos viros fuisse Iacob præ amoris magnitudine; ita sanè suam sponsam diligebat, vt si citò properantem vitæ terminum non pertimesceret, plures alios annos & longiora temporis spatia in gratiam & maiora suæ sponsæ obsequia cõsumsisset, vt postea concupito bono fruere- tur. Amor etiam erga suum filium charissimum Ioseph in tantum excrevit, vt inter suos fratres zelum & invidiam concitãrit, ita vt invidiã & zelo commoti & perturbati, in Egyptũ pro vilissimo mancipio eum vendiderint; cùm ergò Iacob visis sui filij vestibus cõspersis sanguine, illũ mortuum existimãset, scidit statim vestimenta sua ac cilitio indutus, continuas lachrimas amarissimè profudit. *Et congregatis cunctis liberis suis, vt linirët dolorem patris; nota- it eos audire, sed dixit. Ferã pessima devo- ravit filium meum Ioseph. Genes. cap. 37.* Mærore enim & tristitia confectus, nihil aliud quàm mortem oppetebat, vt saltim post obitum filium suum in alio sæculo comorantem, cerneret. Verùm cùm eundem post longa tempora vivum & principem conspexit, iam non viuere, sed mori præ gaudio & lætitia sumòperè exoptavit, nè forsitan magnitudine gaudij aliqua huius vitæ molestia deleret, vel saltim turbaret. Quæ cū ita sint, quis duplicem istũ amorem inter se discernet, ac vnũ aliomaiorè & intensiorè iudicabit? Inter illos iudiciũ ferre difficile sãd est. Si ergò inter naturalem amorè inter puras creaturas repertũ, viz

discrimen aliquod quoad magnitudinè inveniri potest, quomodo supernaturalè amorè Mariæ sanctiss. erga Christũ in vestigabimus, & quoad magnitudinem & intensiõem iuxta diversitatem dignitatum perpendemus? Quo videlicet titulo aut dignitate, an sponsæ, vel matris Dei, an verò primogenitæ per gratiæ plenitudinè intensius Christum dilexerit? Sponsæ dignitas in suæ præstantiæ & excellentiæ defensiõem, vt intensiorem amorem astruat, supremam vnionem cùm sponso pro se citat; de solo enim matrimonij Sacramento, quo sponsæ titulus acquiritur, scriptum habetur. *Erunt duo in carne vna. Genes. cap. 2.* Ex quo videtur colligi inter sponsam & sponsum supremum amorem intercedere, cùm amor ex propria ratiõem vnio & nexus sit inter amantes. Filix primogenitæ per gratiam dignitas, pro se assert paternæ naturæ participationem, & cõsequenter ius naturæ ad hæreditatem, omnia bona, ac diviti- as Dei capescendas. Tandem dignitas matris Dei ad suam præstantiam extol- lendam pro se adducit; quòd virgo sanctiss. tantã dignitate insignita, eam naturam verbo contulit, quã nobiscũ in terris comparuit: Deinde infinitatem quandam, quam ex Deo, cuius vera mater extitit, adeptã est; Alia etiam de ipsa afferuntur propter infinitam matris Dei dignitatem, quæ admiratione dignissima sunt, cùm suum creatorem & molitorem genuerit, lactaverit, & proprio alimento nutriverit. Sed si ex diuinis litteris hanclitè graviter &

doctè dirimerelicium est, ex illis colligi posset, supremam dignitatem Beatissimæ virginis illam fore, quam in sua sacratissima conceptione comparavit, cum filij Dei primogenita per gratiam extitit; licet enim matris ac sponsæ Dei dignitas maximè exornèt, & tanquàm excellentes prærogativæ euehant & ad cælum vsq; extollant Beatiss. Virginem, istæ tamen tanquam radicem & fundamentum, cui nituntur, præstantissimam dignitatem filiaæ Dei primogenitaæ per gratiam & plenitudinem charitatis supponunt, sine qua Deus in Beatissima Virgine alias matris & sponsæ suæ prærogatiuas nõ exstrueret. Quod ergo Maria sanctissima prædictis excellentijs decorata fuerit, & illas non meruerit, gratiæ iustificanti, quàm in filiaæ Dei ordine dignitatis primogenitam, ac inter omnes creaturas præstantissimam evecta est, tanquam primæ radici attribuendum est. Vnde rectè inferre possumus, Mariam sanctissimam talem filiam primogenitam Dei extitisse, vt mater Dei esse, & nuncupari meruerit, quod tota Ecclesia his vocibus decantat: *Quia quem meruisti portare, resurrexit sicut dixit.* Suprema tamen filiaæ Dei per gratiam primogenitaæ dignitas tanta est, & tam excellens beneficium, vt nec ab ipsa, nec ab alia pura creatura mereri potuerit; prima enim gratia, secundùm veritatem Catholicam, sub merito cadere non potest: illa ergò quæ viribus gratiæ & sanctitatis maternitatem Dei emerita est, ipsam tamen fi-

lia primogenitaæ gratiam mereri non potuit; Sicut ergò maius & excellentius est dignitatem regiam mereri, quàm illam adipisci; ita humano more loquendo, præstantius videtur, quod Beatiss. Maria matris Dei dignitatem emerita, quàm quod eam adeptafuerit: Tanta est etiam eximia ac sublimis filiaæ primogenitaæ per gratiam dignitas & amplitudo. Petunt Theologi de operibus ad extra sermõem facientes, ac effectus à Deo productos inter se conferentes, quid nam excellentius sit, opus nõ iustificationis an glorificationis; Et verissimè respondent, opus iustificationis esse præstantius; cuius rationem reddunt, quia maior distantia est inter peccatum & gratiam, quàm inter gratiam & gloriam, maius etiam beneficium Deus peccatori confert, suam amicitiam & gratiam communicando, per quam filius Dei constituitur, quàm iusto æternam gloriam conferendo; quod si gloria maius & excellentius bonum apparet, id sanè ratione gratia quam connotat & supponit, intelligendum est, si enim sine illa nudè concipiatur, gratia longo intervallo gloriam superat & antecellit. Quare si gloria, quæ hæreditas filiorum Dei est, sine gratia nobis proponeretur, vt præstantius bonum eligenda esset gratia, & gloria remittenda; idè Apostolus Paulus inter hæc duo bona pluris estimavit gratiam quàm gloriam, cum ardetissima ex charitate ita aiebat. *Operam anathema esse à Christo pro fratribus*

Bus meis. Rom. 3. Id est, carere hæreditate gloriae, si pro spiritali bono fratrum meorū, vt omnes lucrī facerem, necessarium foret. Apostolus non optat carentiā gratiæ propter fratres suos, stultissimum enim esset pro alijs gratiam & amicitiam Dei desiderare, & velle propriam perdere, vt extranei acquirant; Voluit ergo Apostolus Paulus in Dei gratiæ & amicitia persistens, hereditate glorię si op^o esset, pro spiritali incremento fratrum suorum priuari. Sicut ergo gratia ad gloriam nudè acceptam cōparata, maius & excellentius bonum iudicandum est ita dicendū prædictas dignitates inter se conferendo. Maior enim & præstantior est in sacratissima virgine filię Dei primogenitæ per gratiam dignitas fulgentissimā matris Dei prærogativā, si nudè & per se præfatæ dignitates conferantur. Quę doctrina licet novitatem aliqua in prima fronte manifestet, cū comuniter receptum videatur, dignitatem matris Dei in Maria sanctissima præclarissimum & præstantissimum encomium esse, quod & subindicavit Evangelista Matthæus, strictè & breuiter comprehendens quidquid efferri potest de Beatiss. Virgine, his Evangelij verbis. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. 1.* Vbi in dignitate matris DEI omnes laudes Marię sanctissimæ compressit, & quasi in vnum colligavit. At si ista oculatiùs perlustremus, verissima esse reperientur, quæ à nobis hīc insinuatæ sunt, neq; novitatem præ se ferunt,

jam enim diu in divino pectore hæc veritas latuit, quā Deus nobis in tempore per Evangelistam Ioannem aperuit. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ioan. 1.* Existentes in gratiā & Dei amicitia, filios Dei vocat, non vtcunque, sed inefabili & divina natiuitate generatos, vt sequentia verba indicant. *Nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt,* hoc est, ex gratiā & amore divino in hanc lucem editi; Quia, vt Caietanus circa relata verba rectè perpendit, iusti gratiā Dei insigniti & exornati, cordis & amoris Divini filij ex Divino pectore geniti & procreati congruè nuncupari possunt. Confirmari etiam potest huius dignitatis excellentia; quia precipuus scopus & motiuum adventus Dei secundum carnem, hæc filiorum Dei per gratiam mirabilis generatio censenda est. Ided Evangelista Ioannes, postquam relata verba protulit, *Sed ex Deo nati sunt.* Statim addidit. *Et verbum caro factum est.* Vbi illa dictio copulatiua, *Et,* vim causalis dictionis sortitur, ac si Evangelista diceret: quapropter *verbum caro factum est.* Ex quo clarè deduci potest, Deum in hæc terrarum sola hoc sine & motivo ductum, descendisse, atque Mariam sanctissimam in matrem designasse, vt filios Adæ, qui per peccatum filij iræ erant, in filios Dei commutaret, & matrem suam in charissimam filiam transferret, ita expressè vniuersalis Ecclesia fatetur. *Qui propter nos homines*

& propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de spiritu sancto ex Maria virgine, & homo factus est. In Symb. Finis ergo adventus Dei secundum carnem, supernaturalis vita gratiæ existimanda est. Ante divini verbi incarnationem emortuum erat propter peccatum vniuersum genus humanum, atque iure capescendi gloriam privatum, DEUS tamen nostræ conditionis misertus. Propter nostram salutem descendit de cælis: vt ad vitam gratiæ revocati, & ad suam divinam filiationem gratiosè restituti, ius legitimū ad vitam beatam obtinendam acquireremus, tanta est filiorum Dei dignitas & excellentia. Nostro sanè iudicio nobis certissimum videtur, quod si Archangelus Gabriel Mariæ sanctissimæ dignitatem matris Dei tali pacto & conditione offerret, vt scilicet filiatione divina per gratiam priuaretur, nullo pacto oblatam Matris Dei dignitatem acceptaret, sed potiùs filiationem Diuinam, quæ per gratiam fruimur, prudentiùs eligeret; Si enim Beatiss. virgo Matris Dei dignitatem cum detrimento suæ Virginitatis non acceptasset, vt plures sanctorum patrum affirmant, & colligitur ex illis verbis. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Luc. 1. existimabat enim cum detrimento suæ virginitatis futuram esse matrem Dei, tanti suam virginitatem faciebat, vt sine eadem propria voluntate pensatâ, durum sibi videretur talem dignitatem admittere.

Quod si ita est, potiori sanè iure filiationem Dei per gratiam eligeret, si matris Dei dignitas cum iactura Diuinæ filiationis proponeretur. Quæ omnia grauissimè confirmant, quod in Beatiss. virgine præstantior est filiarionis Diuinæ dignitas, per quam primogenita inter omnes creaturas effecta est, quàm maternitas diuina. Tantæ dignitatis præstantiam admiratus Evangelista Ioannes, sic ait. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Ioann. cap. 3. Ac si diceret, nullū donum excellentius excogitari potest, hoc solum dignum est, vt perspicacissimis oculis conspiciatur. Et forsitan hæc erit causa & mysterium secretissimum, quare Christus redemptor noster sanctissimam Mariam roto tempore, quo cum illa in terris conuersatus est, nunquam matrem, sed solum mulierem appellarit, id non sine mysterio effectum est: hoc planè indicavit; nempe quod in sua sacratissima Matre aliquid dignitate Matris præstantiùs latebat, quo exornanda foret, si iuxta titulos & dignitates, quibus splendebat, nuncupanda esset, idèd Matris Dei dignitatem reticuit. Quod si adhuc aliquis scrupulus mentem vestram stimulat, frequentiùs enim Ecclesia Catholica Mariam sanctissimam matrem Dei, & rariùs filiam appellat, quod planè non præstaret, si alia excellentior & præstantior dignitas in illa reperiretur; Ad quod dico, Ecclesiam quidem frequentiùs matrem Dei, sacram tamen scri-

scripturam crebrius filiam Dei nuncupare, & in vtroq; tam Ecclesia quam scriptura sacra altissimum intentum obseruant; Ecclesia etenim accommodatius nomen vsurpat, vt peccatores ad seriam poenitentiam alliciat, & vt fideles intelligant & certo fidant sua vota impleri, & suis orationibus postulata impetrare, si auxilium Beatiss. Virginis implorent; Mater enim ea quæ a suo charissimo filio instanter postulat sine vlla difficultate consequitur, vt indicavit Salomon matrisuæ Bersabee. *Pete mater mea; nequæ enim fas est, vt auertam faciem tuam.* 3. Reg. cap. 2. Quem morem Ecclesia nostra se ðtata est, cum à Deo pro suis filijs aliquid efficaciter impetrare intendit; Mariæ enim omnipotentis Dei sanctiss. matris auxiliu implorat. *Monstra te esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.* In hymno. At spiritus diuinus in sacra scriptura, quæ est verbum illius scriptum, præcipuè filiationem Dei per gratiam intendit, vt omnes filij DEI nominemur & simus, ad illam obtinendâ exemplo sanctissimæ Mariæ invitât, sepius filiam Dei nominando, vt omnibus fidelib⁹ aperte innotescat illam, quia inter Dei filios illustrior, inæstimabiles Matris & sponse Dei diuitias assequutâ fuisse. Et vt aliquem sacra scripturæ locum ad huius confirmationem in medium proferamus, inter varia illum eligamus, qui habetur. *ps. 44. Audi filia & vide, & inclina aurem tu-*

am. & obliviscere populũ tuum, & domum patris tui. Quæ verba in propriissimo sensu Beatiss. Virgini accommodantur, præcipuè cum illam Angelus ex parte DEI ad concipiendum saluatorem invitabat. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Hæc verborum & terminorum multiplicatio magnam energiam & emphasin continet, indicat enim & demonstrat, verbum DEI non esse vtcunque, sed summa mentis attentione auscultandum & fidelissime obseruandum, quod planè homines in filios DEI transformât, vt Christus dominus per Evangelistam Lucam affirmavit, cum devota illa scemina coram omnibus vocem extulit. *Beatus venter qui te portavit, & vbera qua suxisti.* Luc. 11. Tunc Christus assertor noster, nè aliquis ex discipulis aut auditoribus qui astabant, illam esse maiorem laudem Beatissimæ Virginis existimaret, statim dixit. *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quibus verbis audientes & observantes verbum DEI beatiores esse asseueravit; Vbi diligenter notandum est, quod illud positiuum (Beati) substituitur & subrogatur loco comparatiui, & idem valet, ac si diceretur. *Quinimò beatiores sunt, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quod in sacra scriptura commune est, vt patet ex illo Davidis. *Bonum est sperare in domino, quàm sperare in principibus.* ps. 117. Id est, melius est sperare in dño, quàm in

prin-

principibus; quia ergo Beatiss. Virgo inter omnes creaturas verbum Dei attentius audiuit, ac diligentius implevit, idem inter omnes Dei creaturas in gratia primogenita filiae primatum tenuit. Ad ipsam ergo pater Divinus relata verba direxit. *Audi filia, & vide & inclina aurem tuam: Et postea subdit. Et obliuiscere populum tuum & domum patris tui.* Forsitan populus iste Mariae sanctissimae, quem oblivioni tradendum monet hic pater aeternus, Iosephum representauit cuius Beatiss. Virgo mentionem faciens ita ait. *Et radicavi in populo honorificato. Eccles. 24.* Hoc est, firmissimas radices & altissima fundamenta jeci honestissimo Iosepho nubens, ac illi vitam honorem & personam committens, ita enim meum honorem gloriam & famam observavit, ut cum gravidam & ex uberibus infantem pendente conspiceret, nihil sinistrum cogitavit. Quae cum ita sint, quis dicit Beatiss. Virginem tantum virum oblivioni tradituram esse? Amor enim & obsequia erga suam charissimam sponsam praestita immortalis memoria dignum reddebant. Quomodo ergo obliuisci poterat, cum etiam peccatorum non obliuiscatur? ut Ecclesia decantat. *Nec abhorres peccatores, sine quibus nunquam fores tanto digna filio.* Quae si vera sunt, quomodo a patre aeterno dicitur *obliuiscere populum tuum?* Recte sane, his enim verbis tantum indicatur Beatiss. Virginem non esse castissimo Iosepho totaliter tradendam,

licet enim alterius matrimonij debitum hoc exposcat, in isto tamen indignum foret, ut sponsa corpore servitij & obsequiis suo sponso mancipetur. *Obliviscere populum tuum;* quamvis enim Iosepho nupta, firmas radices super populo honorificato ad famam & bonum nomen tuendum ieceris, ipse tamen in te radices mittere nequaquam poterit, iam enim Deus nosset, si alius virginale pratum elaborasset, non ex terra pura & virginea nasceretur. *Obliviscere populum tuum & domum patris tui. psal. 44.* Per domum patris tui intelligit hic spiritus Divinus felicissimae Annae veterem, & praedictis verbis vult sanctissimae Mariae insinuare & persuadere, ut generationis carnalis quam in utero materno Annae generata, & procreata fuit, penitus obliuiscatur, frequens enim generationis carnalis memoria, spiritualis utique generationis quae magis nostra interest, oblivionem causare, & efficere solet. Ait ergo spiritus Divinus, *Obliviscere domum patris tui* in qua carnaliter fuisti genita, & per quam filia Ioachim extitisti, & gratam considerationem, in tuam spirituales generationem per quam prestantissima filia Dei fuisti, solum defigas, quod si attenda mente id quod ex carnali generatione Ioachim derivatum fuit, contempleris, & id quod ex spirituali per gratiam generatione tibi accrevit, recte perpendas, qualiter filia Dei primogenita, & in vivum Dei templum ex sola voluntate Dei electa &

ad

ad id præclarissimis gratiæ privilegij consecrata, *Concupiscet rex decorem tuum. psalm. 44.* Rex regum & dominus dominantium tam eximiam pulchritudinis amore allectus & captus, non solum in primogenitam gratiæ filiam, sed in matrem & charissimam sponsam eliget, in matrem, vt ex tuis visceribus in salutem generis humani nascatur. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus;* In sponsam, vt filiorum infinitam multitudinem DEO præstantissimo sponso tuo concilies & revoques. *Audis filia & ride.* Notate filij charissimi, quomodo spiritus divinus Mariam sanctissimam absque proprii parentis offensione, suam filiam vocat, & sponsam absque Iosephi legitimi sponsi sui detrimento aut molestia appellat, quin & verbi divini legitima mater absque vlla æterni patris iactura existit, qui puram creaturam esse vniuersæ gloriæ suæ matrem non dedignatur; Notate deinde quâ ratione summus præpotensque dominus pulchritudinem & gratiam, quam in illa constituit, concupierit. Talis enim & tanta est pulchritudo Beatiss. virginis, vt post se Dei oculos & cor efficacissimè rapiat, sicut ipse in canticis fatetur. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno crine colli tui. Cant. 4.* Quasi diceret, soror mea & sponsa dilectissima, quidquid in te considero, siue oculum, vel capillum, siue quippiam aliud ad te spectans, meum ani-

um & cor attrahit ac post se ducit: In alia versione sic legitur. *Vendicasti tibi cor meum soror mea sponsa.* Hoc est appropriasti tibi. Rectè exclamare possumus; O admirabilem & ineffabilem Mariæ sanctissimæ per gratiam primogenitæ prærogatiuam! de qua verè asseri potest, cordis Dei dominium habuisse. Quid à Deo quantumvis difficillimum non impetrabit? sed quid tantam excellentiam stupemus, & ex illa in maximam admirationem rapimur, cum immensam gratiam & spiritus divini donis, tanquam margaritis fulgentibus decorata & exornata fuerit. Ad cuius ponderationem notate tertio, vt eximiam Mariæ in ordine gratiæ venustatem ac pulchritudinem saltem adumbrare possitis; Deus enim iuxta pondus suæ voluntatis in ea gratiam collocavit, idemque sibi in filiam, matrem, & charissimam sponsam elegit, eam præstantissimis donis exornavit. Perpendite quæso, charissimi auditores, quam pulchritudine decore & venustate vestram filiam & sponsam exornaretis, si id in vestra voluntate situm esset: sine dubio omnem vobis possibilem curam adhiberetis, vt omnium oculos & animos secum traheret, & certatim alliceret: existimate ergo in Dei electione & arbitrio fuisse constitutum, quod suæ charissimæ filiæ, matri, ac sponsæ illam pulchritudinem & decorem conferret, qui eius mentem, affectum & voluntatem raperet, ad quod præstantissimum

E

dum

dum, nec potentia, nec voluntas, aut animus defuit. Quæ igitur erit pulchritudinis Beatiss. Mariæ magnitudo & præstantia? Maxima sanè & inaudita, quam brevius & cum admiratione explanat sponfus. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Cant. 4.* Bis eam pulchram appellat, vt simul pulchritudinem corporis, cuius formatrix est natura, & pulchritudinem animæ à spiritu sancto collatam, apertè indicaret, qui post attentam omnium illius partiù considerationem, cùm nihil sibi displiceret, verùm omnia illius animum raperent, statim illa admirationis & stuporis verba subdidit. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es.* Ac si diceret. Nihil in te vel minimam labeculam animadverti, etiam si diligentissimè & perspicacissimis oculis, quos nihil latere potest, circumspexerim, quapropter sponfus divinus tantam pulchritudinem admirans dixit. *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es.* Cernite quæso animis & diligenter perlustrate, charissimi auditores, sacratissimum Virginis corpus tam accuratè compactum & compositum, cui nihil ad sui formationem necessarium defuit, omnia enim elementa medium quoddam & debitum temperamentum tenentia, aded pulchram & elegantem corporis fabricam construxerunt, vt Angeli illam aspicientes stupore & admiratione inter se loquentes, dixerint.

Quæ est ista, qua ascendit per desertum? Cant. 3. Existimandum enim est Beatiss. Virginem non solum venustatem & eximiam pulchritudinem externi corporis intuentibus manifestasse, sed etiam ex se certum quendam divinitatis, quo illius animæ plena erat, micantem splendorem emisisse, ita vt aspicientes præ nimia admiratione hererent. In cuius confirmationem sanctus Ignatius Evangelistæ Ioanni sic scribit. *Hæc & alia excitaverunt viscera mea, & cogunt valde desiderare aspectum huius, si fas sit fari, sacratissimi monstri & celestis prodigij,* quibus verbis externam illius pulchritudinem & elegantem corporis formam summè extollit, cùm sacratissimum naturæ monstrum & celeste prodigiū appellet; Sanctus Ephrem præstantissimum orbis miraculum vocat, & sanctus Dionysius Areopagita non solum Græciæ, ex qua oriundus fuit, & Galliæ, vbi Apostolus extitit, sed etiam totius Ecclesiæ Doctor, & Iesu Christi præclarissimus Martyr proprijs oculis faciem & personam sacratissimæ Virginis intuens, & præ stupore illius pulchritudinem admirans, diu quasi emortuus iacuit, splendorem & maiestatem, qui ex facie & vultu Beatiss. Virginis emanabat, sustinere non valebat; postea verò ad se reversus asseruit Beatiss. Mariam tanquam Deum fuisse adorandam, nisi fides vnum solum Deum profiteretur. Tanta erat illius maie-

itas & pulchritudo. Nec mirandū est, si sancti patres Mariā sanctiss. cōtemplantes in extasi rapiantur, cū etiam Deus ipse, qui illam proprijs manibus fabricatus est, semper de ea loquens, verbis, admiratione & stupore plenis loquatur. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitijs affluens, innixa super dilectū suū? Cant. 8. Quasi aurora cōsurgēs. Electa ut sol. cap. 6.* Et maiore sanē admirationem excitant verba illa à nobis pro fundamento huius adducta, *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Ad cuius maiorem ponderationem considerandum & perpendendum est: quòd in sacra scriptura sepius aliquæ fœminæ quoad pulchritudinē summoperè extollantur, & pulcherrimæ appellentur, quæ tamen solum vmbra Beatiss. Virginis gesserunt, & illius vestigia repræsentrunt, quod non leve argumentum est ad pulchritudinem Beatiss. Mariæ ad cælū vsque efferendam: Si enim alicuius fœminæ repræsentionem aut imaginem, quæ illius vmbra foret, pulcherrimè & venustissimè depictam cerneremus, iure optimo colligere possemus rem per illam repræsentionem, ad quam exprimendam imago adumbrata fuit, pulchriorem & venustiore, imò & incredibilis pulchritudinis esse. Pensate ergò quid scriptura de alijs, quæ umbræ extiterunt, frequenter proferat ad illarum decorem melius indicandum. Nam de Sara cū iam esset 70. annorum, quando terram Ægypti comitante sponso ingressa est, ita dicit

scriptura. *Viderunt Ægyptij mulierem quòd esset pulchra nimis, & nunciaverūt principi.* Et de Rebecca sic ait. *Puella decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro: Genes. 24.* Et de Rachel. *Decorā facie, & venusto aspectu. Genes. 29.* De Iudith verò sic refert, *Incomparabilis decore omnium oculis apparebat. Iudith. 10.* Et tandē de Regina Esther in sacra scriptura dicitur, illam eximiā quadam ac planè incredibili pulchritudine exornatā fuisse. *Esther cap. 2.* Si ergò externa corporis Mariæ sanctiss. forma & pulchritudo tanta fuit, quid de animæ pulchritudine existimādum erit? sine dubio animam cœlestem ac planè divinam à primo omnium opifice, qui illam in luū vivum templum, & splendidissimū sacrarium condidit, fortita est; Existimo sanē quòd Deus tempore, quo illā formavit, omnibus Angelis videndā, tanquā apprimè ad bonū vniuersi necessariam, demonstravit, quin & illos sic affatus est. *Hæc pulcherrima creatura, quæ vestris oculis videndā propono, vestram ruinam reparavit, hæc est mea sapientiæ & omnipotentiæ viua imago & repræsentionis, hæc est illa secūda Eva, quæ longè præstantiūs & firmiūs primā Dei imaginem & repræsentionem in se conservavit.* Tunc Angeli admiratione tanti & tam eximij operis capti, reparatricē humani generis intuentes itupēbant, & eximiā iucunditate & gaudio perfusi, pulcherrimas cantiones, suavissimarum vocum modulis suavissimè personantes, illorum acciden-

dentali gloria & admiratione crescente proferebant. Sed hæc omnia pulchritudinem corporis & animæ Beatiss. Virginis, quoad esse naturale extollunt & exprimunt; Nec ista est quæ omnipotentis Dei oculos & mentem rapit; sola supernalis pulchritudo, cui naturalis comparata nullius ferè momenti est, & Dei amorem & affectionem excitat, hæc est quæ illius animam exagitat, & secum ducit, de qua ipse loquitur, cum dicit, *Et concupivit Rex speciem tuam. ps. 44.* Quæ supernaturalis pulchritudo in diuina gratia & spiritus diuini donis consistit, quam Deus suæ sanctissimæ matri non partitam & diuisam, sicut cæteris sanctis, sed plenitudine quadam immensa, ditissima ac liberali manu concessit. Ex quâ animæ Beatiss. Virginis incomparabilis & eximia pulchritudo acerevit. Et hæc est causa, quare spiritus diuinus Mariam sanctissimam totam pulchram appellat. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Cant. 4.* Ac si illam gratia plenam nuncuparet, plenam in anima, ac plenam in potentijs, quæ tantam gratiæ plenitudinem sortita fuerunt, vt virtutes in illis residentes, etiamsi in heroico & summo gradu, absque tamen concertatione, & impossibilitate simul conuenerint. De prædictis heroicis virtutibus, eximia sanctitate, & abundantissima gratia ferè in omnibus huius libri concionibus agendum

nobis est; Vt ergo sanctissimæ Mariæ gratiam pro viribus efferam, hoc vno verbo concludâ, talem scilicet ac tantam fuisse illius in ordine gratiæ pulchritudinem, vt non à veritate alienum censeam id quod plures & pijssimi doctores agentes de ruina Angelorum, graviter asseuerârunt: Petentes enim, quare Deus Angelos propter peccatum, sine vlla redemptione perpetuò damnauerit, homines verò condonatâ illorum culpâ, per viam redemptionis misericorditer reparauerit. Inter alias huius rei rationes, eam non spernedam adhibent; dicunt enim supernaturalem pulchritudinem gratiæ, quâ anima sanctiss. Mariæ exornandâ erat, quam Deus ab æterno præuiderat, causam huius exitisse, ne forsità Mariæ sanctiss. generatio impediretur, cuius gratia tanta erat futura, vt efficacissimè pacem inter Deum & homines, veluti altera Regina Esther, componeret, cum mundum propter culpam destruere & devastare vellet. Tanta erat illius gratiæ præstantia & magnitudo. Et hæc dicta sufficiant pro qualitate gratiæ Beatiss. virginis exprimenda. Restabat modò illud punctum pertractare; quando videlicet tantâ & tam immensâ gratiâ illius anima exornata & insignita fuerit; Nam spiritus diuinus illam animam sapius pulchram appellans, id non expressit, solùm hoc brevissimè effectum fuisse, his verbis asseruit, *Admirari eam*
D

Deus manè diluculo; id ergo certissimè tenendum est, primo videlicet diluculo, summo mane, præstantissima sanctificationis gratia exornatam fuisse. Alia quæ hic imprudenter sanè, & contra decreta pontificum disputari & misceri solent, prudens silentio prætereò; Tum, quia sanctissima virgo (vt beati Bernardi verbis vtar.) vt sit in linea gratiæ filia Dei primogenita & præstantissima, quod à nobis gra- uiter comprobatum est, nostris mendatijs, vel laudibus falsitati expositis, vt pote in opinione constitutis, non indiget; Tum etiam, quia verbi Dei præcones prædicta in publicis concionibus certatim disferentes, cùm populum verbo & exemplo docere teneantur, potius pias & doctas aures mandata summorum Pontificum evertentes, offendunt; grauiissimè etiam peccant; quia pusillos ad schismata & varia scandala, vt experientia docet, impellunt ac propendunt, quare his silentium cum tremore & timore Dei & Ecclesiæ imponere sanctiùs & consultiùs est. Videbitur forsitan alicui, me in præsentì concione nihil de vestrè vitæ & morum reformatione, protulisse, sed solùm in laudibus Beatiss. Virginis diu moratum operam & vires impendisse; existimo tamen, quod si nostra concio diligentius perpendatur, non aliud quàm in- uectiuam quandam in vestra vitia & scelera continere. Quemadmodum enim vetus & prætiolissimus ada-

mas falsum ac vitreum lapidem sub præstantiâ & eximio fulgore repræ- hendit & confundit; Eodem prorsus modo inculpabilis Beatiss. Mariæ vita, & illius sanctissimi mores vitia nostra & sceleratam vitam damnant, & austerè increpant ac repræhendunt; Cùm enim nobis à Deo in vi- uam imaginem, & nostræ vitæ exem- plum elegantissimè efformata fuerit, in considerati & vecordes erimus, si nihil ex tam præstanti imagine in nostræ vitæ & morum reformationem depromamus, & ita sanè ex nostræ na- turæ corruptione contingit; Neque enim humilitate, vt Maria sanctissima præditi sumus, sed ambitione & su- perbiâ elati, omnibus præesse deside- ramus, neque etiam obedientiam, sed inobedientiam Euvæ sectamur; nam in Deum insultamus, dæmonis potiùs quàm Beatiss. Mariæ vestigia sequi- mur. Non sic fiat charissimi filij, sed hæroicas virtutes, & sanctitatem illi- us, charitatem, humilitatem, mundi- tiam, morum grauitatem summâ cura et diligentia amplectamini, vt, quemadmodum illa primogenita per gratiam extitit, ita & nos illius san- cta intercessione adiuti, filiorum Dei dignitatè assequamur, cui gloria cer- to quodam vinculo cõnexa est,
quam mihi i& vo-
bis, &c.



Sermo Quartus.

PRO SALVTATIONE

Angelica.



Odierna dies (filij dilectissimi) compendium & summa quædam est prærogatarum & laudum Beatissimæ & sanctissimæ Virginis, de qua omnes sancti Doctores grauiter asseuerant, ipsam omnes gratias, virtutes & prærogativas in Christo repertas, dum illi non repugnarent, in gradu quodam herico habuisse, diversimodè tamen; Nam Deus à se ipso nullo alio subueniente sortitus est: At Beatiss. Virgo à Deo tanquã à primo fonte mendicavit. Fuit planè Christus Dominus suæ sanctiss. matri simillimus, ita enim esse solet, & experientiã cõprobat, quòd filijs suis matribus assimilatur; De aliqub' referre solemus, eos matris oculos, alius oris venustatè reportasse, alios colorè, alios tandè mores & cõditiones sibi vsurpasse, quæ omnia matris similitudinem exprimunt. De Christo Domino omnes Doctores Ecclesiastici referunt suæ matri simillimum extitisse; neq; id mirandum est, cum Redemptor noster omnem suæ

purissimæ carnis substantiam, absque viri interventu ex solo Beatiss. Virginis purissimo sanguine defumserit, de spirituali tamen & non præcisè de externa forma loquentes, ego sanè proferre non auderem, filium suæ matri similem esse, sed è contra matrem filio, quod exemplo accurately explicari potest: Cum enim aurifex præciosum lapidem annulo affigit, non lapidem annulo, sed è contra anulum lapidi assimilat & accommodat, ita vt si lapis quadratam, aut circularem figuram & formam teneat, eadem etiam figura, locus & sedes præciosi lapidis elaboretur. Non dissimiliter lapis ille diuinus excisus de monte sine manibus, ex sinu patris absque vllò manuum contactu descendens, ac in vtero Beatiss. virginis tanquam in annulifede & loco pulcherrimè elaboratus, non annulo similis, sed è contra annulus lapidi similis existimandus est; quare sanctiss. Maria omnes virtutes, à quibus pulcherrimè tãquam margaritis fulgentibus exornata fuit, ad modum & normam sui filij liberaliter accepit. Ex quo constare poterit illius magnitudo & excellentia, quam si velimus humanà linguã vel leuiter perstringere, ita impossibile erit, ac si quis stellas firmamenti proprijs manibus contrectare vellet, nisi adsit nobis spiritus diuini gratia, quam enixè postulemus. Dicentes Ave Maria, &c.

Li-

Liber generationis Iesu

Christi filij David Matth. 1.

Divinus ille orator & Propheta David, qui Dei excellentias accuratè enarrare solet, illum in eis magnum considerans & supernis laudibus dignū, sic illius præclaras laudes exorsus est. *Magnus dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius, fundatur exultatione vniuersa terra. psalm. 47.* Propheta David Deum magnum appellat, & egregijs laudibus dignissimum esse cenlet, propter civitatem à se in monte sancto eius constructam & ædificatam. Et vt perpendere possitis, charissimi auditores, hanc Dei præclaram excellentiam, quam ex civitate à seipso condita miro ingenio & artificio collegit Divinus Propheta David. Notate illustres viros suorū nominum præclariora stemmata, & immortalē memoriam futuris sæculis duraturam, ex civitate à se condita assequutos fuisse; quia videlicet alicuius celebris civitatis initia & prima fundamenta iecerunt, quod exemplis fulcire & confirmare haud difficile erit; Romulus enim, vt ex illius historia apertè constat, licet multa & præclara facta memorię hominū reliquerit, illud tamen quod eius nomen illustrius reddidit, ratione cuius Martis templum ipsi tanquam Deo consecratum fuit, Romæ præclarissimę civitatis prima erectio & ædificatio causa &

motivum extitit: Iusto etiam titulo Alexander cognomē Magni sibi comparavit, nec præcipuè propter egregia & miranda facinora, quibus toti vniuerso exemplar fuit, sed quia Alexandriam præclarissimam Ægypti urbem, sub saluberrimo cælo, iuxta fœcundissima & virentia prata, ac flumina aquis crystallinis perlucencia, condidit. Alia prætereo, quia longum esset prædicta ad finē vsq; apertissimis exemplis prosequi, & ad nostrū scopum propius accedentes, plurima ac planè divina opera proprijs Dei manibus molita & fabricata in lucem prodire, quę illius nomen gloriosum & illustre reddunt, illius tamen sapientia, fortitudo, liberalitas, & magnificentia in civitate Dei à se constructa magis enituit, vt Propheta decantat. *Magnus dominus & laudabilis nimis in civitate Dei nostri. ps. 47.* Tres ditissimas & opulentissimas vrbes à Deo conditas fuisse legitimus. Primò condidit hanc pulcherrimam & elegantissimā mundi machinam, cuius præstantia & excellentia ex eo colligi apertè potest, cū enim summus prepotensq; dominus singulas illius partes sigillatim laudasset, tadem quasi sibi complacens ex huius vniuersi pulcherrimo opificio post illius erectionem requieuit, vt sacra scriptura expressè testatur. *Die 7. requieuit ab omni opere quod patrarat. Genes. cap. 2.* Quis longitudinem, firmitatem huius amplissimæ civitatis, & iucundissimum illius situm verbis per-

strin-

stringere aut indicare poterit? illius longitudo & latitudo tanta est, vt etiam quzlibet firmamenti stella totam terram superet, & longo intervallo antecellat. Illius firmitas tanta est, vt de terra loquens sacra scriptura sic dicat, *Generatio advenit, generatio transit, terra autem in aeternum stat. Eccles. cap. 1.* Sed & spiritus divinus dimensiones huius civitatis attentè perlustrans, sic asseruit. *Altitudinem caeli, latitudinem terra, & profundum abyssi quis dimensus est? eodem cap. 1.* Aliam civitatem pulchriorem & latitorem, novâ hominis creatione, Deus noster fabricatus est; Homo enim solâ oculi pupillâ, omnia visibilia & intra sui cordis secreta, cœlestia & visibilia comprehendit, & tanta est illius latitudo & amplissima capacitas, vt solus Deus eius capacitati adæquetur. Sic Propheta David perspicuè testatus est. *Satiabor cum apparuerit gloria tua. psal. 16.* Predictæ tamen civitates licet illustrissimæ & latissime sint, sic cum civitate Dei conferantur, parva oppidula censenda sūt; prima enim, licet magna videatur brevissima tamen est, cum Deum in se recipere non possit; Nam corpora cœlestia licet magna mole prædita sint, sed ad Deum comparata, strictissima & brevissima sunt. Secunda etiam licet Deum capere possit, aded tamen debilis & infirma est, vt ex limo & terra constructa, statim rimas agens vltimam ruinam minata sit. *Creavit Deus ho-*

minem de limo terra: Genes. cap. 2. Inconstantissima sanè fabrica, & vt sanctissimi Iob verbis utar, *Nunquam in eodem statu permanens: Iob. cap. 14.* Sed mutabilior lunâ existens, in diversos & varios vultus & formas comutata, personati hominis effigiem representat. Iam ergo si prædictæ civitates Deo in dignam habitationem accommodari non possunt, eius creaturis designentur, cœlestia corpora spiritibus Angelicis, media aëris regio volatilibus, aqua piscibus maris, ac terra cæteris animantibus à propriis, & tertia alia reliquis longè præstantior & firmior, altissimi fundamentis stabilita & firmata construatur, quæ suâ inensâ magnitudine ac amplitudine, Dei immensitatem capere & sustinere possit adeo constans, vt post primam suorum fundamentorum firmitatem, immobilis semper persistat. Hæc civitas sic firmiter ædificata & exstructa, sanctissima Maria est, quæ per antonomasiam & excellentiam civitas Dei nuncupatur, quia suo gremio immensitatem Dei capere, ac comprehendere potuit, vt Ecclesia decantat. *Quia quem caeli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* aded firma & stabilis, vt de illa dicat sanctus Propheta David, *Deus in medio eius non commovebitur. ps. 45.* Nec mirum, quia civitas hæc non super emortuam humum, quæ tempestatibus subiecta est, erigitur, sed super terram, vita gratiæ facun-

fecundam; vitalem ac fructiferam. Prophetam Hieremias pronuncians no-
stra tempora, quibus tam fecunda ter-
ra, & praestanti civitate potimur, &
gaudemus sic praedixit. *Aedificabitur
civitas domino a turre Hananeel vsq; ad
portam anguli. Hierem. cap. 31.* In
Graeca versione sic legitur. *Aedificabi-
tur civitas dōino ab obedientia;* Et septu-
aginta interpretes sic vertūt, *ab alti-
tudine vsque ad imū,* id est, profundum.
Quam versionem approbat sanctus
Gregorius in suis moralibus asserens,
latitudinē huius civitatis à supremis
cœli empirei manibus vsque ad ima
dilatari & protendi. *Et exhibit ultra,*
inquit Hieremias, seu quod idem est,
Ex cedit normam mensurę ac supera-
bit. Quibus verbis forsitan alludit Hi-
eremias, & indicat mensuram illam,
quā Deus distantiam illam dimensus
est, quæ inter cælum & terram inter-
cedebat, cum Iacob scalā illam intui-
tus est, quæ utrumq; extremum cæl-
um videlicet & terram pertingebat,
& tunc ait Hieremias, *Aedificabitur
civitas ab altitudine vsq; ad imum,*
& excedet ultra: Ac si diceret, Men-
sura illa in scala Iacob repræsen-
tata, quā Deus distantiam & longitu-
dinem cœli & terræ dimensus est, so-
lūm duo extrema cælum scilicet &
terram pertingebat; at civitas hæc
amplissima non tantum distantia ex-
trema, sed situm etiam & locum at-
tinget & comprehendet, quia non so-
lum Beatiss. Maria tam distantia ex-

trema, qualia sunt Deus & homo, cre-
atura & creator, sed etiam id, in quo
tam distantia & discrepantia extrema,
strictissimo vnionis vinculo conne-
ctuntur, suo sanctiss. vtero concludet;
verbum enim divinum humanitati vn-
nitum, de quo asseruit Paulus, ipsum
omnia sive quæ in cœlis, sive quæ in
terra sunt, comprehendisse ac instau-
râsse. *In ipso instauravit, sive quæ in ter-
ris, sive quæ in cœlis sunt. Rom. 13.* Virgi-
nalis Mariæ sanctiss. vterus comple-
xus est. Apprimè ergo & elegantissi-
mè Prophetam David immensitatem &
magnitudinem Dei, ex amplissima ac
latissima civitate à se constructa, his
laudibus extulit. *Magnus Dominus &
laudabilis nimis in civitate Dei nostri in
monte sancto eius. ps. 47.* Et postea sub-
dit. *Fundatur exultatione vniverse
terra.* Quibus verbis primam ratio-
nem immensitatis & magnitudinis
Dei designat. *Fundatur exultatione;*
Quia pulcherrimam hanc civitatem
summo cordis gaudio & lætitia con-
didit; Cæteri ex profapia Adę descen-
dentes, cum suæ vitæ prima funda-
menta in materno vtero constituunt,
mærore & tristitia confecti, ab imo pe-
ctore suspiria & gemitus lachrymabi-
liter emittunt; per aliquod enim tem-
pus in materno vtero inclusi, iniqui-
tatem patrum suorum, iurgia, & con-
tinuas inter Deum & homines lites
propter primi parentis peccatum ex-
ortas conservant ac fovent; verum
hæc Marię sanctissimæ opulenta civi-
tas

tas in exultatione & lætitia cordis De-
 erecta & fundata est; ipsa enim tan-
 quam aurora fulgentissima adventan-
 te, terrarum sola gaudio & lætitiâ sum-
 mâ complevit, cum lites inter Deum
 & mortales sedaverit, & pacem homi-
 nibus attulerit. Quod ni fallor, in illa
 colluctatione Iacob eum Angelo ap-
 pertè demonstratum fuit. Cùm enim
 Iacob tota nocte Angelum proprijs
 brachijs compressum tenuisset, sic
 Angelus quasi devictus, & longa con-
 certatione defatigatus, exclamavit.
Dimitte me, iam enim ascendit aurora.
Genes. 32. Circa quam colluctationem
 observavit magnus Dionysius; quod
 Patriarcha Iacob tam continuâ & mo-
 lestâ luctâ, id intendit & ab Angelo
 postulavit, ut scilicet eum circa pro-
 genituram, ex qua tot lites inter se &
 suum fratrem exortæ erant, informa-
 ret, ac certiozem faceret, an tranquillâ
 & bonâ cōscientiâ primogenituram,
 aliâ suo fratri iure nativitatis debi-
 tam, possideret. Cui Angelus sic re-
 spondit, ac satisfecit. *Dimitte me, iam*
ascendit aurora. Tunc enim Maria san-
 ctissima tanquam aurora fulgentis-
 sima, quæ in vtero Annæ ad dirimen-
 das mortalium lites, & pacem astruen-
 dam, efformanda erat, Angelo repræ-
 sentata fuit; ideo voce contendens
 Angelus aiebat. *Dimitte me, iam enim*
ascendit aurora. Ac si apertius diceret.
 Negotia hominum decidere, ac eo-
 rum lites componere & dirimere, a-
 micitiâ Dei conciliare, non ad me,

sed Beatissimam Mariam, auroram
 splendidissimam spectat; ipsa sola
 hæc negotia ad pacem adstruendam
 sibi vsurpat, ideo lites inter te, &
 tuum fratrem excitas expedire no-
 lo. *Iam enim ascendit aurora.* Notan-
 dum est illud verbum, *ascendit*, in-
 dicat enim celerem & concitatum
 gressum in adventante; Voluit ergo
 Angelus illo verbo nobis manifesta-
 re, celerem & promptum Beatissimæ
 Mariæ animum, & oportuna au-
 xilia, ut DEO reconciliemur. *Iam*
ascendit aurora, ac si diceret. Hæc
 aurora fulgentissima, & civitas
 pulcherrima, ad peccatorum spem
 erigendam, ac pacem astruendam,
 citò mortalibus aderit. *Iam ascen-*
dit aurora. Aurora auream horam
 significat, quia ipsa adventante, om-
 nia quasi fulgentissimo auro de-
 corata nitent & splendent. Mirum
 sanè est ac iucundum valde, auro-
 ram noctis post tenebras venientem
 intueri, ipsa præsentè fugantur,
 ac elata montium cacumina quasi
 micanti auro refulgent, viridaria
 vitali quadam aurâ suavissimâ per-
 flantur, prata, quæ antea lugubri
 tenebrarum veste induta erant, po-
 stea amœnissimè virent, fontes ac
 rivuli tanquam crystalla refulgent,
 aviculæ suavissimè concinentes,
 harmoniam, & concentum mirabi-
 lem certatim excitant, & alu-
 las suas extendentes, paleas ad
 nidos extruendos congerunt & inqui-
 runt

runt, tandem omnes creaturæ auro-
ræ gratulantur, & ipsa adveniente
sumopere exultant, Quis inter mor-
tales (filij dilectissimi) nova hac auro-
ra Maria scilicet sanctiss. post culpæ,
tenebras resurgente non latatur. &
prægaudio lachrymas non exprimit?
Iam enim ascendit aurora. Hodierna
luce totū vniuersum suā præsentia il-
lustrat; Fluenta & flumina aquis cry-
stallinis, & pellucidis nitētia exultent
prata virentia pulcherrimis Ecclesiæ
floribus stratarideant, flores ipsi nouo
splendore & odore niteant, huius au-
roræ rore potiantur & refulgeant,
plantæ mira fecunditate refertæ ma-
turos fructus proferant, omniā deni-
que inaudita lætitia perfruantur,
vt omnes simul creature vna voce Pro-
pheta decantent. *Fundatur exultati-
one vniuersa terra.* Aliqui ex prædictis
verbis præseruationem sanctissimæ
Mariæ à peccato originali comproba-
re ac elicere intendunt, asserunt enim
eam solam inter puras creaturas in ex-
ultatione fuisse erectam & fundatam,
quia in sua conceptione à peccato ori-
ginali præseruata fuit; aliæ verd pec-
catum originale in sua conceptione
contrahentes in luctu & marore pri-
ma fundamenta iecerunt. Ego tamen
in hæc sententia semper persistam,
quòd nostra ingenia, nisi petulantie
notam incurrere velint, in his quæ
secretiora videntur, ad stylum & nor-
mam divini intellectus accomodan-
da sunt; Deus enim in prodigijs & por-

tentis, tam naturæ quàm gratiæ ma-
nifestandis ac proclamandis hunc mo-
rem perpetuò observavit, licet enim
suos effectus, etiam præclariore no-
bis manifestet, modum tamen effici-
endi sibi soli cognoscendum reserva-
vit & vendicavit, ne ex curiosa illo-
rum investigatione errores, lites, &
scandala oriantur. Quod rectè com-
probare possumus, si ad creationem
Angelorum, qui perfectissimæ creatu-
ræ sunt, proprijs Dei manibus fa-
bricatæ, mentis aciem convertamus,
quos vt Deus noster secretiùs conde-
ret, non in inferiori vniuerso, sed in
cælo empyreo molitus est, hoc forsi-
tan motivo, vt modus creationis inge-
nia nostra petulantia lateret, & solum
in Angelorum pulchritudinem men-
tis aciem conuerteremus. Idem eti-
am Deus indicavit, cùm hominem
ita præstantem creaturam, & tanto
ingenio & artificio ad imaginem &
similitudinem suam pulchrè elabora-
tam fabricatus est; nam secundum
aliquorum sententiam, eum in occi-
dente creavit, vbi lux magis latet,
ac minùs splendet, postea verd in ori-
entem transtulit, vbi lux solaribus ra-
dijs illustrata, magis micat & splen-
det, quod colligi potest ex illis sacræ
scripturæ verbis, quæ id videntur in-
sinuare. *Tulit Deus hominem, & posuit
eum in paradiso voluptatis. Genes. cap.
2.* Illud verbum, *tulit*, translatio-
nem Adami ex vno ad alterum lo-
cum indicat. Mirandum planè est quo
secre-

secreto, & in loco quasi abscondito & separato hanc pulcherrimam Adami creaturam efformaverit, eo sanè sine vt nostris oculis productio Adæ occulta foret. In Evæ etiã formatione idem ostensum fuit; refert enim scriptura, Adamum gravi somno sopitum fuisse. *Misit soporem in Adam Genes. cap. 2.* nè Adam modum producendi Evam intueretur, postea tamen iam productã ei contemplandam proposuit, cuius admiratus pulchritudinem & venustatè, sic dixit. *Hoc nunc os ex osibus meis, & caro de carne mea. Genes. cap. 2.* Idem etiam natura ipsa omnium artificum magistra nobis apertè manifestat; nam certis anni temporibus pulcherrimos flores varijs coloribus distinctos producit, pri⁹ tamen occultè efformat, ne omnium oculis illorum effectio aperta sit, postea verò folia compressa extendit, ac illorum venustatem manifestat, vt fragrantie & odoris suavitate omnium animos ad se alliciant. Quis apum diligentem & solertem in mellificando curam non admiratur? nam vt sua mella conficiant, flores ad id præstandum commodores diligentissimè exquirunt, favum tamen mellis occulto & secreto loco cõficiunt, & conficiendi modũ sibi tantum reservant. Non audistis Heliodorum de quodam in rebus nature perlustrantis curioso sic referentem, iste enim vt artificiosum modum, quo apes mella conficiunt, intueretur, intra vitream domunculam examen a-

pum introduxit, sed delusus planè fuit, nam apes vitream domum cerã vndique tegentes, ingeniosum fabricandi mella modum occultarunt. Quæ cum ita sint, vanas & invtiles controversias circa modum, quo Maria sanctissima concepta & in lucem edita fuit, prudenter refecantes ac omittentes, & soli Deo huius rei investigationem referuantes, modò hanc creaturam præstantissimam in vtero materno Annæ, tanquã auroram summa exultatione fundatam, contemplemur & extollamus, fuit planè aurora fulgentissima; Quemadmodum enim aurora inter noctem & diem mediat, sic sanctissima Maria per conceptionem in hanc lucem edita, inter peccatorem, qui propter culpam tenebrôsã quædam nox existit, & Deum, officium mediatricis sibi vsurpavit, vt miseros peccatores soveat & defendat, ne propter patrata scelera in desperationem inducantur. Hoc mediatricis officium Christus redemptor noster iam in cruce moritutus confirmavit, cum sic eam alloquutus est. *Mulier ecce filius tuus. Ioann. 19.* Ac si clariùs illi diceret. Propter peccata & scelera hominum cruci affixus morior, ne iustitia ac vindicta divina in illos infurgat, & ppter innocentis mortem rigorosè puniat, atque peccatores, quos ex corde diligo, defectu mediatoris pereant. *Mulier ecce filius tuus. Ego te ipsam inter peccatores & Deum mediatricem constituo, vt pacem componens, De-*

um aliàs propter culpas & scelera iratum, peccatoribus mansuetum & benignum reddas. Et ita sanè effectum est, cum enim Deus olim statim patrato scelere seuerissimè peccatores puniret, & indignatiõis suæ sagittis confoderet, propter quod Deus ultionum vocabatur. *Deus ultionum dominus, Deus ultionum liberè egit. psal. 93.* Iam tamen Maria sanctissima mediatrice inter Deum & peccatores constituta, & ad hoc munus obeundum tanquam fulgentissima aurora in hanc lucem exoriente, Deus noster non sagittas ad vulnerandos peccatores, sed potius misericordiæ suæ arcum ostendit. Quam Dei quasi mutatam post Mariæ adventum conditionem, diligenter perscrutatus est Ambrosius super *Genes. cap. 9.* *Arcum meū ponam in nubibus, & erit signū fœderis inter me & vos, &c.* vbi sic ait. *Non ipse arcus vulnerat, sed sagitta, & idèò dominus arcum magis quàm sagittam ponit, id est, non illud quod vulnerat, sed quod habeat terroris indicium, & vulneris effectum habere non soleat.* Hæc Ambrosius. Quasi diceret, in coercendis sibi subditis creaturis, hunc Deus sibi morem post hanc Mariæ sanctissimæ auroram exortam, obseruandum statuit, nè prius hominem virgâ percutiat, sagittis confodiat, sed primùm suæ lenitatis arcum ipsi ostendat, deinde si opus fuerit, ne nimia extensione omnia dissiperent, arcu iaculatur sagittas, nūc extendendo, nunc etiam arcum resoluendo,

quia sic hominem hoc gratiæ tempore supplicij vulnerat, vt quisque in corripiendi modo suæ charitatis viscera statim animadvertat, non enim vt olim, vult statim mortem peccatoris, sed cum nubium seu peccatorum agmina in procellas ac tēpestates coguntur, cum misericordia castigat, vt magis conuertatur & vivat. Sed perpendite quæso, vt meliùs agnoscat viscera Dei nostri iam in misericordiam commutata, iaculatorium istum arcum cœlestem iridem esse, quâ indutum & circumdatum fuisse thronum maiestatis, & Dei magnitudinis, sanctus Evangelista Ioannes testatur Apocalypsis cap. 4. vidit tamen Evangelista iridem similem visioni smaragdi, quod sine dubio admirationem causat; nam cum lapis iste pretiosus smaragdus ex natura propria sit viridis coloris, & cœlestis arcus iridis varijs coloribus aspersus, nulla elucescit conuenientia, in qua hæc similitudo fulciri & stabiliri possit; At inuenies arcanum, atque secretum planè si viridum colorem perscruteris, est namq; color iste firmissime spei signum & manifestum indicium: Voluit ergo dominus in throno maiestatis sedens, iudicis integerrimi munus exercens, peccatoribus subindicare, se, licet iudicem & in throno maiestatis sedentem suæ tamen iustitiæ arcum, hac nostra mediatrice existente iridem esse similem visioni smaragdi, qui licet varijs coloribus a-

sperus sit, is tamen qui magis emicat in emissione sagitte, ad ipsum propter sua scelera percutiendum & vulnerandum, color viridis est, vt inter vulnera & supplicia ipsam Dei nostri lenitatem cum spe misericordie semper & singulis momentis experiebatur; Ided Angelus cum inter brachia Patriarcham Iacob compressum teneret, sanctissimam Mariam in spiritu agnoscens, auroram nuncupavit; quia mediatrix officio inter nossem & tenebras peccatorum ac diem sancta, Deum nostrum nobis mansuetum, benignum & misericordie reddidit. Tandem vt vela nostrae orationis contrahamus, Mariam nunc tanquam solem splendidissimum in sua conceptione contemplemur. Quemadmodum enim sol in luce & splendore stellas superat, & in illas & inferiora corpora lumen & alia influit, splendore enim solis, & caelum, & omnia quae sunt infra caelum illustrantur; ita Beatissima Virgine, tanquam sole splendidissimo per suam conceptionem in haec terrarum sola descendente, in creaturas superiores, quales sunt spiritus Angelici, lucem cognitionis, & in inferiores, quales peccatores sunt, praestantissimam gratiae vitam influit; Et iure optimo solem Mariam sanctissimam nuncupare possumus; Sol enim quasi solus dicitur; Sol ergo appellanda est Beatissima Virgo, quia sola est inter puras creaturas, cui Deus in vtero materno concepte tot privilegia ac

dona, quibus in corpore & anima decorata fuit, liberalissimè concessit: sola, cui omnia spiritus sancti dona, sapientiae, intellectus, consilij, timoris domini, &c. potenti ac largà manu contulit. *Requiescet super eam spiritus sapientiae: Esaie cap. 11.* sola, quae omnes praerogativas, & gratias, tam generales quam peculiare in alijs sanctis diuisas, immensitate quadam conservavit ac retinuit, vt ipsa etiam fatetur. *Et in plenitudine sanctorum detentio mea. Eccles. 24.* Circa quae verba sanctus Bernardus sic scribit. Optimè Beatissima Virgo in plenitudine sanctorum suam sanctitatem esse sitam affirmare potuit; cum nec fides Patriarcharum, spes confessorum, Virginum castitas, matrimonij conformitas, Angelorum munditia, aut meritum martyrum illi defuerint. Quare merito Esther suam nobilitatem, Susanna castitatem, pulchritudinem Rachel, Iudith suam fortitudinem occultet & abscondat; Quia Maria sanctissima sola fuit, cui Deus omnes praerogativas, tam generales quam particulares omnium, immensitate quadam & in heroico quodam gradu contulit, vt in nos ab illa tanquam à perenni & inexhausto fonte, gratiae rivuli derivarentur, ac illius in hac participes effecti, postea in futura nunquam peritura, aeterna gloria cum gaudio & exultatione potiamur. Quam mihi & vobis praestare dignetur, Iesus Christus Dominus noster. Amen.

IN



IN FESTO NATIVITATIS
BEATISSIMAE MARIAE
VIRGINIS.

Sermo primus.

Pro salutatione Angelica.



Mnes creaturæ, quæ à Deo supremo artifice, potenti illius brachio productæ & formatæ sunt, quæcunq; illæ sint, iuxta mensuram perfectionum, quas à suo supremo molitore acceperūt, eum exprimere, & eius latentē divinitatem manifestare conantur. Verum inter cunctas creaturas, quæ in hanc lucem prodire, & magis suum creatorem predicant, & ad vivum ingenium sui artificis apertius manifestant, sine controversia præcipua inter illas extitit Beatissima Virgo. Ita affirmat Sanctus Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus in sermone huius festivitatis, ubi sic ait, *Ista creatura dignis laudibus suum creatorem*

rem predicat. De creatura sua factor cognoscitur & extollitur, quoniam invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, & in isto mirabili artificio manus artificis maxime inspicitur. Ac si diceret. Fateor planè omnes creaturas suum creatorem indicare, & quasi digito ostendere, sed inter omnes, hæc excellentissima creatura, magnitudinem illius & præstantiam accuratius, & expressius demonstrat. Si aliquando Deus noster suam eminentiam in educendis in publicum, ex propria ideâ & arte, pulcherrimis imaginibus indicavit, id sanè hodie præstitit, cum suæ matris pulcherrimâ imaginē per eius nativitatem in lucem edidit. *De creatura sua factor cognoscitur, & extollitur.* Hodierna luce sanctissima

Maria

Maria ex materno utero egressa, famam & præclarum sui artificis in depingendis imaginibus nomen longè latequè diffudit. Et in isto mirabili artificio manus artificis maximè elucet. Tanto enim ingenio & arte illam effinxit, ut suum creatorem aliàs infinitum & incomprehensibilem, suo gremio comprimere & quasi coarctare possit. Profapia sanctissimæ Annæ ipsa & sanctus Ioachim, spiritus Angelici, sancti patres Ecclesiæ, & concionatores Apostolici dignis laudibus suum creatorem prædicarunt, sed si cum Beatiss. Maria conferantur, muti & balbutientes sunt; Quæ cum ita sint, potiùs in præsentis festivitatis concione vela contrahere, quàm extendere decreueram; quis enim humana linguâ creaturam tam excellentem, in qua totum ingenium sui artificis elucet, prædicare velit? Animadvertens tamen Mariam sanctiss. seipsam extollere & prædicare, ingenij mei vela pro viribus extendam, si aura suavissima spiritus divini adsit; Hanc exoptulemus. Dicentes Ave Maria, &c.

*De qua natus est Iesus,
qui vocatur Christus.*

Matth. cap. 1.

SANCTUS Propheta Ezechiel in mysteriosa & mirabili quadam visione, quæ refertur cap. 1. suæ Prophetiæ in medio ignis cælum seu

firmamentum aspexit, supra quod thronus magnitudinis & maiestatis totus ex saphyro permagni pretij & æstimationis confectus videbatur, superiori verò huius saphyrini throni loco, quidam in forma & specie hominis magna autoritate & maiestate insidebat. *Similitudo quasi aspectus hominis desuper. Ezech. cap. 1.* Varias interpretationes pro intelligentia prædictæ visionis Prophetæ Ezechielis Doctores adducunt, sed ad nostrum propositum per cælum, & firmamentum in medio ignis constitutum, veterum sanctiss. Annæ intelligemus, per saphyrum verò thronum in cælestibus palatijs constitutum Beatissimam Virginem interpretabimur, quæ planè tanquam thronus saphyrinus ex utero Annæ in hanc lucem egressa est. Lapis iste pretiosus saphyrus, apparentem maris colorem retinet. Hodie ergò Beatiss. Maria summo totius universi gaudio, tanquam thronus ex saphyro confectus, oritur, non solum colore, sed etiam maris proprietatibus affecta; sicuti enim altissimi maris lapillos, qui in profundo sunt, propter eius nimiam profunditatem planè impossibile est investigare, ita immensas prærogativas & virtutes, quibus hodiè exornata ex utero materno egreditur, ingenio nostro perlustrare, & ad finem usque perquirere, profus impossibile est; idè in forma saphyrini throni ab Ezechiele cernebatur, adhuc tamen pro nostri ingenij tenuitate

itate illius heroicas virtutes, & preclaras excellentias diligenter investigabimus. Ad quod rectè & accuratè præstandum, perpendamus quæso Ezechielis visionem, ait enim supra thronum, aliquem in forma atq; effigie hominis conspexisse. *Similitudo quasi aspectus hominis desuper.* In Hebræa versione sic legitur. *Similitudo quasi aspectus hominis supernè.* Vbi illud verbum *supernè* mysteriosè indicat, similitudinem illam hominis longè thronum ex pretioso saphyro confectum superâsse. Sed quis ille erit, qui tantâ eminentiâ pretiosum Mariæ sanctissimæ thronum in humana specie & forma antecellit? Nostro iudicio verbum divinum nostra mortalitate indutum representat, quod cum Deus sit, thronum in suæ maiestatis & magnitudinis gloriam electum ac destinatum, superat ac longo intervallo antecellit. *Similitudo quasi aspectus hominis supernè.* Ex hoc ergò capite, hodierna nativitate Beatiss. Mariæ festivitate, excellentiores illius prærogativas & virtutes colligam, nèpè quodd fuit thronus maiestatis ac magnitudinis, in quo verbum divinum splendidissimè triumphavit, quod sanctus Ildelfonsus Archiepiscopus Toletanus in sermone quodam à se edito de Assumptione, accuratè perpendit his verbis. *Quanta sint pensanda eius merita, quanta sint cogitanda eius præmia, nemo quidem potest edicere, nisi qui cognoverit, quanta fuerit eius gra-*

*tia, quantum eius privilegium, cum ipsa fuerit, per quam verbum divinum & æterni Patris maiestas in mundum advenerit, Vbi merita, gratiam, & præstantissima Virginis privilegia ac præmia ex hoc capite deducit; quia videlicet Maria sanctiss. thronus maiestatis æterni patris fieri & constitui meruit. Ponderanda est diligenter illa vox supernè, quam ex versione græca retulimus, similitudo quasi aspectus hominis supernè. Indicat enim hominem illi throno præsentem, supremo nec non eminentissimo modo thronū illum ex saphyro confectum, superâsse; cum enim Christus Redemptor noster duplicem naturam sortitus fuerit, divinam scilicet & humanam, in quantum homo, throno sanctissimæ Mariæ quantum ad speciem naturæ æquabatur, cum sibi per Incarnationem naturam eiusdè speciei unièrit: At in quantum verus Deus, naturam altioris & eminentioris lineæ sibi vendicans, longo intervallo illâ excedebat. Cum ergo in nativitate Beatiss. Virginis, quando ex materno utero in hanc lucem orta fuit, nondum verbum divinum naturam humanam assumpfisset, per quam suo modo illi adæquabatur, idèd prædicto throno solum in quantum Deus, supremis ac clarissimis privilegijs eum exornans, præsidebat; quare Propheta Ezechiel formam hominis supremâ omniū esse asseruit. *Similitudo quasi aspectus hominis supernè. Ezech. 1.* Post Deum tamen & humani-*

G

tatem

tatem sibi unitam, nihil Mariâ sanctissimâ in linea & ordine gratiæ superius aut eminentius excogitari potest. Quod sanctus Gregorius rectè perpendit super caput 24. Genes. vbi ingeniose & subtiliter notavit, quodd sanctus Patriarcha Abraham, iam diebus & grandeva senectute confectus, cum vellet suum filium Isaac in matrimonium tradere, antiquiorem suę familię seruū vocavit, vt talem vxorem quęteret, quę tanto filio congruere & conuenire videretur, non filiam chanaanorū, sed ex proprio sanguine & profapia ortam, quod vt diligentius & certius fieret, ne aliquid aliud famulus prestaret, ab eo tale iuramentum petijt. *Pone manum sub femore meo, vt adiurē te per Deū celi &c. Genes. 24.* Vbi sanctus Gregorius has iuramenti circumstantias mysteriosè observavit, scilicet quodd non permisit Abraham, vt servus super femur manum poneret ad præstandum iuramentum, sed sub femore, noluit enim vt famuli manus suo femore superior & eminentior videretur. Mysterium quodd hic latet iuxta mentem sancti Gregorij, illud est; asserit enim S. Doctor, quodd Patriarcha Abrahamus non permisit seruum supra femur manum ponere, sed sub femore, quia tunc spiritu prophetico Mariam recenter natā conspexit, vt Deus ex illa carnem assumeret, & quia eodem spiritu certò cognouit, nullam creaturam superiorem aut excellentiorem

Mariâ sanctissimâ in postetum creandam esse, idèd noluit Abraham vt servus iuramentum præstans, super illam carnem manum poneret, ex qua postea Maria derivanda & procreanda erat. Hęc sunt verba sancti Gregorij, quibus hoc subtiliter notavit. *Non super femur, sed sub femore manum ponere iubetur; quia ex illo femore ille descensus erat, qui homo super omnes homines veniret, & non dignum erat, vt super femur manum poneret, quia nulla caro super illam carnem erat, quam vnigenitus Dei filius sibi per incarnationem vnivit.* Ex quo apertè liquet, gratiam Marię sanctissimę omnem aliarum creaturarum sanctitatem præcelluisse, & immenso quasi intervallo superasse, quam ex hoc capite sanctus Ildesonus, sanctus Gregorius, & alij sancti patres Ecclesię, in præsentis nativitatıs festiuitate collegerunt; quia videlicet Beatissima Virgo thronus, & sedes Maiestatis Dei futura erat, ex qua verbum diuinum purissimam carnem, & nostrę humanitatis formam assumeret. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. 1.* ex hac radice tanquam ex fonte & origine præcipuę excellentię derivatę fuerunt. Quod vt grauer cõprobemus, notate charissimi filij, vt magis corda vestra, amore & feruentissimo affectu erga sanctissimam Deiparam ardentius incalēscant; quodd antiquū altare Thymiamatis, aliās Deo gratissimum & acceptissi-

ptissimum; preciosissimis aromati-
bus refertum fuit, inter illa tamen
quatuor precipue, mirabili odoris fra-
gantia nitentia reperiabantur, nem-
pe myrrha, onix, galbanus & thus;
duorū tantum que ad nostrū propo-
situm spectant, mentionem faciemus.
Dioscorides libro 12. Et Plinius li-
bro 32. asserunt, hoc aroma onix nun-
cupatum, concham quandam esse
summe fragantiæ & suavitatis, quæ
scuti formam referens, mortalium o-
mnium animos incredibili odoris su-
auitate recreat & delectat; Et si cau-
sam velimus investigare, quare tam
præstanti odoris suauitate niteat, a-
pertè inueniemus causam esse, quia
intra illam parvulum animal enas-
citur ac fovetur, quod flore nardi alitur
& nutritur. Nardus herba quædam
est, licet parvissima, calidissima ta-
men & efficacissimū ac intensissimū
odorem ex se exhalat; huic ergo con-
chulæ ad modum scuti à natura effor-
mata, ex fragrantissimo nardi flore
suauissimus, ac planè divinus odor ad-
herçbat. Proprijsimè sanè chariss-
imi auditores Beatissimam Mariam
concham summi odoris ac fragran-
tiæ, non immeritò nuncupare pos-
sumus, cum per suam nativitatē in
hanc lucem orta fuerit, vt instar
conchæ verbum divinum tanquam
florem exoptatum, & nardum infini-
tæ fragrantia, suis visceribus conclu-
deret. Concha est Maria sanctissima
ad modum scuti effecta & efformata;

quia hodierna luce tanquam scutum
& totius humani generis propugna-
culum, ex vtero materno prodijt, vt
Dei contra peccatores furorem, tan-
quam scutum fortissimum sustineret
& comprimeret. Idè sanctus Iulia-
nus Episcopus loquens peccatoribus
sic dixit. *Si in tenebris es, invoca Mariam, si in peccatis detineris, clama propter Mariam, si inimicus Dei & Angelorum, accede ad Mariam.* Ex quibus Iuliani verbis constat, Virginē sanctissimam non solum concham esse, sed etiam ad tuendos peccatores clypeū & scutum fortissimum; concha planè fuit, vbi odor ille Deo gratissimus, qui in altari sancto Thymiamatis offerebatur, inventus fuit, & suavissimum ac planè gratiæ odorem, quem semper retinuit, ex flore nardi verbo scilicet divino, iure ac titulo Maternitatis Dei sibi vendicavit; vellem vt omnes Christi fideles sibi persuaderet, omnes Mariæ sanctissime gratias, & prærogativas ex flore nardi tanquam ex prima radice & fonte fuisse derivatas. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. cap. 1.* Ex illo excellentissimam matris Dei prærogativam usurpavit cuius præstantia ex infinitate & illimitatione, quam sortitur, colligi potest; ex hoc enim capite deducere poterimus, nullam aliam dignitatem Beatiss. Virginis excellentiorem esse, maternitate Dei, de quâ Doctor Angelicus asseruit. 1. part. quæstio 25. articulus 6. ad 4.
G 2 tantam

tantam esse & tam præstantem dignitatem, vt Deustitulum maioris dignitatis & præstantiæ illi conferre non potuerit; Et ratio illius est, quia esse matrem Dei est dignitas infinita, infinito autem nihil maius excogitari aut fingi potest in illa linea & ordine, quo infinitum est. Quam doctrinam sic confirmavit sanctus Bonaventura in libro quodam à se edito, quem Speculum virginitatis inscripsit cap. 8. *Beata Virgo est mater Dei, quâ Deus maiorem non potest facere, maiorem mundum Deus potest facere, sed maiorem matrem, quam matrem Dei. Deus non potest facere.* Dignitas ergo matris Dei infinitatem & immensitatem quandam sortitur, cum nihil illâ maius à Deo effici possit, ex quo nulla imperfectio aut debilitas in divina omnipotentia denotatur. Sicut enim Deus absque vlla suæ omnipotentia iactura, meliorem filium verbo divino à se ab æterno genito, habere aut producere non potest: Ita nec præstantiorem matrem, saluâ etiam omnipotentia diuinâ; Nam esse matrê, formaliter importat respectum ad filium à se genitum, & esse Dei matrêm, ad filium diuinum temporaliter ex suo purissimo sanguine afflatu spiritus diuini genitum; Cum ergo Pater æternus meliorem & præstantiorem filium habere non potuerit, ita nec maiore & excellentiorem matrem procreare ac efformare potuit. Tanta est huius tituli & dignitatis excellentia & magnitudo.

Idem Ecclesia Catholica tantâ & tam præclaram Mariæ sanctissimæ prerogativam pro viribus fulcire & defendere conata est, cuius causâ congregatum est vnum ex quatuor præcipuis Concilij, de quibus sanctus Gregorius asseruit, illa tanto honore veneranda & obseruanda esse, sicut & quatuor Iesu Christi Euangelia, congregatum vero fuit contra perniciosum hæreticum Nestorium, qui titulum & dignitatem matris Dei pertinaciter negabat, & à fidelium mentibus delere conabatur. Tempore ergo Theodosij secundi Imperatoris, & Celestini primi summi pontificis definitum est & statutum contra Nestorium Beatiss. Mariam vocandam esse græco vocabulo *Theotochos*, quod matrem Dei significat & exprimit. Et vt tantam dignitatem & diuinum quasi titulum aequaliter cognoscere possitis, considerate, quæso, cum Anselmo filium Dei vnigenitum ad dexteram sui patris sedentem, & ad filij dexteram, Mariam sanctissimam perpendite; Cernite etiam animis patrem æternum sic suum filium alloquentem. *Filius meus est tu, ego hodie genui te. psal 2.* Id est, ab æternitate, vbi nulla est durationis successio, sed semper præsentissima vni formitas durationis: Considerate etiam Beatissimam Mariam sic quoque suum charissimum filium dulcissimis verbis alloquentem. *Filius meus est tu, ego hodie genui te.* Quin & filium diuinum sic suo patri loquentem

tem

tem contempleri, *Pater meus es tu.* psal. 88. Quibus fermè similibus verbis etiam suæ charissimæ matri sine dubio loquitur est. *Mater mea es tu*, qui modus loquendi non solum captum nostrum, sed & quamcunque exaggerationem superat, quem admiratus & stupens sanctus Anselmus in libro à se edito de laudibus sanctissimæ Virginis, sic ait. *Idem ipse, qui in persona est Filius Dei, est in persona Filius Beata virginis, & idem, qui est in persona filius Beata Maria, est etiam in persona filius Dei.* Mirabile sanè est ac planè divinum, quod eadem persona, quæ æterni patris filius est, naturalis etiam filius Beatiss. Virginis existat, & idem, qui filius naturalis Mariæ sanctiss. sit etiam Dei filius naturalis, & suo patri coæternus. Ex quo apertè inferri potest, quòd sicut pater æternus ex productione sui filij naturalis ab æterno, infinitam dignitatem primi principij producentis sibi usurpavit, quæ alijs personis divinis adaptari & accommodari non potest; Ita sanctissima Virgo ex tanto ac tam præstanti filio à se temporaliter genito, immensam & infinitam dignitatem matris Dei acquisivit, ad quã nulla pura creatura, quantumvis in dignitatibus & honoribus crescat, pertingere vnquam poterit. Ex quibus omnibus constat maiores & excellentiores sanctiss. Mariæ gratias & prærogativas, ex nardi suavitate & illius fragantia, quã totius vniuersi flores superat, verbo inquam

divino, derivari, & illi acrescere. De qua natus est Iesus, qui vocatur, Christus. Matth. 1. Et non solum gratias peculiare & excellentiores prærogativas, à suo filio tanquam à nardo fragantissimi odoris participat, sed etiam illius cognomina & titulos accepit. Quod vt confirmemus, notate, charissimi, propriũ titulũ & nomẽ filij Dei, quod illi in sacris litteris attribuitur esse, de sideratus cunctis gẽtibus. *Et veniet desideratus cunctis gentibus* Aggei. 2. cap. Hoc ergo titulo & præclaro nomine hæc puella sanctissima, hodierna die recenter nata, exornatur & condecoratur, ipsius enim nativitatẽ vniuersi homines summoperè exoptarunt. Et hũc esse proprium Iesu Christi titulum, sicq; in sacra scriptura nũcupari clarissimũ est. Nam paraphrasis Chaldaea, vbi nostra vulgata legit, & *veniet desideratus cunctis gentibus*, sic ipsa dicit, & *veniet Messias*. Et in Hebræa versione sic legitur. *Et veniet Iosuah*. Idem ergo in sacris litteris *Messias atque Iesus*, vel *desideratus cunctis gentibus*, sonant, quod præclarum Salvatoris nostri nomen debito iure communicatur & appropriatur Beatiss. Mariæ, ipsa enim sic appellanda & nuncupanda est *exoptata & desiderata cunctis gentibus*. Neque hoc apertè & manifestè comprobare difficile est. Id enim ex firmissimis Theologorum & Philosophorum principijs deduci potest. Docent enim eodem actu voluntatis & desiderij quo quis finem intentum

adipisci desiderat, eodem profus actu media necessaria ad illius efficacem asecutionem desiderare. V. G. qui vult efficaciter consequi sanitatem, vult etiam eodem actu necessaria media ad illius asecutionem. Perpendatis modò charissimi, magnum & eximo pectore ortum desiderium, quod omnes mortales antiquis sæculis habuerunt, vt Deum nostrum formã humanitatis indutũ aspicerent, & proprijs oculis cernerent. Quod satis explicarunt sanctorum Patrum voces & lamenta. *Vtinam dirumperes calos & descenderes. Esai. cap. 64. Rorate cœli desuper et nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet salvatorem. Esai. cap. 45.* Eodem ergo desiderio, quo Christum tantoperè exoptarunt, eodem profus hanc sanctissimam puellam iam natam & in lucem editam, proprijs oculis cernere & intueri instantissimè desiderabant; Si enim verbum aivinum nostram naturam assumere debebat, ex virgine matre, iuxta antiquorũ patrũ vaticinia ea assumenda erat; quare si Iesus Christus, salus nostra & vita præstantissima, desideratus cunctis gentibus nuncupatur, beatissima etiam Maria hodiè felicissimis auspicijs in hanc lucem edita, hoc etiam titulo exornetur, cùm illius nativitas ab universo mortalium genere expectata fuerit; si enim omnes gratiæ & prærogatiuę, quæ in Christo, illarum supremo auctore reperiuntur, Marię sanctissimæ, dum suo statui

non repugnarent liberalissimè collatę fuerunt, quare etiam titulos & præclara illius cognomina, dum ipsi congruere possint, non tribuemus? & cùm Christus assertor noster, desideratus cunctis gentibus vocetur, etiam ipsa tali titulo & nomine decoranda & exornanda est, diversimodè tamen; Christus enim cunctis gentibus desideratus dicitur, tanquam finis vltimus & primò intentus omnium desideriorum: At Maria sanctissima tanquam medium necessarium, vt illa opere & exercitio completerentur. Ex quibus omnibus ratione manifestam deducere poterimus, quare hæc sanctissima puella ex matre sterili hodiè in hanc lucem prodièrit. Existimo sanè rationem huius non incongruam reddi posse, si dicamus, hoc factum fuisse, vt omnibus mortalibus, illam exoptatam fuisse & desideratam cunctis gentibus, inno tesceret, quod & apertè suorum patrũ Annæ & Ioachim desideria, quin & ieiunia, orationes, & frequentes eleemosynæ pro illius nativitate oblata, hæc obscurè indicarunt, Summo perè enim huius sanctissimæ puellę ortũ exoptantes, maiorem rei familiaris partem pauperibus erogarunt. Qua ratione & motivo ducti, non imèritò asseverare possumus, quod Maria sanctiss. cùm ex marerno Annæ vtero egressa fuit, præstantissimum odorem Galbani ex se emisit ac exhalavit. Plinius loco supra citato huius aromatis, quod in altari sancto

sancto thymiamatis olim offerebatur
fermōem faciens, asseruit illud intra
cavitatem arundinū, quæ in terra Pa-
lestinae procreantur, enasci, quibus
arundinibus infirmi & pauperes tan-
quam baculo & bacillo inniti sole-
bant; Et hac de causa existimo, odo-
rem Galbani tanquam Deo gratissi-
mum & acceptissimum in altari san-
cto thymiamatis oblatū fuisse, Vt per
prædictum aroma indicaretur, oratio-
nem & eleemosynam, quæ tanquam
firmissimus baculus pauperes fulci-
re & sustinere solet, & in arundinibus
terræ Palestinae significatam, Deo
gratissimam & iucundissimam esse.
Et ex hoc colligere poterimus, quali-
ter puella hæc sanctissima odorem
præstantem Galbani in sua nativita-
te protulerit, nam eleemosynæ, &
orationum efficacia ex sterili & infæ-
cunda matre progenita, potius elee-
mosynæ & orationum, quàm Annæ
& Ioachim filiam nuncupare possu-
mus. In quo virtus eleemosynæ & o-
rationis enituit, cū ex matre sterili
naturā iam quasi emortuā, ipsam Dei
filiam in lucem edere potuerint. Id
quod per se natura assequi nullo mo-
do potuit, eleemosynæ sanè & oratio-
nes impetrarunt, vt apertius consta-
ret, puellam hanc sanctissimam elee-
mosynis, & orationibus natam, cun-
ctis gentibus desideratam fuisse. San-
ctus Gregorius magnus ingeniosè
perpendit verbum, à Deo Abrahæ cir-
ca suæ prolepiæ propagationem, præ-

stitum, illi enim promisit semen su-
um longè latèq; diffundendū esse; ita
vt ex illo progeniti in numero & mul-
titudine stellas firmamenti superarent.
Quam promissionem sanctus Grego-
rius admirans, difficultatem nostræ
proposito inservientē, excitavit, si e-
nim Deus promissionem Abrahæ fa-
ctam adimplere intendebat, quare illi
vxorem sterilem concessit, quæ adhuc
nonaginta annorum nata, nec dum fi-
lium conceperat: melius & congruen-
tius foret, si sæcundam sæminam Liæ
similem, in matrimonium duceret.
Quæ enim ratione infæcūdi vteri ste-
rilitas, cū tot filiorum multiplicati-
one rectè cohærere potest. Præterea si
hæc promissio pro persona Isaac execu-
tioni mandata erat, quare statim non
fuit executæ? quæ nam necessitas, aut
urgēs ratio excogitari potest, quæ pro-
missionis dilationem congruentē &
convenientē reddat? Mysteriū huius
est, (inquit S. Gregorius) voluit e-
nim dominus generationē Isaac iam
promissam & suorum filiorum multi-
plicationem indies differre, vt consta-
ret Isaac tantoperè exoptatum, & elee-
mosynis ac orationibus sæpius postu-
latū, potius orationis, quàm naturæ
filium fuisse, in quo Deus vim & effica-
ciam orationis nobis manifestare vo-
luit, id namq; quod debilis & infirma
natura præstare non valuit, oratione
consecutum & præstitum fuit. Verba
S. Gregorij quibus tantū mysterium
graviter & subtiliter aperuit, habentur
supet

super cap. Genes. 44. si multiplicatioge-
nerationis Abrahæ per Isaac prædestinata
fuit, cur coniugem sterilem accepit?
Vt constaret, quod talis prædestinatio
precibus impleretur, & quod ta-
lem filium oratione obtinisset. Ad no-
strum ergo propositum propiùs acce-
dentes, cum Mariam sanctissimam re-
center natam totus orbis summo de-
siderio concupiret, & continuis pre-
cibus postularet, voluit & disposuit
Divina Maiestas, vt sanctus Ioachim
sanctam Annam sterilem & infæcun-
dam in matrimonium duceret, vt vis
& orationis efficacia magis eluce-
ret, & vt apertius constaret, ipsam po-
tius desideriorum, quàm naturæ fili-
am fuisse; Et consequenter iure opti-
mo cognomen Christi Domini sibi v-
surpare. *Et veniet desideratus cunctis
gentibus. Aggei. cap. 2. Vt sic peccato-
res in illa firmissimam suæ salutis
spem & desiderium collocarent, in hac
vita illius interventu consequendæ
per gratiam, & in futura per glori-
am, quam mihi & vobis præstare di-
gnetur. Amen.*



Sermo Secundus.

PRO SALVTATIONE Angelica.

Celebramus hodie (charissimi
auditores) ortum & nativita-
tem Beatissimæ Virginis, quan-

do supremus ille rerum omnium opi-
fex & Dominus suæ gratiæ, & gloriæ
divitias quasi in vnum collectas ho-
minibus aperuit & manifestavit, il-
lâ etenim pulcherrimâ creaturâ ex
vtero materno in hanc lucem exori-
ente, spiritalium Dei divitiarum a-
ceruus & cumulus mortalium omni-
um oculis expositus est. Idem illâ pro-
pheta David spiritu prophetico na-
scentem contemplan, montem sion
appellavit. *ps. 47. Idem significat sion*
*atq; acervus, seu multarum rerum cu-
mulus. Volens spiritus divinus hoc in-
dicare, divitias virtutû & gratiæ non
concessas esse sanctissimæ Mariæ
divisim & quasi separatim, sicut alijs
sanctis, sed coacervatas & immen-
tate quadam in vnu collectas. Nec mi-
rum, quia hodie Deus suæ maiestatis
& magnificentiæ claustrum iam in
materno Annæ vtero exstructum, in
lucem eduxit, vbi vexilla virtutum &
divitiarum Dei splendidissimè micâ-
runt. Quod elegantissimè expressit
sanctus Ambrosius quibusdam ver-
bis, quæ refert sanctus Ildesonus Ar-
chiepiscopus Toletanus in sermone
huius festivitatis, spiritu enim &
mentis oculis illam in suæ sanctiss.
Matris Annæ vlnis contemplan, lic
asseruit. *Ecce claustrum pudoris, in quo
versabitur tota maiestas Dei, hic nulla
feditas diræ conditionis, hic vexilla vir-
tutum emicârunt, nullum peccatum pri-
mæ originis hic iam viguit, & fulgent iam
regis vexilla in illo sancto puerperio. Ac**

fi omnibus mortalibus apertius diceret, hodie Deus suæ magnificentiae & spiritualium divitiarum thesauros aperuit, quod ex eo colligere poteritis, quia hodierna luce totius maiestatis suæ claustrum, in quo ipse magnificentissimè versabitur, in lucè edidit, quin purissimum & sanctissimum, ubi nulla feditas diræ cōditionis comparuit, ubi virtutum Dei vexilla splendidissimè micarunt, & in quo illius, vt regis potentissimi vexilla fulgebunt; At reges, cum suā maiestatem regiam, propria insignia & stemmata, vires & potentiam ostentant, omnium suarum diuitiarum cumulum in vnum congerunt ac manifestant. Placeat Deo nostro, vt hoc brevi temporis spatio, ex tantarum divitiarū cumulo, aliquas saltim huius pulcherrimæ puellæ divitias in lucem eruam. Sed prius ad sit nobis gratia spiritus divini, quā summis precibus postulemus, dicentes. Ave Maria.

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. cap. 1.

CVM Propheta David Rex inclutus loqui vellet de opere illo ac miranda fabrica templi Ierusalem à Salomone filio suo magno apparatus, & sumptibus extruenda, his verbis sic effatus est. *Opus enim grande est, nequè enim homini preparatur habitatio, sed Deo. 1. Paralip. cap. 29.* Vbi op-

timam rationem reddidit, quare templum illud pro domo & habitatione Dei extruendū, opus grande & magnificentissimum futurum sit. *Non enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Ac si apertius diceret. Si pro tereno rege superbe domus & sumptuosa arces eriguntur, potiori sanè iure domus & habitatio, quæ soli Deo regi Regum, & domino dominantium preparatur, opulentissimā & miro opere elaborata esse debet. Quæ ratio præstantissimum Davidis ingenium demonstrat, & nostro proposito accommodatissima & congruentissima est; Hodierna enim celebritate, de viuo Dei templo tractaturi sumus (sic vocat Damascenus Beatiss. Virginè, *templum Dei animatum*) quod Deus ad suam magnificentiam & opulentiam ostendendam erexit, quam his verbis Propheta accuratè manifestat. *Opus enim grande est, nequè enim homini preparatur habitatio, sed Deo. 1. paralip. 29.* ac si diceret. Hæc fabrica, quæ hodie à potentissimo ac divino Salomone, & æterni patris sapientia in suam domū magnis sumptibus & innumerabilibus divitijs erigitur, magnificentissima est, quia non in puri hominis, sed Dei æterni habitationem extruitur; Idèd quidquid in hoc templo à primis fundamentis vsque ad illius summitatem reperitur, hoc est à conceptione Mariæ sanctissimæ, ubi illius prima fundamenta iacta fuere, vsque ad illius coronationem in cœ-

H lis,

lis, ubi ultima manus huic edificio imposita est, nihil aliud quam incomprehensibilem magnitudinem præfert. Merito sanè Beatiss. Maria propter suam eximiam sanctitatem, à teneris annis Deo consecrata, templum appellatur, & propter suam magnitudinem præclara civitas. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. psal. 86.* Quæ Davidis verba explicans sanctus Germanus Archiepiscopus Constantino-
 politanus, in oratione quadã à se habita de zona ac cingulo Beatiss. Virginis, sic inquit. *Omnia tua sunt admirabilia o Deipara, omnia super naturam, omnia ingenia, & aliorum vires superantia.* Ac si diceret; nihil est in Maria sanctissima, quod admirabile & supra naturam non sit, nihil quod magnum non sit, cuiuscunque creaturæ vires superans, vt ipsa in suo cantico fateatur. *Quia fecit mihi magna qui potens est. &c. Luc. 1.* Ac si diceret: summus & potentissimus dominus extra communem cursum naturæ mirabilia in me operans ac producens, suæ dextræ infinitam potentiam indicare voluit. Verùm, antequam immensum hoc rerum mirabiliù pelagus ingrediamur, rem quandam summa admiratione dignam, perpendimus, & illius causam diligenter investigemus. Quare enim, cum Ecclesia Catholica hodiernã luce maximæ lætitiæ signis & apertis indicijs, partum Annæ, & nativitatem sanctiss. Mariæ celebret, sanctus tamen Evangelista præsens mysterium

prætermiserit, ac Mariam sanctiss. solum Matrem Dei nuncupaverit. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. cap. 1.* Varias huius rei rationes in superioribus attulimus, vnam modò proferam, quæ nostro proposito deserviet, & nostro iudicio videtur, solum Matrem Dei ab Evangelista fuisse nuncupatam, vt omnibus constaret admirandas ac planè divinas excellentias, quibus hodiernã nativitatiluce ditata & locupletata ex materno vtero prodijt, titulo matris Dei illi liberalissimè fuisse concessas; Nam si non vt esset Dei genitrix, & vera illius mater, nasceretur, compertissimum planè est, tot thesauros gratiæ nulla ratione ei conferendos, neque hoc Dei templum animatum, tot sumptibus ac donis cœlestibus erigendum & aedificandum fuisset. Diversum sanè & opulentius palatium aliis iam extructis foret, quod Rex propriã arte & industriã à primis fundamentis, proprijs expensis & sumptibus, in propriam domum regiam ad ostentationem suæ Maiestatis, erigeret; Ita existimandum est Deum effecisse in construendo hoc Beatiss. Virginis palatio, nequè enim in illa, sicut in cæteris creaturis, inhabitavit, sed à primis fundamentis in propriũ domicilium & regiam aulã, proprio ingenio & arte elaboravit. *Sapientia edificavit sibi domum. proverb. cap. 9.* Æterna patris sapientia in propriam domum & naturalem patriam, vt in illa temporaliter nasceret-

sceretur, extruxit, ipse qui Deus de Deo ab æterno progenitus fuerat, in quo illud Davidis Prophetæ ænigma, alijs temporibus occultum, modo aperitur ac manifestatur. *Homo natus est in ea & ipse fundavit eam altissimus. ps. 86.* Sub titulo enim pulcherrimæ & magnificentissimæ civitatis Dei, super montes altissimos fundatæ, illam describens sic aiebat. Quomodo stare poterit, vt homo, qui ex aliqua civitate iam erecta & ædificata in hanc lucem oritur, illam tamen proprijs manibus ædificet? Quæ ratione hæc inter se cohærere & convenire possunt? In quo inenarrabile mysterium incarnationis verbi divini manifestatur, ex visceribus enim huius sanctissimæ puellæ, quæ hodie, vt sit verbi divini mater, nascitur, ipsum tamen æterni Patris verbum, quod ex illa oritur, proprijs viribus fabricata est, ided tam grande opus in publicam lucem editum & erectum fuit. *Opus enim grande est.* Varia sanè & artificiosa opera ex divina omnipotentia promanarunt, & sine dubio cælorum creatio opus Dei præclarum & accuratissimum existit, cum ipse suam infinitam omnipotentiam ex nihilo cælestia corpora incorruptibilia ac pulcherrima producerit, sed sanctus propheta David hanc pulcherrimam cælorum machinam, opus digitorum Dei appellavit. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum. psal. 8.* ac si diceret. Hæc cælorum fabrica, si cū alijs operibus con-

feratur, opus digitorum est, nullius ferè momenti, quemadmodum & illa, quæ extremitatibus digitorum ex massa aut alia materia confici solent. Aliud opus excellentius & præstantius, post pulcherrimam cælorum machinam, molitus est. (hominem videlicet) quem solenniter, summo consilio, industriâ, & ingenio elaboravit; ista creatura cælos superat, nõ solum in æstimatione & valore, id enim competentissimum est, cum tota hæc corpora mundi machina, animæ valori æquiparari non possit, ut sancti Patres Ecclesiæ sapius asseuerant, sed etiam in supremo artificio, quod in hac hominis fabrica splendet & elucet, cum in illo duæ naturæ profus diverse, corpus scilicet & anima, mirabili & strictissimo vnionis vinculo inter se connectantur & copulentur, corpus ex limo confectum corruptionis causa existens, cælestibus corporibus, quæ in corruptibilia sunt, ignobilius est; anima verò, quæ immortalis & purè spiritualis substantia est, & in qua DEI imago & similitudo mirabiliter splendet, stellata palatia longissimè excelsa, ac planè tota hæc elegantissima hominis fabrica, ex corpore & animâ coalescens, aded ingeniosè & artificiosè confecta est, vt illam admiratus & stupens Propheta David, apertè dicat, se non posse aliqualem eius cognitionem assequi, quod his verbis apertè testatus est. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, consortata est & non po-*

tero ad eam. psal. 138. Ided homo propter maiorem sui præstantiam, quâ celestia corpora superat, à Propheta sapius appellatur opus quoddâ non digitis, sed manibus Dei confectum & mirâ arte elaboratû, sic psal. 118. *Manus tua fecerunt & plasmauerunt me, da mihi intellectum. &c.* Aliud opus longè maius & excellentius condidit Deus, cum nostræ humanæ naturæ in vnitatem suppositi seipsum substantialiter vnivit, ex qua ineffabili vnione Christus verus Deus & verus homo resultauit. Hoc opus mirabile ac planè diuinum, cum Deum ipsum substantialiter includat, omnia alia infinitè antecellit, est planè opus omnipotentis brachij Dei, *fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1.* Ac si diceret: vltimum potentie in tanto ac tam præstanti Incarnationis opere ostenta vit Deus, vbi non solû suæ infinitæ potentie arcum extendit, sed ita incuruauit, vt duo extrema tam diuersa, nêpè Deum & hominem intra vnum verbi diuini suppositum cõcluserit; Ided hoc ineffabile incarnationis mysterium vocat Apostolus Dei exinanitionem, quæ vox quoddam genus anihilationis denotat, cû ergd homo ad Deum comparatus ferè nihil sit, vt Esaias asseruit. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Esa. cap. 40.* Congruè hoc opus, in quo Deus factus est homo, exinanitio Dei appellari potest; quâ consideratione gloriosus Bernardus in extasin & admiratiõem raptus, sic dixit.

O mira Dei vsque ad hominem exinanitio! O mira hominis vsque ad Deum exaltatio. Deus enim per incarnationẽ ita fuit exinanitus- & quasi compressus, vt de se ipso dixerit. *Ego sum vernis & non homo. psal. 21.* Hoc ergd magnum & admirabile Dei opus hodierna die exordium sumit, cum Maria sanctiss. nascitur, quæ ita intimè Deum respiciet, & tam stricto vinculo cum eo connectetur, vt ex illa tanquam ex vera matre, nostræ mortalitatis habitum accepturus sit, ided meritò Propheta dicit. *Opus enim grande est. Non est factum tale opus in vniuersis regnis. 3. Reg. cap. 10.* Ex tantî operis principio, vniuersale hominum gaudium ortum habet; quia Maria sanctissima per suam natiuitatem humanæ salutis primordia denunciavit, licet enim sancti Prophetæ nostræ salutis noua reportarint, ipsa tamen mediæ noctis silètio orta, cû infirmitas humana magis vigeat, fœlicissima incarnationis detulit nuntia; Prophetæ verd à lógè & obscuriùs prædicebant, vt indicat illa verba. *Esaiæ cap. 21. Custos quid de nocte? Quibus vigilias noctis interpellans incertam nostræ salutis horam manifestavit. Quod & Propheeta Balaam alijs verbis prædixit. Num. 24. Videbo eum, sed non modò, intuebor illum, sed non propè. Orietur enim stella ex Iacob.* Sed Maria sanctissima in lucem orta, tanquam iucundissima & lætissima aurora salutis diem & solem nasciturum, certò denunciavit, ipsa enim

enim est ex qua sol iustitia, pro salute hominum, nascetur, vt apertis verbis decantat Ecclesia. *Natiuitas tua Dei genitrix Virgo gaudium annuntiavit vniuerso mundo, ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster &c.* Maria ergo aurora est, & Christus sol, qui ex illa oritur, sanctissima verò Anna vltimam noctis parté gerit, quæ ad auroram propius accedit, illa enim aurora genitrix & mater extitit; Verùm quia Mariam sanctissimam in præcedentibus vt auroram contemplati fuimus, modò in illius natiuitate, tanquam domum & habitationem Dei consideremus, quæ consideratio mirandas sanctissimæ Mariæ excellentias manifestius aperiet. Existimo enim Virginis excellentias ex hoc vno deriuari, quia videlicet domus, & peculiaris Dei habitatio extitit; quod sine dubio spiritus Diuinus nobis significavit, sæpius in diuinis litteris eam cõparando illis rebus, quæ manifestius denotant, Mariam sanctissimam propriam Dei habitationem existere, frequenter enim civitatem appellat, iam templum, deinde cælum, viridarium & hortum, tandem navem institoris nuncupat. *Facta est quasi navis institoris &c. proverb. cap. 31.* Vt conset. quæ eminentiâ & præstantiâ Maria sanctiss. sit Dei locus & habitatio. Ratio verò, quare spiritus diuinus magnitudinem Beatiss. Virginis ex hoc capite deducere voluit, hæc est, Nempe vt pleius & eminentius Dei omnipotentia in patrandis miraculis elucesceret, nullum enim isto præstantius est, quod scilicet Beatiss. Maria locus & habitatio Dei existat; Ad cuius comprobationem notanda sunt duo principia, quæ à natura firmissima lege statuta sunt; Primū est. Inter finitum & infinitum, cum inter illa sit infinita distantia, nullā esse proportionem & adæquationem. Secundum est, inter locum & locatum necessariò futuram esse aliquam proportionem & adæquationem, vt hoc communi axiomatico profitentur communiter Philosophi. *Locus & locatū debent proportionari*, quæ proportio in adæquatione vnus ad alterum secundum vltima eorum sita est, vt in aqua à vase contenta manifestum est, ita enim inter se adæquantur, vt si forsitan aqua per congelationem constipetur, etiam extracta, eandem vasis formā repræsentet, perpendamus ergo modò maximum & potentissimum diuinę omnipotentia miraculum, omnes leges naturæ quasi evertens. Compertum enim & exploratum est, Deum infinitum esse, & consequenter in infinitum creaturam excedere. Constat etiam Mariam sanctissimam puram creaturam esse, & verbū diuinum illius creatorem, & consequenter infinita distantia erit & nulla proportio inter Beatiss. Virginem & verbum increatum, quæ veritas certissima est. Nunc ergo filij charissimi, mentis vestræ oculis, per lumen fidei illustratis, infinitam

Dei

Dei omnipotentiam cernite, & totius vniversi maximum prodigium animadvertite; Hodie enim sumus prapotentisq; dominus suae omnipotentiae vires extendens, creaturam aded excellentem, tanquam proprium locum, in iucundam sui habitationem produxit, vt immensus & infinitus Deus, intra hanc finitam creaturam miro modo concludatur, & contineatur, ita vt magna similitudo & proportio inter creaturam & creatorem reperiatur, quod ex fide Catholica constat; Deus enim secundum suam immensam magnitudinem ac infinitatem, intra Mariae viscera totus cöclusus est, vt Ecclesia sapientius decantat. *In tua se chaussit viscera, factus homo.* Et nulli dubium esse potest, quin vnigenitus Dei filius intra viscera materna proportionatè, & adæquatione quadam ac commensuratione planè mirabili conclusus fuerit, imò & similis loco continenti, vbi nostram naturam & mortalitatem indutus fuit. Sancti patres ita referunt, loquentes de Christo Domino, & sanctissima Maria; tantam enim similitudinem inter se seruârunt, vt in toto orbe alia duo individua similia designari non possent. Quod ex Apostolo Paulo non leuiter confirmari potest; Ait enim Christum Dominum per omnia suis fratribus assimilatum fuisse. *Debit per omnia fratribus assimilari.* Heb. cap. 2. Ex quo à fortiori inferre possumus, suae matri, à qua totam suae carnis substantiam desumpsit, similiorem

fuisse: Secundum diuinitatem Patri suo æterno ita similis extitit, vt Apostolus Paulus imaginem suae bonitatis & figuram propriae substantiae appellet. *Et figura substantiae eius.* Heb. cap. 1. Et in confessione nostrae fidei, in symbolo Athanasij ita legitur. *Qualis Pater, talis Filius.* Symb. Athan. Tanta est inter patrem & filium in diuinis cognatio & similitudo; à simili ergo de Maria sanctiss. loquendum est: si enim DEI sacratissimus locus est, & ab illa verbum diuinum continetur, cögruè & competenter dicere possumus, cum inter continens & contentum aliqua proportio designari debeat. *Qualis mater, talis filius,* vt sic mutuam inter matrem & filium similitudinem explicemus. Sed quomodo Maria sanctissima, cū breuissimus locus sit, immensum Diuinitatis pelagum capere & continere potest? & si ita est, iam leges naturae dissolventur, cū inter finitum & infinitum coaptatio & proportio reperiatur. Neque dici potest, nisi quis horribiles blasphemias proferat, in vtero materno verbum diuinum diuisum & partitum fuisse, Deus enim impartibilis & indivisibilis est, cū omni partium compositione careat, atque aded intra viscera Mariae sanctissimae integer perseveravit, & de Christo domino dixit Apostolus Paulus. *In quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Coloss. 2. Ac si diceret; in Christi corpore absque ulla diuisione tota diuinitas, & vbicumq; illud

Illud repertum fuit, corporaliter habitabit; omnis ergo plenitudo, magnitudo & omnipotentia divinitatis divinissimum Mariæ sacrarium ingressa est, *Quia quæ cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Et si ita est, non solum id quod brevius, id quod maius est, capit & amplectitur, sed id etiã quod infinitum est in omni linea & genere perfectionis, *mundum pugillo cõtinent, brevi sub arca* [vteri virginei huius puellæ, quæ hodie nascitur, comprehenditur. Hoc est maximum portentum, toti orbi occultũ & inauditum; Ided sancti patres, cum de Maria sanctiss. loquuntur, sine maxima admiratione loqui nesciunt, ac si de maximo toti vniuersi prodigio verba facerent. Sanctus Ephrem sapius vocat illam *præstantissimum orbis terra miraculum.* Sanctus Ignatius, *Monstrum & celeste prodigium.* Sanctus Ioannes Damascenus *officinam miraculorũ.* Sanctus Augustinus *Thalamum recreationis cælestis sponsi, in suis visceribus* (inquit) *thalamificavit, quem omnis creatura tremat.* Sed adhuc intellectus noster non quiescit, vellet enim diligentius investigare, qualiter cum Dei immensa magnitudine coherere possit, vt strictus ac brevis Mariæ vterus, Deum capere & continere possit, ita ut nihil divinitatis sit, quod ab illo non contineatur; cuius rei resolutio & investigatio præstantissima & dulcissima est. Ad eius maiorem intelligentiã primò advertendum est, Mariam sanctissimam, &

omnia, quæ in illa reperta fuerũt, maxima totius vniuersi miracula extitisse. secundò, quodd, si Deus intra suæ maiestatis & magnitudinis limites cõtineretur, nec aliquo modo se exinaniret, sicut nec cæli illum capere possunt, ita nec vterus sanctiss. Virginis, quia implicat, vt id, quod ex natura sua est in cõprehensibile, cõprehendatur, & minus maiore præstatius sit, quod tãen planè eveniret, si id, quod minus est, cõtineret id quod maius est & excellentius. Tertio diligenter advertendum est, quodd, si Deus aliquid suæ magnitudinis ac maiestatis amitteret, vel iacturam aliquam pateretur, iam sine decore & magnitudine esset, & si hoc impossibile supponeretur, nullum foret miraculum, quodd virginalis vterus Mariæ sanctiss. Deum caperet ac comprehenderet, cum non in illa magnitudine & imensitate, quã in se est, intra virginealem vterum clauderetur. Deus ergo hæc inter semirabiliter coniunxit, & suã infinitã omnipotentiã copulavit, videlicet, quodd Deus suã maiestate persistente, sine vllò suæ divinitatis detrimento aut iacturã, vterum virgineum, tanquam propriam recreationis & quietis sedem, occupet. Responsio igitur nostra est, Deum imensũ, infinitum ac omnipotentem, vt vterum virgineo adæquaretur, & illi proportionaliter responderet, aliquo modo, abbreviatũ fuisse, vt sic ab ipso cõprehendi posset, quo non obstante, suã etiã maiestate servatã, absque vlla suã magni-

magnitudinis iactura ab vtero capi & cōtineri potuit; & hoc sanè fuit supremum suæ infinitæ potentia miraculum. *Præstantissimum orbis, terra miraculum.* Athenis quædam quæstio inter sapientes Philofophos proposita & agitata fuit; quænam inter omnes totius vniuersi creaturæ maior & minor simul existeret, quæstio planè eò dignior attentione, & mentis applicatione quòd, ista maiorem inter se contrarietatem afferunt. Non ita difficilis quæstio foret, si tantum in illa peteretur quæ nam res maior esset in vniuerso; Huic enim facile occurri posset, si aliquis diceret cælum Empyræum alias totius vniuersi creaturas mole & magnitudine superare. Nequè etiam difficile foret designare rem totius vniuersi minimam, si quis affirmaret punctum indivisibile lineæ, in vniuerso tanquã rem minimam designandum esse. Quæstio tamen proposita difficultatem maximam præ se fert. *Prima sententia* quæ in hac quæstione applausum & acclamationem habuit, tanquam rem maiorem & minorem simul, pupillam oculi designavit, illa enim, parua cum sit, Maria, terram, solem & lunam continet, quin & stellas quarum qualibet septies sua magnitudine totã terram superat, quæ omnia in illa tanquam in pellucido & chrystallino speculo repræsentantur. *Alij Philofophi*, qui ingenij acumine cæteros, superabant primæ sententiæ se opposcentes asseruerunt, intellectu-

uam potentiam rem esse maiorem & minorem totius vniuersi, illa enim omni carens extensione ac omnino indivisibilis, tanta amplitudine prædita est, vt non solum ad præsentia & visibilia, sed etiam ad præterita & futura, & infinita intervallo distantia, quin & ad illa quæ aliquod esse habere possunt, se extendat. Tanta est illius magnitudo & præstantia. His quia melius cæteris Philofophis responderunt, iam censores & iudices Athenienses præmia conferre statuebant; sed *alius Philofophus* questionis nodum accuratius dissoluens, præmium reportavit; asseruit enim *ovum Horomacen*, tanquam rem maiorem & minorem totius vniuersi designandum fore: de quo Græci affirmârunt (vt referunt Cælius Rhodiginus & Pierius Valerianus) istum antiquissimum virum Horomacen, initio mundi viginti & quatuor Deos, ex quibus alij boni, & alij mali erant, intra ovum inclusisse; accidit ergò, quòd filij Arimanthi inter se pueriliter colludentes, ovum confregerint, ex quo eventum (vt Græci confabulantur) effectum est, vt bona & mala inter se permixta ex confrecto ovo emanarint; & hæc est causa quare hodie in mundo bona & mala tanto federe connexa & coniuncta sunt, vix enim bonum à malo separatum reperitur, nequè delectatio aliqua, aut gaudium, nisi pœna & luctus comitentur. Meritò sanè Philofophus iste palmam & victoriam assecutus est; *Maius namque*

fuit tot Deorū numina intra parvum ovum compræhendere, quàm omnia creata præsentia, futura & præterita intra nostrum intellectum intelligibiliter habere. Sed apertè constat prædicta, figmenta poetica fuisse, licet suam significationem habuerint; Nam antiqui per Deos intra parvum ovum comprehensos, viginti & quatuor diei horas intellexerunt, quas idè Deos appellârunt, quia solis esse filios, quem tanquam Deum adorabant, existimârunt, & sicut filios leonis, leones etiam nuncupamus: ita ipsi solis filios tanquam à Deo progenitos, Deos etiam appellabant. Historia relata, licet commentitia profus sit, firmissimam tamen nostræ fidei veritatem non evertit, sed potius adumbrat, secundum quam non falsa & e mentita gentilium numina, sed æternus & verus Deus, à quo omnia creata fuerunt, intra tenerimæ & purissimæ Virginis viscera concludi non erubuit, vt Ecclesia sæpius de illo decantat. *Non horruisti virginis uterum, Ex cant. Te Deum.* Quòd si hoc spatium quo Deus contentus fuit, loco, quem ovum occupat, latiùs videatur, secundum tamen gravissimos Theologos, Christus assertor noster angustius adhuc spatium intra materna viscera occupavit; Nam (vt Theologi tradunt) Verbum Divinū secundum corpoream substantiam, etiam si in instanti suæ conceptionis corpus perfectissimè organizatum assumerit, illud ta-

men quantitatem apìs non excessit, ita affirmant graves Theologi; Et Magister sententiarum ait, in instanti conceptionis corpus Christi Domini perfectissimè organizatum fuisse, non tamen alicuius formicæ extensionem superasse, ita vt vix nostris oculis percipi posset. Hæc sunt illius verba. *Adeo tenuiserat & parva forma, vt vix humano visui subijci posset; Quemadmodum enim in quacunque vel minima particula hostiæ consecratæ tota Dei immensitas continetur: ita Verbum Divinum imensum & infinitum, per Incarnationem, intra breve uteri virginis spatium, vt vix aliud brevius reperiri posset, inclusum fuit. Et vt difficultatem & quæstionem inter Athenienses excitatam, apertius dissolvamus, dicatis; quæso, charissimi auditores. Quis Deo nostro totius uniuersisupremo molitore & artifice maior designabitur? *Quis Deus magnus, sicut Deus noster? psal. 76.* Ille ergò qui magnus & immensus est, ita paruulus pro nobis effectus est, vt intra materni uteri strictissimum locum, vnus formicæ spatium vix repleuerit, in quo tota Maiestas & immensitas Dei, omnis beatorum gloria, & totius orbis regimen delituit, *suscipitur à Maiestate humilitas.* Ibi personalis vnio Verbi Divini locū sibi accommodatum destinavit; Et hic sanè locus ille est, toties in propriâ Dei habitationem mirabiliter consecratus, tanquam cæleste illius palatium, vt asseruit Propheta*

I

David

David. Dominus in templo sancto suo, dominus in caelo sedes eius. psal. 10. vbi in terris corporaliter requiêvit; Fuit etiam Paradisus voluptatis, ad quem tanquam in proprium hortum sponsus descendit, vt fructum pomorum suorum caperet, ac locus privilegijs & imunitatibus refertus, ad quæ delinquentes peccatores accurrunt, vt suorum delictorum remissionem consequantur. Tandem locus iste sacratissimus est, ybi pretiosissimum aurum conflatum est. Habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur. Iob. cap. 28. Locus iste difficilis est, sed de Beatiss. Virgine & eius filio intellectus, claram habet explicationem. Per argentum Maria sanctissima conuenientissimè intelligitur, Quemadmodum enim post aurum nullum metallum pretiosius argento excogitari potest: ita inter omnes creaturas post DEUM nihil Mariam illustrius & excellentius est, & sic verissimè de illa efferi potest id, quod Propheta David de verbo divino affirmavit, *Argentum igne examinatum, purgatum septuplum.* psal. 11. Hoc est, amoris divini igne mundatum. Nam spiritus divinus amore suo ardentissimo ita illud inflavit & depuravit, vt sanctus Anselmus dicat, in linea puræ creature nullam Mariam sanctissimam puriorem excogitari posse, quæ multo melius Angelicis spiritibus illa verba pro-

ferre potuit. *Ignem me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* ps. 16. De hoc argenteo vase inestimabilis valoris ait sanctus Iob, quod suarum venarum altissima principia sortitur, cum ex sanctissimis Patriarchis, Regibus inclytis & illustrissimis viris, qui in Evangelio connumerantur, originem ducat. Alia tamen sanctiora & prestantiora principia, & venas illustriores, hæc purissima puella adepta est, cum ab ipso Deo, à quo in matrem suam ab æterno prædestinata est, principuam originem ducat. *Ab æterno ordinata sum. & ex antiquis, antequam terra fieret.* proverb. cap. 8. Ex his principijs secundum esse gratiæ derivatur, propter quam causam sanctus Bernardus eam his verbis gratiæ primogenitam appellat. *O innumerabile & mysteriosissimum sacramentum. Maria filia primogenita est Iesu Christi, & Iesus Christus primogenitus filius est sanctissime Mariæ.* Quod alijs verbis explicuit Propheta Iob. *Et auro locus est, in quo constat.* Aurum verbum divinum indicat, vt dicit Clemens Alexandrinus. *Aurum est ipsum verbum ab interitu alienum, quod minime suscipit rubiginem corruptionis.* Aurum semper divinitatis symbolum extitit, idè sponsa caput sui sponsi, aurum optimum, appellavit. *Caput eius aurum optimum.* Cant. 5. Et Apostolus Paulus ait, *caput Christi esse ipsum Deum.* *Caput Christi Deus.* 1. Corinth. 11. Et meritò per aurum Deus significatur, quem-

ad

admodum enim aurū huius cōditionis est, vt possidentes diterita Deus illos, qui eum per gratiam possident, locupletissimos & omnibus divitijs abundantes reddit, vt Apostolus dicit. *In omnibus divites facti estis in illo. 1. Corinth. 1. Quare in 3. cap. Apocal. Deus sic quendam Episcopum allocutus est. Suadeo tibi emere a me aurum ignurum probatumq̄, vt locuples fias. Non suadet nobis Deus, vt aliud à se præter seipsum, & suū regnum emamus; ipse namque fulgentissimum & pretiosissimum aurum est, quod in æternum homines dicit & opulentos facit. Hoc igitur divinitatis aurum locum sibi destinatum habet, in quo conflatur, nempe sacratissimam Mariam, in cuius visceribus nouem mensibus habitavit, vbi Christus assertor noster miro modo conflatus fuit, cū in vna & eadem verbi divini persona duæ nature, hūana & divina afflatu spiritus divini, convenerint; & ad eum modum, quo medio igne ex argento & auro, tertium quoddā metallum ex eis compositum, resultat, quod electrum nuncupatur, in quo verum argentum & aurum reperitur, argento tamen nitidius ac splendidius, vbi aurum sui coloris pulchritudinem mirificè ac verissimè attemperat: Ita ex humanitate tanquam argento, & ex divinitate tanquam auro purissimo in Mariæ sanctissimæ vtero illud pretiosissimum electrum conflatum est, de quo dicit Propheta Ezechiel. *Et de me-**

*dio ignis quasi species electri &c. Ezech. cap. 1. Ignis, quo electrum hoc confectum est, ille planè fuit spiritus divinus, qui in mysterio Incarnationis ignis naturam gessit, non consumentis, sed illuminantis, locus vero, in quo electrum conflatum fuit, vterusest Beatiss. Virginis. Conceptus est de spiritu sancto ex Maria Virgine, in symb. In hac admiranda ac planè divina electri specie, nostræ naturæ & humanitatis argentum, vsque ad esse divinum elevatum & exaltatum fuit, aurum verò divinitatis temperato & quasi abscondito colore, licet semper suam naturam ac valorem retinens, intra electrū latuit, quia in hac duarum naturarum ineffabili vnione nulla substantiarum confusio facta est, vt sanctus Athanasius in symbolo fidei perspicue docet. *Non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. in symb. Athanas.* Et hanc ineffabilem vnionē verbi divini cum carne exinanitiōem uocat Apostolus sic dicens. *Cū in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit formā servi accipiēs, & habitu inventus vt homo. Philipp. 2.* Sed quod admirandum ac stupendum videtur, illud sanè est, quod videlicet cū Maria sanctissima locus iste sit, in quo aurum divinitatis conflatum est, aurum tamen non in auri, sed in argenti forma cōpareat, ed ipso, quodd argento vnitur, vt divinum electrum efformetur, hoc maximam admirationem causat, quemadmodum &*

maximum prodigium cuiusque videretur, si aliquis ex eo quod sedi argenteae insideret, totus ex argenteo confectus videretur, quod plane indicat illa mysteriosa Evangelista verba. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth. 1.* Quibus breviter & collectim praedictum mysterium manifestavit. *De qua natus est Iesus, &c.* Ac si clarius diceret. Maria sanctissima talis Dei sedes & locus extitit, ut ipsum Deum ex se verissime produxerit, ac in propriam sui speciem commutaret ac transformaret, quo stylo Evangelista Matthaeus, quicquid de illa afferri potest, summo ingenio & artificio aperuit, & usus est elegantiori & accommodatiori modo aliquem laudandi & extollendi, etiam in sacris litteris usurpato. Volens enim Sacra Scriptura ducem generalem populi Dei Iudae Machabaeum eximie laudibus extollere, & sigillatim illius egregia facinora, quae innumerabilia erant, enarrare non valens, quendam sui exercitus strenuum militem laudare cepit, ut unius particularis militis praestantia & animo invincibili animadverso, egregia facta, & praecitata sui generalis ducis facinora plenius & melius agnoscerentur. Capite ergo 6. primi libri Machabaeorum, huius strenui militis facta enarrare incipit. Concitata namque iam pugna & congresso utroque exercitu Iudae Machabaei & Regis Antiochi, cum Antiochus triginta & duos fortissimos elephan-

tes secum ferret in exercitu, supra quos arces quaedam lignae exstructae erant, quibus veterani & fortiores milites abscondebantur, sed & quamcunque istarum bestiarum mille infantes & quingenti equites comitabantur: ille praestantissimus & strenuus miles Eleazarus, omnes illas bestias attentè contemplatus, illarum maiorem regis stemmatibus & armis coopertam esse animadvertens, ibi personam regiam Antiochi adesse sibi persuasus, *Dedit se ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen aeternum.* 1. Mach. cap. 6. pro libertate sui populi propriam vitam exposuit, ut rege Antiocho & elephante interfectis, etiam cum lux vitae iacturam aeternum nomen & famam consequeretur, viriliter ergo & magnanimitè hostem aggrediens. *Currat ad eam audacter, in medio legionis interficiens à dextris & à sinistris, & cadebant ab eo huc atque illuc.* Tandem ad bestiam perveniens, proprio mucrone illam vulnerans ac transfigens, illam oppressus cum ea pariter occubuit. Eodem prorsus ingenio, quo scriptura sacra Machabaei laudes expressit, Evangelista etiam ad laudes Beatiss. Virginis exprimendas, usus est. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus, Matth. 1.* Ac si diceret. Mariae sanctissimae praecelatas excellentias & innumerabiles praerogativas sigillatim exprimere prorsus impossibile est. Ut eas tamē aliquantulum lustrare possitis, progenitum à Maria sanctissima ducem & mi-

& militem strenuum, ante oculos proponam, quem Pater æternus per Prophetam Michæam præstantissimum ducem appellat. *Ex te enim exierit dux, qui regat populum meum Israel, Michea cap. 5.* Est que in bello ita versatus & exercitatus, ut illum Spiritus Divinus antiquum & veteranum militem appellet. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, Michea cap. 5.* Peculiari etiam titulo & ratione sub Beatiss. Virgine tanquam proprius miles victitavit, adeo proprius illius extitit, ut mundus nihil ita proprium vnquam possederit, cum fuerit illius filius naturalis; Fortissimus planè dux & miles adeo strenuus, ut mundum ac dæmonem, aliàs inuictissimas bestias, quarum vires nulla humana virtus, nisi divinà adiuta illas cõprimere aut superare potest, etiam cum proprio vitæ suæ detrimento validè compressit. *Vitam nostram moriendo destruxit.* Ex hoc ergo inuictissimo duce Beatissimæ Mariæ præstantiam & excellentiam agnoscetis. O Maria sanctissima, foelicissima cæli ianua, per quam æterni patris filius hunc mundum ingressus, & nostrà humanitate indutus fuit, tuæ misericordiæ ianux nobis peccatoribus pateant, cum pietatis & totius consolationis mater existas, ut sic tuâ intercessionem adiuti, locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei occupare ac possidere possimus, ubi te tanquam matrem gratiæ & reginam gloriæ cognoscamus. Quam mihi & vobis

præstare dignetur IESVS CHRISTVS Amen.



Sermo Tertius.

PRO SALVTATIONE
Angelica.

Hodie, charissimi filij, hic in vnum conuenimus, ut ortum & nativitatem illius sacratissimæ puellæ celebremus; quæ Dei nostri voluntatem fortiter & suauiter attraxit, ut celeri cursu, tanquam sponsus de suo thalamo procedens, nostram naturam sibi in verâ & legitimam sponsam assumeret. Pulcherrimæ sanè & præstantissimæ femine præteritis & iam elapsis sæculis floruerè, sed suâ præstantiâ & pulchritudine oculos & Dei affectum, ut ex illis carnem per divinam sponstationem assumeret, post se non tulerunt. Pulcherrima fuit Rebecca, sed non ut in matrimonium à Deo duceretur, sed ab eius seruo & amico Isaac. Speciosa valdè & venustissimâ formâ decorata fuit Rachel, sed non ut tanto & tam præstanti domino nuberet, illam Patriarcha Iacob meritisimè in matrimonium duxit. Ortâ tamen & in lucem editâ hâc pulcherrimâ & præstantissimâ Mariâ sanctissimâ, Verbum Divinum celeri & pro-

& proferato cursu, eam in propriam sponsam & matrem, vt ex suo purissimo sanguine nostram naturam assumeret, adoptauit, & strictissimis amoris nexibus stabilivit. Notanda sunt illa verba *Esaie. Propheta cap. 7. Ecce Virgo concipiet & pariet filium.* Quæ ad nostrum propositum ingeniosè accommodari possunt. Illis enim Deo nostro spiritu prophetico hæc nostram sacratissimam puellam nascentem prævidens, sic affatus est, *Ecce Virgo.* Quasi eum tam præstanti femina ad matrimonium invitans. Forsitan interno animi affectu, iam præclarissimas alias veteri testamenti feminas obtulerat, sed nullam earum illius animum allicere animadvertens, Mariam sanctissimam ante oculos exposuit, tanquam extremum & vltimum totius pulchritudinis & venustatis miraculum. *Ecce Virgo.* Quæ oculis divinis ita placuit, & illius voluntatem attraxit, ut nullam temporis dilationem factam, aut personam prævio examine, aut exquisitione præcedenti, sicut in alijs matrimonijs fieri cõsuevit, statim verbum sponsationis promisit; in cuius comprobationem per Prophetæ verba sic asseruit. *Concipiet & pariet filium.* Tanta fuit huius sanctissimæ Virginis venustas & eximia pulchritudo, quam, vt saltim balbutiendo hoc breui temporis spatio, resonemus, necessaria profus est spiritus divini gratia, illam intervencu Virginis recenter natæ postulemus, dicentes *Ayè Maria.*

De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Matth.

cap. 1.

SI de Deo, qui summa veritas est, veritates aliqua proferendæ & prædicandæ sunt, procul dubio omnes illæ magnitudinem quandam & immensitatem Dei demonstrabunt; nam ipse infinitus & immensus est, & magnitudinis eius nõ est finis, in quo nostra Christiana & Catholica religio ab alijs sectis, & sæculi huius ementitis religiõibus differt; Aliæ enim confictæ religiones de Deo humiliter sentiunt, & de illo ridicula, uana, & abjectissima prædicant: At nostra Catholica religio nihil de ipso, quod tantam aiestate dignum non sit, profert, aut verbis aut factis manifestat. Superstitiosa gentilitas, turpia, vilia, & omnino execranda suis ementitis numinibus attribuebat, quæ vix de aliquo infimæ & inferioris notæ homine dici, sine illius iacturâ possent. Quare in clyti Ecclesiæ Martyres id Tyrannis principibus obijcere solebant, iam Veneris lasciviam & extremum turpitudinis, iam Iouis crudelitatem & nefandam turpitudinem, nõ tam execranda numina adorarent. Quid non Græci, & Sarraceni in suo Alcorano de Deo nostro affirmant? multa sanè turpia & blasphema, quæ nequè de turpissimo homine audiri aut cogitari possunt. At Christiana religio nihil de Deo.

Deo quod immensum aut infinitum non sit, ullo unquā tempore aulā est prædicare. Quod si Barbarorum ignorantia nobis obijciat, etiam Catholicam religionem multa Deo attribuerē quæ indigna prorsus illius infinitæ præstatiæ & magnitudinis esse videntur. Cū de illo dicat pauperem & mendicum hominem fuisse, quin & mortalem, ac tanquam maleficum, & turpissimum homicidam diris uerberibus exceptū, & cruci inter duos latrones summā confusionē & ignominiam affixum. Illis occurrendum est, prædicta omnia potius magnitudinem Dei, illius præstantiam & infinitam bonitatem indicare, & nihil ad laudem & eius gloriam exaltandam eminentius dici posse. Hæc enim sunt aperta & manifesta suæ bonitatis, misericordiæ & infiniti amoris erga hominem indicia, in hoc magis præstantissimum sæq; infinitæ bonitatis attributum splendet, & etiam illius omnipotentia clarissimè elucet. Quia nullus, nisi infinitæ potentia sit, potest se ipsum infinito modo exinanire & humilimè deicere. Si gigas infinitæ magnitudinis reperiretur, qui sine ullo suarum virium detrimento aut iacturā, ad paruissimam vnius vermiculi quantitatem se reducere & contrahere posset, alijs gigantibus sine ullā comparatione fortior & potentior esset, ita sane de verbo diuino cogitandum & loquendum nobis est, quod propheta David gigan-

tem vocat. *Exultauit vt gigas ad currendam viam. psal. 18.* Ipse enim sine ullā suarum virium aut infinitæ omnipotentia iacturā, suam immensam magnitudinem ad breuem vnius apis quantitatem, in instanti suæ conceptionis intra vterum maternum compressit, & in hoc supremam suam omnipotentiam mirabiliter demonstravit. Non infimam, & spernendam suæ artis peritiā ostendit artifex, si ex lapidea quantitate montis, perfectam & naturalem hominis statuam summo ingenio elaboratam, conficiat: Sed maiorem suæ artis peritiā & præstantiam manifestabit, si in parvulo & exiguo cerasi osse nauem malis & velis, & omnibus alijs necessarijs exornatam perfecte & naturaliter elaboraret: ita plane effectum est in divini verbi miranda ac planè divina Incarnatione; immensa enim Dei magnitudo intra exigui corporis extensionem compressa & abbreviata est, ubi vexilla virtutis & omnipotentia diuinæ splendidissimè micarunt. Quæ omnia ad hoc confirmandum allata sunt, vt certum omnino & stabilitum sit nihil de Deo, si vereloquendum est, dici aut affirmari posse, quod magnum aut immensum non sit: Non dissimiliter (charissimi filij) si id quod verum est de sacratissima Maria prædicare & profiteri debemus, non more hæreticorum fabulas narrantes, vt ait Propheta David. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes. psal. 118.* Sed mo-

re-

Catholicorum vera proferentes, nihil de illa efferre possumus quod magnum & immentum non sit. Omnia enim quæ in Maria sanctissima reperiuntur, immensitate quadam & infinita quasi magnitudine decorata sūt, si virtutes contemplemur in gradu quodam heroico & eminentissimo resplendent, si dignitatem, infinita est illius dignitas & præstantia, si gratiam illius intaeamur, plenitudinem quam sortita est, quia Beatissimæ Virgini iuxta infinitæ dignitatis proportionem collata est, si ad pulchritudine animæ & corporis mentem convertamus, tantam inueniemus, ut spiritum diuinum & spiritus Angelicos in maximam admirationem rapiat, quin & vnicus sui capitis vel minimus capillus, cor & volūtatē Dei præ amoris magnitudine foras extraxit, & quasi sibi proprium vindicavit, ut ipse spiritus diuinus fatetur. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno crine colitur. Cant. 4.* Quod si illius animæ puritatem perlustremus, nulla post Deum creatura purior excogitari potest, si ad illius pietatem & misericordiam, nulla maior vsquam erit, cum illam peculiari hoc matris misericordiam titulo tota universalis Ecclesia celebret; nec mirum hoc est, cum ipsum misericordiarum mare ipsam pertransierit atque inundauerit. Et si ad illius capacitatem attendamus, tanta est, ut corpora cœlestia ad illam comparata, brevissima sint, cum Deus noster pro-

pter illorum breuitatem, tanquā scabellum pedum suorum illi deseruire non valentia, totam hanc vniuersam machinam extruxerit, ut saltim pedes extendere & dilatare posset. Hunc ergo tam proceræ magnitudinis giganteam pulcherrima hæc Maria sanctissima verè complexa est, & in suis visceribus quietam & iucundissimam habitationem exhibuit. Deniquè si illius fortitudinem consideremus, nullam maiore antiqua aut præsentia sæcula celebrarunt. Fortitudo & robur Iudith vestigium & umbra huius fuit, sed & fortitudo dæmonis, de qua spiritus sanctus affirmat, nullam esse in terra quæ illi comparari possit. *Non est potestas super terram quæ comparatur ei, infirmitas & debilitas est, si cum viribus & illius robore conferatur, quia ipsa ita strenuè cum dæmone decertavit, ut illum devincens & in terram prosternens, illius caput miserimè confregerit. Ipsa conteret caput tuum. Genes. 2.* Omnes relata & connumerata virtutes quoniam fundamento firmatas & in æternum perpetuo robore stabilitas fuisse existimatis? Non sanè supra elationis & superbiæ debilissima cacumina, sed supra maximam, & profundiorē totius creaturæ humilitatem, quæ tanta & tam profunda fuit, ut propter illam, præter Christi humanitatem, nulla alia creatura in cœlestibus palatijs præstantiorem locum sibi vendicet, ut ipsam suo cantico expressè fatetur.

Quia

Quia respexit humilitatē ancilla sua, esse enim ex hoc beatam me dicent Luc. 1. Deinde si illam vt salutis arcam contemplerur angusta & planē breuis nauicula fuit arca Noë. Nam ibi solū vniversi illius seculi octo tantū persona liberata fuerūt; Sed Mariæ sanctiss. interuentu & frequentipatrocinio, non vnus tantū mundus, sed plures, qui singulis centū annis prætereunt & labuntur, ad desideratum salutis portum per intercessionem Mariæ sanctissimæ perveniunt. Quod si illam tanquam turrim concipiamus, ita extensa & eleuata est, vt si ei alia comparetur, depressæ & exiguæ celsitudinis iudicanda sit; Quin de Babilonica scriptū est in sacris litteris, illam gigantes ad cælum vsque eleuare & erigere voluisse, vt suis manibus & propugnaculis cælum ipsum pertingerent, quod vel ideo effecerunt, quia tanta erat illorum superbia & iactantia, vt etiam contra Deum bellum gerere conarentur, vel quia aliam diluvij inundationem timentes, securum locum sibi parabant, sed illorum labor frustraneus fuit; Nam Deus linguarum confusionem causans, vix mediā turris partem extuxerunt. At Maria Sanctissima turris est mirandæ celsitudinis, quam tres illi sanctissimæ Trinitatis gigantes, Pater, Filius & Spiritus sanctus proprijs manibus ædificarunt, vt mediā illius altitudine cælestia palatia possemus adipisci, & exiguo labore cōsequi, vbi

homines contra seuerissimam Dei iram se tueri & confovere possint. Neque supremū huius celsissimæ turris ædificium aliquādo interruptum fuit, sed continuè & sine ulla mora constructum, non solū empyreum, sed etiam sanctissimæ Trinitatis cælum, diuinitatem videlicet omnibus diuinis personis communem, proprio capite pertingit, super Seraphin sedet, & supra illorū capita pedes collocans, proprio suo capite tanquam Ecclesiæ militantis & triūphantis collum, ipsum Christum Deum & hominem, qui caput Ecclesiæ constitutus est, mirabiliter pertingere uisa est. O mirabilis & planē diuina magnitudo & celsitudo! ego turris (inquit Beatissima Virgo) suum charissimū sponsum alloquens; & sponsum illi respondet, *Quæ ædificata est in propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Cant. 4.* Ac si diceret; nostra charissima sponsa turris est & armorum ditissimus thesaurus, ubi Christi milites diuersa armorum genera, tam offensiuā quàm defensiuā contra peccatorum monstra reperient. Si superbiæ aurate tumidum & inflatum sentias, Mariæ sanctissimæ profundam humilitatē conspicias, & humilitatē tibi acquires, si iræ tempestatibus te turbatum & commotum sentias, illius mirā mansuetudine statim illas cōprimes. Ideo Ecclesiæ mitissimam vocat. *Inrer omnes miris. In hymno.* Si carnis vehementes stimuli te urgent & affligunt,

K ad

ad hanc divinam turrin confugas, & angelica illius puritate communitus victoriam reportabis. Quinã, queso, oculi aded impudici & turpes in venientur, vt in faciem purissimã Virginis defixi, non statim erubescerent, in castos & puros commutentur? Historia Hispaniarum referut de illo nobilissimo domino Roderico Viuar duce extrenuo & præstantissimo, quem Moravi & Sarraceni Sid nũcuparunt, tantum terrorem & severitatem in vultu & aspectu præ se tulisse, vt omnes Pagani illius gravem & severam faciem intuentes, magno timore & tremore correpti, totis artibus contremiscerent. Tanta ergo gravitas, maiestas, severitas, & honestas in divino Marię vultu resplendebat, vt etiam impudentiores oculos confunderet & deprimeret. Tandem in quacunque spiritus & animi perturbatiõe te constitutum invenias, ad turrin hanc munitissimam confugas, quia in Maria sanctissima, vt inquit sanctus Bernardus, tristis solatiũ, infirmus sanitatem, peccator suorum peccatorum remissionem, captivus libertatem, Angelus læticiam, vnigenitus filius Dei carnem purissimam, & sanctissima Trinitas gloriam invenit. Hęc est turrin illa amplissima, vbi etiam si suã altitudine ad cœlos vsquẽ pertingat, nulla linguarum confusio in illius erectione & fabrica inventa est, quin potiũs Deus noster divinum & novum dicendi & loquendi modum per illam nobis ape-

ruit. Quis enim æterni Patris Verbum quod ab æterno ab ipso semper prolatum est, aliquando expressum & clarum auribus percepit? Quoad vsq; cellissima tacris suis visceribus illud concipiens, iam formã humanitatis indutum, nobis clarum & expressum tradidit. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ioann. cap. 1.* Scriptura eam esse civitatem Dei & propriam illius patriam sapius asseuerat, quia nihil ex his, quę civitatem aliquam inclutam & opulentam reddunt, illi defuerunt; Nam civitas, quę opulenta & magnifica est, Regem, præfectũ, muros, templũ, leges & privilegia, fontes, scholas, voluptates, & divitias, arma, pacem, mutua hominum commercia, & præclaros cives continet, quę omnia excellentiori modo in Beatissima Virgine reperiuntur, hęc enim Rex regum, & dominantium Christus Dominus tanquam in throno Maiestatis præfuit, *Dominus regis me & nihil mihi deerit. ps. 22.* Ipse etiã murus & illius propugnaculum fuit. *Ponetur in ea murus & antemurale. Esa. 45.* Sũptuosissimũ huius civitatis templum nullã internã aut externã peccati maculã profanatum fuit. *Sanctum est templũ tuũ, mirabile in equitate; ps. 64.* Hęc misericordię, & clẽntię leges tãquam in summo pietatis fonte splendidissimẽ micarunt. Hęc vniversitas & Academia florentissima, sanctorum scientiã, & omnium decore virtutũ emittit. Quis huius paradisi amœnitatem &

delicias verbis explicare poterit? *Speciosa facta es & suavis in delictis tuis, Sancta Dei genitrix.* Est civitas planè opulentissima, quæ cælestibus bonis omnes affluenter ditare potest. *Multa filia cõgregaverunt divitias, tu supergressa es univasas.* *prov. 31.* Arma etiã fortissimorum virorum miro ingenio elaborata in hac civitate reperiuntur. *Omnis armatura fortium.* *Cant. 4.* Idèd Spiritus divinus appellat. *Terribilis ut castrorum acies ordinata.* *Cant. 6.* Hic pax, quæ est vera Ierusalem, quæ visio pacis interpretatur; Nam p̄ illã antiquæ lites inter Deum & hominẽ medio mirabili illo matrimonio, inter Divinam & humanam naturam in suis purissimis visceribus celebrato, finitæ & terminatæ fuerunt. *Virgo Deum & hominem genuit, pacem Deus reddidit.* Est civitas negotiationis, ad quam maioris ponderis & momenti negotia præcipuè pro reconciliatione peccatorum deferuntur. Sed fide huius vrbis civibus loquamur, nullibi vnquam præstantiores reperientur. Et omittam Spiritus Angelicos, qui per hanc opulentissimam civitatem discurrebant, quin & exules peccatores filios Evæ, qui ad illam tanquam ad refugij domum semper accurrebant; Et in memoriam revoco alios cives præstantissimos, virtutes nempe penè infinitas, quas Spiritus Divinus hic firmisimè reposuit, qua de causa propriisimè nomen civitatis sibi vsurpavit, civitas enim iuxta illius ethymologiam; *Est civium y-*

nitas, Hoc est, summa cordium pax, & sub vno duce & capite conformitas. Vt sanctus Antoninus Florentiæ Archiepiscopus notavit, Civitas enim, vbi lites & seditiones foveri & conservari solent, non civitas, sed militum castrum & exercitus concitatus appellari debet. Vbi sanctus Doctor Antoninus eruditissimè animadvertit causam, quare, cum Christus Dominus illos duos Apostolos in civitatem miserit, vt iumentum afferent & pullum cum eo, vt ingrederetur Ierusalem, id tamen non expressit his verbis. *Ite in civitatem.* *Sed dixit, Ite in castellũ, quod contra vos est.* *Matth. 21.* Causam huius assignat S. Antoninus, quia civitas illa internis civium bellis æstuabat, ideoque nomen civitatis amiserat, & castelli seu castri nomen sibi vendicaverat. Licet ergo Christus Salvator noster Apostolos suos in civitatem miserit, propter lites tamen & civium contra se ipsos tumentia pectora, non sic, sed castellum libuit nuncupare. *Ite in Castellum, quod contra vos est.* Non sic hæc inclyta civitas Mariæ, cuius præstantissimæ virtutes tantâ pace & fædere connexerunt, vt iustitia nunquam contra clementiã bellum gesserit; Nec præclara Matris Dei dignitas, quâ maiestatem quandã & celsitudinem planè infinitam sibi comparavit, profundissimam illius humilitatem evertit, neque summa cum Deo familiaritas causa aliquando fuit, vt ipsium vel in minimo despiceret, Amor



& timor, quæ aliquando inter se cohæ-
 rere non possunt, in illa fraternè con-
 vixerunt, ita enim Deum ex toto cor-
 de dilexit, vt etiam ex imo pectore ve-
 neraretur. Idè ab Ecclesia mater pul-
 chræ dilectionis appellatur. *Ego Mater
 pulchra dilectionis. Eccl. 24.* O fœliciss. ci-
 vitas, quæ talibus & tantis civibus cõ-
 tata & stipata est. Si quælibet ex his,
 quæ de hac civitate diximus, tãtam in
 se magnitudinem & præstantiam con-
 tinet, omnia simul coniuncta quan-
 tam magnitudinem & præstantiam
 præ se ferent? De hac magna & opu-
 lentissima civitate sic ait Ieremias spi-
 ritu prophetico cap. 31. *Ecce dies veni-
 unt dicit Dominus, & edificabitur civi-
 tas domino à turre Hananeel vsq; ad por-
 tam anguli, & exibit vltra normam
 mensuræ in conspectu eius.* Divinum
 planè testimonium immensæ magni-
 tudinis huius civitatis. *Et edificabitur
 civitas domino à turre Hananeel.* Turris
 ista secundum nomen Hebraicum vo-
 catur, *Migdal*, quod significat magnitu-
 dinem & magnificentiam. Et *Hananeel*
 condonationem vel misericordiam
 Dei significat. Ita interpretatur prædi-
 cta verba doctissimus Arias Montanus
 Hispalensis super Zachariam cap.
 14. fol. 102. vbi sic ait. Nomen Hebra-
 icum vocatur *Migdal*; quod magni-
 tudinem seu magnificentiam signifi-
 cat. *Hananeel* verò condonationem atq;
 misericordiam ad verbum sonat. Quæ
 interpretatio rectè congruit Mariæ
 sanctissimæ tanquam magnificentis-

simæ civitati, quæ in propriam Chri-
 sti matrem & nativam illius patriam
 constructa & ædificata est, cuius sum-
 ptuosa ædificia à turre *Hananeel* origi-
 nem duxerunt, hoc est; à præstantissi-
 ma illius gratia; *Quemadmodum e-
 nim altior & fortior civitatis fabrica,
 est turris, ita sanè donum eminentius
 & maioris æstimationis in Mariâ
 existens, gratia Dei est, quâ à principio
 suæ formationis magnificentissimè
 habuit, & hoc est primum & præcipu-
 um huius civitatis fundamentum, cui
 tota illius fortitudo nitebatur, & quæ
 hanc civitatem inexpugnabilem red-
 debat, quâ Apostolus Paulus munitus
 & exornatus, se omnipotentè appella-
 bat. Omnia possum in eo qui me confortat.
 Philipp. 4. Et. Abundantius omnibus
 laboravi, non ego, sed gratia Dei mecum.
 1. Cor. 15. Id est: non viribus nature, sed
 gratiæ. Inquit ergo Propheta Ieremias;
 ædificabitur Maria sanctiss. opulētissi-
 ma civitas. & incipiet à divinâ gratiâ il-
 li liberalissima Dei omnipotentis ma-
 nu cõcessa, neq; ædificium cessabit vsq;
 dum porta anguli ædificata sit. Porta
 quæ in parietis angulo exstructa est, v-
 trumque parietem sibi vnitum com-
 plectitur, & duplicem quasi plateam
 cõspicit, quod alijs sibi à nexis parietibus
 non cõpetit &c. modò intelligem?
 Ieremiâ ad nostrū propositū. *Et edificabitur
 civitas domino à turre Hananeel vsq;
 ad portam anguli:* In Maria namquæ
 sanctissima integritas Virginis & fe-
 cunditas matris tanquam duo parietes*

in vno angulo coniunctis convenere, vt Ecclesia deceret. *Gaudia matris habesum Virginitatis honora.* Considerate queso, omnes Ecclesiarum feminas, etiam si sumptuosissima Spiritus Sancti templa extiterint, nulla tamen illarum, etiam si magnificentissimè constructa, ad portam anguli pervenit. Legisenim naturalis aut scriptæ, feminæ, matres fuerunt, sed non Virginitatem simul conservarunt, & in lege gratiæ plures in corruptam virginitatem perpetuè observarunt, sed non simul honore & matris fecunditate decoratæ fuerunt. At hæc inclita Mariæ civitas in corruptam Virginitatem, & simul fecundam maternitatem continens, ædificij altitudine & præstantiâ usque ad portam anguli pervenit. Alio modo prædictum locum interpretari possumus, si per portam huius supernæ civitatis ipsum Christum intelligamus, qui sæpius se esse nostræ salutis ostiū asseveravit. *Ego sum ostium. per me si quis introierit, saluabitur. Ioann. 10.* & non utcumque ostium fuit, sed ostium anguli; vbi duo parietes conveniunt, vel quia hebraicum & gentilem populum, vel quia Divinam & humanam naturam Christus Dominus ineffabili vnione complexus est. *Et ædificabitur civitas Domino à turre Hananeel usque ad portam anguli.* Mariæ igitur sanctissimæ amplissimum ædificium usque ad portam anguli, quæ Christus est, suâ mirabili structurâ pervenit, quo effectum est, vt infinitam matris

dignitatem sibi acquireret, idè addidit Propheta Ieremias; & *exibit vltra normam mensura,* quia nulla civitas cum hæc Maria sanctissima proportionem aliquam habere potest. Quæ planè propter causam Propheta Baruch introducit Spiritum Sanctum quasi in maximâ admirationem raptum, cum peregrinam pulchritudinem, & immensam magnitudinè huius civitatis, quæ hodie in lucem editur, contemplaretur, quod sanè præstantiâ & dignitatem huius puellæ sanctissimæ infinitè extollit, ille enim qui infinitè admirabilis est, vnus puellæ præstantiam intuendo, hæret & stupet. *O Israel, quàm magna est dōus Dei, & ingēs locus possessiōis eius; magnus est & non habet finē, excelsus & immensus. Baruch. 3.* Locus iste licet in sensu historico intelligi possit de civitate Ierusalem, & de terra promissionis, quam Deus possessionem suam nuncupavit. *Hæreditas mea Israel.* Vbi fortissimi gigantes tantæ & tam miræ altitudinis enati fuerunt, vt coram eis filij Israel locustæ viderentur. At in sensu magis proprio explicari possit de cælo empyreo, vt ex cōtextu ibidè S. Scripturæ patet. Sic enim dicitur. *Ibi fuerunt gigantes nominati, illi, qui ab initio fuerunt staturâ magnâ scientes bellum;* vbi ad litteram loquitur Spiritus Sanctus de lucifero & eius angelis, quia de nullis alijs creaturis verificari potest, ab initio suæ conditionis magnâ staturâ præditas fuisse, & egregios bellatores extitisse, nisi de



Lucifero & eius comitatu; isti enim staturâ magni & veri bellatores, quin & primi bellorum inventores & quasi primævi institutores fuerunt. Quæ licet ita sint, legitimo tamen & potissimum iure verba illa Spiritus Divini Mariæ sanctiss. felicissimæ Dei habitationi, quæ cælo empyreâ amplior & longè opulentior est, accommodari possunt. *O Israel quâ magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius!* vbi magnam Dei domum Spiritus Divinus eam appellat, à divina & æterna sapientia in suum domicilium ædificatam. *Sapientia ædificavit sibi domû.* *proverb. 9.* Quis nisi æterna Dei sapientia regiam hanc & amplissimâ dôm effingere & fabricare potuit? tam latam & spatiofam, vt Deum ipsum, quem cælestia corpora capere non audent ipsa sola capiat & comprehendat? Quis palatium ita lucidum & splendidum, vt per singulas illius fenestras lux cælestis purissima, sine vlla admixtione tenebrarum, diuino quodâ splendore subintret? quis intellectum ita clarum & perlucidum, vt per illum Divina essentia clarissimè intueri possit? Quis memoriam fecundissimam, vbi totius vitæ Christi thesaurus inveniatur? quis voluntatem ita diuino amore accensam & inflammatam & illo dilatam & extensam, ut non solû Iesum velut dominum & creatorem suum, sed etiam tanquam filium natuarlem toto corde diligeret & amplecteretur? Quis vterum tantâ puritate & mundi-

tia splendenter, ut tanquam verus gloriæ ac magnificentiæ thronus, primogenitum tanquam habitatorem & colonum sine ullo horrore reciperet? Non aliud sanè nisi æterna & infinita Dei sapientia tot miranda & stupenda moliri & operari potuit. In hoc arduo & perdifficili negotio à Spiritu Divino examinatus fuit sanctus Iob cap. 38. & 40. *Accingescut vir lumbos tuos, interrogabo te. Vbi eras quando ponebam fundamenta terra?* Ideo sanctus Iob difficultatem sibi propositam à Spiritu Divino, de huius virginalis terræ firmissimis fundamentis iacendis, quomodo iacta & stabilita fuerant, dissoluere non valet. *Quis posuit mensuras eius? quis tetendit super eam lineam, super quæ bases eius solidatæ sunt?* nullus enim verbis explicare poterit huius terræ re-ctitudinem mirabilem & aequitatem planè diuinam, quam semper obseruauit, *sanctum est templum tuum. & mirabile in aequitate.* *ps. 64.* Quæ tanta & tam firma fuit, vt æternum Dei verbum, totam hanc mundi molem tribus digitis sustinentè, in se suscipere & sustentare potuerit, super quod bases eius solidatæ sunt, quare sanctus Iob suâ ignorantiam humilimè confessus, sic respõdit, *scio quod omnia potes, & nulla te latet cogitatio.* Sed vt magnitudinem & excellentiam regis huius habitationis saltem balbutiendo paucis explicèus, notandum est id, quod vidit Evangelista Ioannes in Apocalypsi; mirabilem enim mulierem pregnantem, & iam pa-

parituram in cælo conspexit; Per quam multi sanctorum patrum Beatissimam Virginem intelligunt, de qua notanda signa profert sanctus Euangelista, illam magnum signum appellando. *Signum magnū apparuit in Cælo. cap. 12.* Quibus verbis apertè demonstrat inexcogitabilem esse illius magnitudinem. Certum namque & omninò exploratum est, quamcunq; rem in cælo apparentè nobis rem parvam & exiguam videri, vt in firmamenti stellis conspicuum est, quæ licet terram in magnitudine lōgissimè superent, propter distantiam tamen à terra, nostro visui minimæ & quasi inextensæ representantur. Si ergò res aliqua in cælo existens, nobis in terra existentibus magnæ molis & magnitudinis representetur, apertè colligere possumus rem illam in se esse immensæ & planè inexplicabilis magnitudinis. *Signū magnum apparuit in cælo.* Ex hoc colligere possumus, charissimi filij, immensam & inenarrabilem magnitudinem & præstantiam Beatiss. Virginis, quæ illam effecit cœlestè quoddā prodigium, & monstrum sacratissimum, & præstantissimum totius orbis miraculum. Vt ex sanctis Patribus retulimus. *Mulier amicta sole.* Hic magis magnitudo explicatur. Si enim sol materialis, vt Astronomi dicunt, centies & sexuagies vniuersam terram in magnitudine superat, quanta & quàm immensā erit huius sanctissimæ mulieris præstantia & magnitudo, cum sol ille, quo induta

est sanctiss. Maria, istum materialem infinitè in magnitudine excedat? Et quod magis mirandum est, & illius immensitatem maximè extollit, hoc planè est. Ipsam nempe eundem solem ita intraneè suis visceribus clausisse, vt ipsam intuentes, solem etiam intueri videantur, vt Sponsus sanctus de ipsius natiuitate loquens, Cant. 6. testatus est. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens. pulchra vt luna, electa vt sol?* Nulli planè nisi soli iustitia Deo optimo ac maximo comparari potest, quia ita sole internè induta & exornata est, vt naturam solis præ se ferre videatur. *Mulier amicta sole.* Ratio quare pretiosi lapides in tanto pretio & æstimatione haberi solent, non alia est, nisi, quia sol suorum radiatorū & splendoris aliquam scintillam illis impressit, neq; aliud peculiare vendicârunt sibi lapides illi, quos manu ppria illa Ægypti regina suo Marco Antonio in signum amicitia & benevolentia in quodam conuiuio obtulit; sed si forsitā lapis aliquis inueniretur, in quo totus ipse sol contineretur, in quanto pretio & æstimatione esset! sine dubio suum dominū ditaret & opulentissimum redderet. Et si tota ratio, quare sanctum aliquem veneramus, & debitum honorem ei exhibemus, hæc est, quia vnicā diuinæ gratia scintillā, & splendore à diuino iustitia sole derivatā micat & splendet; Quanti pretij, & æstimationis erit Beatiss. Virgo, in qua non vnica scintilla aut solis iustitia rad-

dus

dius intravit, sed totus ipse sol omnibus radijs & splendore fulgentissimè inclusus fuit, vt decantat Ecclesia. *Quem totus nō capit orbis in tua se clausit viscera factus homo.* In illo rigotolo examine, quo scientiā patientissimi Iob Spiritus Diuinus experiri voluit, inter alia ab eo petijt. *Dic mihi si habes intelligentiam, per quam viam spargitur lux, diuiditur æstus super terram? cap. 38.* Respondet fortè S. Iob solem suā lucem & calorem per signum virginis A. 24. Augusti vsque 24. septembris, & postea per signum librę in terram & omnia inferiora diffundere, sed non de ista materiali luce loquitur Spiritus Diuinus, sed de alia, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* *Dic mihi si habes intelligentiā, per quam viam spargitur lux? &c.* Responsio genuina est. Lucem hanc verissimam & inaccessibilem diuini solis iustitię per viscera sacratissimę virginis derivatam esse, & per eam tanquam per crystallinam diuini amoris januam calorem omnibus communicasse, & cum totus sol intra hanc pretiosam margaritam recludatur, inestimabilis pretij & valoris erit, atque omnem valorem cunctorum lapidum pretiosissimorum, ex quibus constructa est ciuitas sancta Ierusalem, in se continebit. Confessorum smaragdos, Virginum adamantes, Apostolorum fidem, Martyrum potentiam, Confessorum deuotionem, Monachorum humilitatem, Virginum munditiā & puritatem, Angelorum sapientiam & superno-

rum spirituum ardentissimum amorem, quę omnia in supremo & heroico gradu in illa reperiuntur. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ecel. 1.* Iure optimo admiratur sapiens maris imensos & quasi infinitos sinus considerans, omnia enim totius vniuersi flumina illud intrāt, & ipsum non redundat, ad eum ergo modum quo omnia flumina mare intrantia illi quasi tributum ex suis crystallinis & perlucidis aquis persoluant, & ad illud rapidissimè accurrunt: ita in fabrica & edificio mirabili Beatissimę Virginis contingere cernimus, ad quam tanquam ad immensum quoddam gratiarum & virtutum mare omnes creaturę cōfluunt & accurrunt, vt id, quod præstantius in illis inuenitur, quasi pro tributo & vectigali illi persoluant, & in illa constituent. *Et mare non redundat. Quin & cum ea quę in creaturis dispersa sunt, in Maria sanctissima gradu quodam heroico reposita sint, capacissimum mare est, ad alia virtutum flumina & crystallinos aquarum riuos recipiendos.* Sed quid mirum si pro infinita Matris Dei dignitate capacitatem habuit! Accurramus ergo dilectissimi ad Mariam sanctissimam tanquam ad omnium virtutum, & gratiarum mare profundissimum, vt ex illa aliquis gratie rivul^o ad nos derivetur, quo in presenti vita exornati & effecti filij Dei, jus ad æternam gloriam assequamur. Ad quam nos perducatur IESVS CHRISTVS. Amen. IN-



IN PRAESENTATIONE

BEATISSIMAE MARIAE
VIRGINIS.

Sermo primus.

Pro salutatione Angelica.



Convenimus hodie, cha-
tissimi filij, in hac sacra-
tissima praesentationis
die, ut in terris celebremus,
& honoremus illam sanctissimam & excellentissimam creaturam, quae gloria est, deus & ornamentum caelorum, ut laudibus extollamus, quam tota Ecclesia triumphans sine intermissione laudat, & benedicit, ut gratiam & peculiaria beneficia postulemus & impetremus ab illa, quae mater gratiae & misericordiae existit. Impossibile erit hodie illius laudes demissa & tenui voce proclamare, cum materia & subiectum nostrae praedicationis altissimum & supremum sit, oportebit planè vocè & ingenij nervos cõtendere, neq; audere de tam sublimi materia vel unũ verbũ proferre, si ad id Ecclesia non invitaret his verbis, *Egredimini & videte*

filiam sion, quã laudat astra matutina.
Si ergo astra & Spiritus Angelici lætissima & incũdissima gloriae praecordia decantant, si Sol & Luna illius pulchritudine contemplantes, herent, & stupent, tarpe & iniustũ erit, si nos illius filij & ab ea lactati & nutriti, ut muti taceamus, sed saltim balbutiendo illius laudes decantemus, ad quod digne praestandum postulemus gratiam Spiritus Diuini dicentes. *A ve Maria.*

De qua natus est Iesus,
qui vocatur Christus. Matth.

cap. I.

Celebrat nostra mater Ecclesia praesentationem Beatissimae virginis, illam sanè diem cum sancti illius parentes, eã iam ad aunos discretionis perventam in templũ introduxerũt ut dõino, cuius mater & sponsa futura erat, dicarent. *Diu Anna & Ioachim*

L

Ioachim

Ioachim sanctissima societate conuixerant, licet ultimo iam tempore cum marore & tristitia vitam degerent, filiorum enim absentia, quæ olim turpis & ignominiosa erat, illos tristes reddiderat; sed cum adhuc illorum spes non esset profus emortua, antiquam Samuelis matrem, Annam etiam nuncupatam, memoria tenentes, quæ post mæstâ & prolixam sterilitatem, post continua vota, orationes & crebriora ieiunia sanctissimum Samuelem diuino munere concepit. Orationes etiam, votis & ieiunijs roboratas & promissis stabilitas domino obtulerunt, vt ab ignominia liberi fructum benedictionis obtinerent, quem si diuino beneficio acciperent, domino consecrandum firmiter promiserunt, & cum illorum sanctitas, devotio & fides longius fidem parentum Samuelis superaret, benedictionis fructus præstantior & excellentior fuit; Mariam enim sanctissimam, in filiâ, ieiunijs & orationibus partem acceperunt: Et quemadmodum parentes Samuelis eum statim in tenera ætate ad obsequia templi domino, perpetuò obtulerunt, ita felicissimus Ioachim & Anna sacratissimam virginem in tenera ætate, cum tertium annum ageret in templo præsentarunt, perpetuò domino consecrantes, in hoc fideliter sua vota ex corde Deo promissa reddentes. Sanctus Germanus Episcopus Constantinopolitanus affirmat, magnam fuisse celebri-

tatem, & lætitiæ signa iucundissima, cum Beatiss. Virgo fuit in templo præsentata, & ita sanctissimam Annam sacerdoti Zachariæ (qui postea fuit pater baptista) sic loquentem introducit, Reddo domino vota mea, quæ distinxerunt labia mea, quod verbis promissi re ipsa exequor, idèd hos virginum honestissimos choros, quos intueris, luminaria manibus gestantes collegi, sacerdotes & cognatos convocavi, & sic illos affata sum. Congratulamini mihi, quia mater & genitrix extiti huius puellæ, quam sole pulchriorem intuemini, vt illam offeram non terreno regi, sed cœlesti omnium regum regi, & Imperatorum supremo monarchæ templum accessi. Iosephus lib. 6. de bello Iudaico cap. 6, affirmat, quòd à muro, vbi femina Deo dicatæ, morabantur vsque ad maiorem portam templi, quindecim gradus, iuxta numerum quindecim psalmodorum gradualium extructi erant. Sanctissimi ergo Beatiss. virginis parentes, eam in primo gradu sanctiss. puellæ manus tenentes constituerunt, vbi (ut refertur in libro de nativitate & ortu Virginis qui extat inter opera Sancti Hyeronimi) eam vestibus quibus in via vltima fuerat, exuerunt, & alijs mundioribus & honestioribus induerunt, quod cum factum fuisset, statim puella sacratissima, *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit. psal. 83.* Proprijs viribus innixa, & sola sine alteri-

us adiutorio, gratiosè & miro quodam lepore reliquos gradus conscendit, quod magnam admirationem conspicientibus causavit, vbi ætatem teneram occultans, ascensu tam celeri futuræ sanctitatis & excellentiæ manifesta indicia præbuit. Sanctus Germanus censet habitationem huius purissimæ puellæ non comunem cellulam fuisse ad normam earum, quæ virgines illæ quæ templo dicantur, vti solebāt, sed ipsiushabitationem in sancta sanctorum, quod solus summus sacerdos semel tantum in anno ingredi ac visitare poterat, sitam fuisse; hoc verissimum esse affirmat S. Archiepiscopus, & in testimonium proponit; vt excellentiæ Mariæ supra cæteras mulieres & virgines manifestet, idè affirmat Evodius successor S. Petri in sede Antiochena, & Nicophorus calixtus; quare existimo hinc non opinandum, sed istam doctrinam tanquam traditionem Apostolicam habendam esse. Quod si quis nobis obijciat, quòd in sancta sanctorum solus summus Sacerdos ingrediebatur. Respondendum est, summum sacerdotem intrasse ex proprio suo iure & lege, singulari tamen privilegio, idè etiam Beatiss. virgini propter illius excellentem sanctitatem & eximias virtutes, quibus divino quasi fulgore micabat, & mirabiliter splendebat, concesso est; quod etiã privilegium (ut scribit S. Hieronimus) & legitur lectionibus breviarij Romani, concess-

sum est Beatiss. Iacobo Apostolo fratris domini; si ergo hæc peculiaris prærogatiua Apostolo concessa fuit, quare non etiam Mariæ sacratissimæ, cuius mirandæ virtutes tantum splendebant, vt alia secunda arca, & multò planè dignior & sanctior appareret? Sed quidquid de hoc sit, Sancta Aña & Sanctus Ioachim sacratissimam puellam Deo iam dicatam, in templo sancto Hierusalem reliquerunt, & cum iam vndecimum annum ageret, Deo disponente S. S. Parentes è vivis excesserunt, ut apertè manifestaretur, non indigere parentibus in terra, quæ ex solo Dei nutu & voluntate pendebat, & sub solâ illius vmbra & protectione victitabat. Ibi vndecim annis cõmorata est, quos sanctissimis contemplationibus, totius sanctitatis ac virtutum peregrinis & exquisitis exercitijs vitam angelicam degens consumpsit, idèd sacerdotes tanquam rem divinam eam aspiciebant. Et sanctus Hieronimus, S. Bonaventura, S. Gregorius affirmant, quòd cœlestes Spiritus tanquam propriæ reginæ inseruebant, & humillimè famulantes cibum & necessaria ministrabant; Gravissimi etiam & sanctissimi Doctores testantur, hinc sacratissimam puellam adventum Dei in mundum tam enixè & instanter, ferventissimis suspirijs & orationibus tantâ charitate inflammatis postulasse, vt si adventus Dei in mundum mereri possit, illum suspiria & orationes Mariæ sanctissimæ mere-

rentur. &c. Perpendamus modò charissimi filij magnitudinè & præstantiam sacrificij & oblationis, quæ Deo fit in præsentatione Mariæ sanctissimæ, vt sic intelligatis, quàm grata, & accepta coram Deo hodierna oblatio & sacrificium extiterit. Et in primis hæc sacratissima puella tanquam Dei ancilla & famula templum ingressa est, cuius titulo ita gloriatur, & tantum æstimat, vt etiam, post Reginæ cælorum & matris Dei supremam dignitatem iam adeptam, post illius conceptionem se ancillam domini appellet. *Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum verbum tuum Luc. 1.* Cognoscebat optimè, quæ & quanta sit gloria & dignitas servorum Dei, *servire Deo, regnare est.* Non sanè apparenter, sed verè, nam servi domini reges sunt superni, & potentissimi principes, ac legitimi regni cælorum hæredes, quòd si Rex aliquis temporalis Deo non seruiat & famuletur, non Rex sed servus abiectissimus vocandus est. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Ioann. 8.* Dei tamen servus verè & cum omni eminentia Rex est, & isto titulo honorandus. In cuius confirmationem licet plura sacræ scripturæ loca adducere possem, vnum tantum proferam ex 4. lib. Regum cap. 2. qui hanc rem accuratè confirmat. Rex Ochozias misit Capitaneum quendam, quinquaginta stipatum militibus, vt ex parte sua Heliam Prophetam ad se vocaret, qui sic prophetam

alloquutus est. *Homo Dei, Rex præcepit, vs descendas.* Quibus à sancto Propheta (qui tunc supra collem sedebat) auditis, inurbanitatem Capitanei animadvertens, & illius insolentiæ iustè commotus, eò quòd titulum hominis servi Dei quasi per irrifionem vsurpâset, sic affatus est. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo & devoret te, & quinquaginta tuos, ac si illi apertis diceret: Vt scias, qua veneratiõe, & respectu servi Dei tractandi ac venerandi sint, qua animi demissione illis loquendum sit, propter tuam inurbanitatem, & quia cum despectu titulum servorum Dei vsurpâsti, non impunitus abibis, igne enim cælesti simul cum tuis concremâdus & in favillam & cinerem, redigendus es.* *Si homo Dei sum, descendat &c.* Quæ cum ad aures Regis pervenissent, alium insolentiorum ad Prophetam misit, qui alijs quinquaginta militibus comitatus, elato spiritu voluntatem regis indicavit. *Homo Dei, Rex præcepit &c.* Sed Propheta superbo regis capitaneo idem atque præcedenti responsum dedit. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo.* Mirabile sanè dictu, statim cæli obtemperârunt, & omnes cælestis ignis devoravit & consumpsit, vt clarè perspiciatur, Dei servos maiori iure quàm terrenos Reges, principes & veros reges existimandos esse. Tandem tertium remisit capitaneum, qui totis artibus contremiscens, vix præ timore vnum vel alterum verbum proferte

audēbat, flexitamen genibus, sum-
ma vrbānitate, humili voce & stilo
vsus, voluntatem sui regis S. Pro-
phete p̄posuit. Tunc subitō Ange-
lus de cælo elapsus, Prophetam Heli-
am hortatus est, vt humilem illum,
honestum, & vrbānum capitaneum
sine timore sequeretur, & coram rege
cōpareret. Vbi clarē & manifestē com-
probatu seruorum Dei excellentia &
amplitudo, longē superans regum &
imperatorū altitudinē & sublimem di-
gnitatem, quæcunque illa sit. Digni-
tas seruorum Dei & illorum maiestas
est planē cœlestis quædam beatitudo
& gloria inæstimabilis, cui nulla hu-
mana gloria comparari potest. Hæc
sine dubio causa est, quare à tempore
S. Gregorij magni vsque ad nostra
tempora, summi pontifices serui ser-
uorum Dei nuncupantur, & in suis
rescriptis, & bullis hunc sibi titulum
adscribant; Ratio præclara est ex di-
ctis, nullus enim titulus isto honora-
tior & excellentior excogitari potest.
Neq; Imperatorius aut Regius titu-
lus cum illo conferri potest, quia huic
solum temporalia præmia, illi tamen
non temporanea, sed æterna, vt potē
regnum cæleste, & gloria Diuina si-
ne fine duratura correspōdent. Hinc
nullum aliū excellentiorem titulum,
neque Deo magis gloriosum illi attri-
butum inuenimus, titulo Dominiij
seruorum Dei, vt ipse dicit: *seruus me-
us es tu Israel, quia in te gloriabor. per
Esa. Cap. 49.* Si ergo Deus in suis

seruis gloriatur, quis non dicet digni-
tatem seruorum Dei maximā esse, &
seruire Deo ingentem omnium divi-
tiarum thesaurum icludere? quod si
hoc de quocunque sancto verificatur,
potiori iure de Maria sanctiss, in qua
fuit totius sanctitatis acervus & cu-
mulus, verificandum est. Perpenda-
mus modō huius Diuinæ oblationis
in conspectu Dei pretium & æstima-
tionem. Fuit planē diuinis oculis
gratissima & acceptissima oblatio,
quam sanctissimi parentes Deo hodi-
erna die præsentantes & offerentes,
munus præstantissimū & maximum
totius vniversi ei præsentarunt. Re-
fert Genebrardus lib. 2. suæ Chrono-
logiæ, Antiochum misisse in tem-
plum sanctum Hierusalem tau-
rum pulcherrimū, cuius cornua non
deaurata solum, sed purissimo auro
circumvestita erant, vestes illius &
coopertorium coccineum totum, &
varijs gemis, margaritis & lapidibus
magni pretij & æstimationis distin-
ctum visebatur, multa etiam vasa au-
rea & argentea obtulit, pretiosissimis
& nobilissimis odoribus referta, præ-
clarum sanē sacrificium, & forsitan
nullum illustrius ad illa vsque tempo-
ra in templo fuerat præsentatum; Sed
si illud sacrificium cum nostro hodierno
conferatur, nullius planē momen-
ti & æstimationis fuit, quia hîc non
taurus purpurâ indutus & margari-
tis exornatus offertur, sed Virgo quæ-
dam in valore & æstimatione supre-
mos

mos spiritus Angelicos longissimè superans, cuius vel minimus ornatus omnibus margaritis & gemmis orientalibus pretiosior est, vt scriptum est. *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum. Eccles. 28.* Et spiritu prophetico id etiam longè ante prædixerat Propheta Regius, sic dicens. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. ps. 44.* Deinde taurus ille, quem Antiochus obtulit, solū exterius alienis divitijs, & indūentis pretiosis tegebatur, interius verò vt brutum animal propria supellectili exornari non poterat. Quis tamen, etiam si Angelico polleat ingenio & faciendā divitias Mariæ sanctissimæ, gratiæ amplissimos thesauros, quibus à Spiritu Diuino eius anima sanctissima locupletata est, saltim ex parte enarrare poterit? *Omnis gloria eius filia regis abintus, in simbrijs aureis circumamicta varietatibus. psal. 44.* Perpendenda sunt illa verba, *Omnis gloria eius abintus.* Vbi Propheta sanctus illius gratiam in anima residentem gloriam eius appellat, quia est mira quædam & amplissima participatio diuinæ naturæ, secundum totam plenitudinem esse diuini Oditissima & opulentissima oblatio! in qua Virgo quæ dampulcherrima offertur, uniuerso grege & ovili, quod Deo immolatur, multò pretiosior & excellentior, diuinū sanè holocaustum Deo gratissimum, & acceptissimum. Olim, vt refertur cap. 10. num. à Deo

præcipiebatur, vt sibi cū holocausti sacrificiū offerrebat, tubæ canerent, & tubicines in signum lætitiæ & exultationis suis musicis instrumentis luderēt. *Canetis tubis super holocaustis.* Si holocausta olim in sacrificium oblata concentum & tubarum sonitum in signum lætitiæ postulabant, quem quæso Angelorum concentum, & cælestem musicam & harmoniam præsens Mariæ sanctissimæ holocaustum postulabit? Accedit deinde, vt altius repetāus, & magis explicemus, quàm gratum & acceptum Deo fuerit hoc sacrificium, promptissima voluntas, quæ Deo offertur & præsentatur, vt enim testatur S. Greg. 22. lib. moralium cap. 12. *Omne quod datur ex mente dantis pensatur.* Inde suum valorem & æstimationem desumit, Hodie ergo Beatissima virgo vna secum proprium amorem & voluntatem, quæ acceptissimum sacrificium est, Diuinæ Maiestati præsentavit. Semper summus præpotensque dominus iuxta maiorem notitiam debitorum, quibus creaturæ suo creatori tenebantur, nova & maioris pretij sacrificia postulavit, & sic postquam Noe & eius filios ab aquarum inundatione & diluuiō liberavit, odorifera aromata, thus, & incensum postulavit, quibus in sacrificium oblati placabatur; postquam verò filios Israel à dura Ægyptiorum servitute per sanguinem agni liberavit, sanguinem animalium in sacrificium postulavit. Modò tempo-

re gratiæ, postquam sui filij pretiosissimo sanguine redempti & à dura dæmonis servitute liberati sumus, nostrum amorem & voluntatem in sacrificium exposcit, quia nihil in toto vniuerso reperietur præter cor & voluntatem humanam (quâ nihil pretiosius est) quoddam Deo in tanti & tam supremi beneficij compensationem præsentari posset, neque enim libertas, vita, honor aut diuitiæ congruentia sacrificia sunt, ad tanti & tam supremi beneficij compensationem, cor amore nostro inflammatum exposcit dominus, hoc appetit, & ex imo pectore concupiscit, illud ergo hodierna die, simul cum propriâ personâ Sanctissima Virgo Deo offert & consecrat, vt sic holocaustum ex omni parte sit illi gratum & acceptum. Hæc sanè sunt holocausta, quæ à Sancto Propheta medullata vocantur, hoc est medullis & pinguedine referta, tales erant agni, quos sanctus Abel Deo in sacrificium offerebat, vt testatur, *s. Scrip. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Genes. 4.* Horum holocaustorum adeps & pinguedo, voluntas planè erat & amor, quo Deo offerebantur, & ided dicit scriptura respexisse dominum ad Abel & ad munera eius, quia pinguis & accepta erant, propter amorem & voluntatem offerentis. Rupertus ad nostrum propositum sic dicit. Si ad Abel & ad munera eius sereno & hilari vultu respexit dominus, quâ iucunditate

animi, quibus oculis hanc sacratissimam oblationem, quam hodie Maria sanctissima illi offert de excelso solio gloriæ suæ respiciet? Fuit etiam hæc præsentatio Deo suavissima, & eius voluntati acceptissima; quia hodierna die templum ingressa est illa purissima & sanctissima Virgo, quam in templum suæ humanitatis ante creationem mundi elegerat & avidissimè expectauerat. *Lignum vite desiderium veniens*, dixit sapiens. *proverb. 13.* & in eodem cap. *Desiderium si completur, delectat animam*, ac si apertius diceret. Cùm desiderium aliquod impletur, non desiderium, sed arbor vitæ quæ delectat & recreat animum, censendum est. Non est in Deo, charissimi filii, formale desiderium, quia hoc imperfectionem, vtpote inquietudinem animi inportat, reperitur tamen desiderium eminens, & quidquid boni in desiderio reperiri potest, & quidè Propheta ita de Deo loquitur, ac si in illo avidissima desideria in veniri possent, vt constat ex Propheta Esdras, apud quem inveni sequentia verba ad nostrum propositum spectantia, quæ notatu dignissima sunt, *si eum desideraveris, vt nostri miseraris, tunc misericors vocaberis. 4. Esdra 8.* Notate ad huius intelligentiam. Tunc Deum voluisse & desiderasse misericordem esse, cùm fieri homo concupivit, ad cuius desiderij & voluntatis impletionem, de virgine nasci decrevit, quia talis partus Deum de-

cebat, & talis habitatio pro tanto domino paranda erat; Hæc est Maria sanctissima quæ tantâ virtutum luce & splendore, tanta puritate & excellentia constructa est, vt omnes eam conspicientes statim dicerent. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. Apoc. 21.* Quod à Deo in ipsorum bonum & vtilitatem ædificatum est, pro tanto rege tam præclara domus, pro tali sponso talis thalamus, & pro tali filio talis mater futura erat, & pro tali passere talis nidus extruendus erat. *Etenim passer invenit sibi domum. psal. 83.* Miranda & notanda planè est vigilantia & cura, quam avicula adhibet inquirendo locum pro suis pullis nutriendis & procreandis, quia non quacunque arbore contenta est, sed magis absconditam & folijs ac ramis virentibus coopertam, in sui domicilium & habitationem eligit. hanc garrita suaviissimo in possessionem accipit, deinde nidum supra ramos sibi commodiores mirabili extruit artificio; nam rostrello fortiores ramos superponit, deinde plumas mendicat, vel si istæ defint, proprias superponit, vt sic culcitram conficiens, mollem lectulum suis creaturis conficiat. Si Deus sic aviculis providet, vt nidum sibi convenientem habeant, quam sedem, quem locum proprio filio, tot delitiis assueti, sibi ab æternitate in proprio sinu coevo, in hoc vniuersi nemore paravit? sine dubio summus præpotensque dominus virentes

ramos, fructiferas arbores, cedros, palmas, cupressos conquisivit, ut ex contextu Evangelij constat. Vbi Saræ, Rebecca, Racheles connumerantur. *Et subvertentur condensa saltus eius ferro, & ligna cum excelsis cadent. Esaiæ 10.* Omnia subvertit nemora, saltus perlustravit, quoadvsque arborem vitæ, iuxta mensuram sui desiderij reperiit, quâ illius animus & cor mirabili voluptate teneretur, & hoc indicant illa verba sapientis. *Lignum vitæ desiderium veniens, si compleatur delectat animam. proverb. 13.* Hodierna enim die sanctiss. Maria tēplum ingressa & presentata, quam antea summo desiderio concupiērat, modò iam illius desiderio impleto delectatur animus, mirabili suavitate afficitur, & recreatur. Aliud etiam huius divinæ oblationis valorem auget & extollit, quodd videlicet in hac die, prima suæ vitæ exordia & annos, atque suæ ætatis magis florentes & virentes fructus, cum plena propriæ voluntatis resignatione Deo dicaverit, voto perpetuo castitatis emisso, se totam Deo devovens & consecrans; Ac planè huius obsequij & seruitij gratitudinem in altum erigit ipsa pueritia & infantia, quæ sic peculiarissimè providente natura, omnibus grata & iucunda est, vt pote quæ externo favore & auxilio magis indiget, idè humano pectori miram quandam propensionem & nativum affectum erga infantes, auctor naturæ certo quodam pon-

pondere impressit. Et si rationem huius investigare velimus, existimo ipsam innocentiam, quam illa tenera ætas secum fert, huius rei causam adhiberi posse, quæ virtus & quia ex se grata & amabilis est, & quia in mundo rara, magni pretij & æstimationis est; ideo pueri, dum pueritia durat, antequam cum ætate malitia accrescat, omnibus naturaliter grati & iucundi sunt, neque pectora ita dura & rigentia reperiuntur, quæ erga illos nativo quodam pondere & vi non ferantur. Quod si hæc vera sunt de comunibus pueris & infantibus sermonem facientes, quid dices? quid senties de tenera nostra infantula Beatissima Maria, quæ ipsam innocentiam ex maternis visceribus simul cum immensa quadam gratia secum duxit? Cuius quæso animum, mentem & cor, vi quadam & impresso impetu non alliciet? Sanctus Ioannes Chryl. in quadam homilia, quam ad populum Antiochenum scripsit, ubi perpendit quanti apud Deum habeatur innocentia vitæ, ingeniosè & piè notavit, quod, cum olim Deus suum populum graviter affligebat, & gravi manu corripiebat, & Prophetis defuerant iusti, qui Dei animû pacatum & tranquillû redderent, pueros, & bruta animantia Deo proponebant, ut innocentia, quæ in pueris simul cum tenera ætate conservatur, & in brutis per carentiam rationis & libertatis, apud Deum causas & patrocinium ageret. Hoc motivo Rex Ninivitarum

ductus fuit, cum præcepit ne bestiarum pabulû daretur, nec infantes lactarentur, ut sic puerorû lachrimis, & brutorum fremitu, longè sententia Ninivitis promulgata, aliquomodo laxaretur. Hoc ergo valorè huius factificij extollit, licet enim alia præstantiora pignora, quæ ipsam amabilissimam redderent, sanctiss. virgini nõ deessent, nunquã tamen innocentia defuisset, qualis in nulla pura creatura reperiri posset. Tandem ut concionem nostram concludamus, alia consultò missa facientes, quæ hanc oblationem ditant, & eam divino conspectui gratissimam reddunt, hoc unum non omitam, ipsam fuisse primum exemplar, cui institutio sacra clausuræ monialium innititur, & tanquã fundamento firmissimo fulcitur. Hinc tanquam ad sacram anchoram omnes Dei charissimæ & dilectissimæ sponsæ cõfugiunt, quæ vestigia Beatissimæ virginis sequentes, vitam contemplationibus & exquisitis pænitentijis deditam agentes, invidiæ ansam (si sic loqui licet) Angelicis spiritibus præbent. Neque possibile erat quin tale exemplum tam præclarum, ac planè divinum minus efficax foret, principia enim vitæ tam miranda, Virginum florem & vniuersi pulchritudinem ad se attrahere debebant. Quod mentis oculis contemplatus propheta David, stupens & admirans aiebat. *Adducentur Regi Virgines post eam. psal. 44. ac si diceret. Innumerabilis virginum multitu-*

M

tudo

tudo Beatissimam virginem sequetur, infinita ferè extruentur monasteria, vbi sanctissimæ virgines spretis huius mundi delitijs, pompa & apparatus seculari, divitijs caducis & perituris, admirando vitæ ac sanctitatis exemplo parentibus & vniuersa familia relictis conuenient. Qui primitus rem aliquam invenerunt, & magnarum rerum initia & fundamenta iecerunt, isti sanè maiori gloriâ potiti sunt, quâ illi qui eadem ad vltimam perfectionem perduxerunt, ideo qui prima civitatum fundamenta iecere, & qui magnæ alicuius familiæ capita extiterunt, maius & illustrius nomen sibi compararunt: sic religionum fundatores primi, illustres & celebres habentur. Olim cum populus Israel iuxta mare rubrum castra metatus esset, statim atque contra se vniuersam Pharaonis potentiam adventantem conspexit, filij Israel clamoribus concitatis, magno timore concuti cæperunt, & quasi mortui & exanimis defecerunt, Moyses tamen illorum animos excitavit, vt pharaonis potentiam confringerent & ad nihilum redigerent; quia virga percutiens aquas viam securissimam divisis aquis aperuit, adhuc tamen timuerunt filij Israel, nec audebant viam illam, quâ nunquam pedibus calcârunt, aggredi, & novum illud iter conficere, quoadvsque Aminadab Princeps tribus Iudæ, suis curribus & equitibus primus illam viam aggediens, omnium excitavit

animos, fide omnium corda roborans, vt suo exemplo confirmati sua vestigia sequeretur, & sibi firmissime persuaderent, eundem, qui miraculosè maris aquas diviserat, posse etiam sic divisas conservare & detinere, quovsque filij Israel ex alia maris parte consisterent. Itaque Aminadab primus in fide inter filios Israel, sui animi robora & inaudita fortitudine & suo exemplo omnium corda ad se convertit, vt illius vestigia viriliter sequerentur. Cum ergo Beatissima Virgo non solum prima initia & rudimenta Christianæ religionis dederit, sed etiam ad summam illius perfectionem & fastidium duxerit, magna sine dubio gloria illi debetur, & magnam Deo attulit iucunditatem, cum illam tam arduum opus primò aggredientem aspexit, Iure igitur optimo hodierna die totus orbis gloriatur & triumphat, terra exultat, quia cælo tam divinum & supernum donum offert, filiam æterno Patri, Matrem filio divino, & sponsam spiritui sancto, spiritibus Angelicis reginam, cælo imperatricem, hominibus advocatam, & hoc vltimum maximè peccatorum spem exaltat, cum terra nostra tantum & tam pretiosum munus cælo obtulerit, ex cælestibus etiam palatijs magna & præclara beneficia expectare poterit. Tantæ enim matris patrocinium pro miseris peccatoribus misericordiam & veniam, pro afflictis solatium, pro infirmis sanitatem obtinebit, & præcipua

præpto omnibus vitam gratiæ & æternitatem gloriæ. Quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen.



Sermo Secundus

PRO SALVTATIONE
Angelica.

PRæfens Matthæi Evangelium liber quidam est humanæ generationis nostri salvatoris, sed ita difficilis & undique conclusus, vt de illo dicat Esaias, *Quem cum dederint scienti litteras, dicent: Lege istum: Et respondebit: non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras, diceturque ei: Lege. Et Respondebit: nescio litteras.* Esa. Cap. 29. Quis ergo librum istum aperire & illius mysteria exponere poterit? procul dubio multa in illo latent, quæ nostrum ingenium & capacitatem excedunt, cum tot sigillis consignatus sit; Non alium existimo sufficientem esse ad illum explicandum & aperiendum, nisi solum Angelum, quem Evangelista Ioannes vidit. *Dignus es Domine accipere librum, & solvere signacula eius.* Apoc. 5. Quare puto nos esse balbutientes & indotos ad hoc munus præstandum, nisi cognitionis & intelligentiæ lux ex superis nobis infundatur, quæ non

ab alio, quàm ab ipso sole iustitiæ, qui librum aperuit, per Ecclesiæ militantis fenestram derivari potest. Genes. 6. dicitur arca Noë fenestram quandam habuisse, vt per illam solari luce illuminaretur. Mysticè hæc arca est Ecclesiæ militans, fenestra, per quam gratiæ lux ad omnes fideles derivatur, est Beatissima Maria, lucem igitur gratiæ & scientiæ ab ipsa postulemus dicentes, Ave Maria.

Liber generationis Iesu

Christi filij David
Matth. 1.

PRincipium & radix, ex qua oriuntur inimicitia, tumultus, dissensiones, & bella, est proditio & offensa inferiorum contra suos principes, vt ex profanis & divinis litteris manifestè constat. Israelitæ continua bella gesserunt contra reges Idolatras, contra Amorrhæos & Cananæos, ed quidd contra voluntatem divinam illis aditum interdicebant, nè terram promissionis permearent, Saul etiam contra David, quia illius causâ se offensum & gravissimè in honore læsum existimabat. *Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. cap. 18. Absolon in suum parentem insultavit, excuius nefanda proditione tot tumultus & bella in populo Israelitico exorta fuere. Sed dissensiones & tumultus isti bellici aliquando muneribus

M 2

magn;

magni pretij & æstimationis compesci & sedari solent. Quod confirmari potest in Romanis, qui contra Latinos cruenta bella gesserunt, sed cum Romani in signum pacis & federis sex millia latinorum, quos in captivitate redegerant, eiusdem coloris vestibus exornâssent & ad illos liberè misissent, omnia ad antiquam pacem & tranquillitatem redacta fuerunt. Muneribus etiam Patriarcha Iacob suum fratrem Esau placavit, *forfitan placabo illū in muneribus. Gen. 32.* Idem in Machabæis & Romanis coniectari licet, mutuis enim muneribus strictā amicitiam sibi compararunt. Hinc forsitā didicit Abigail, cum muneribus exivit in occursum David, qui iuste cominotus & concitatus ac militibus stipatus, accedebat contra Nabal propter illius rusticitatem & avaritiam, sed illius iram & furorem oblati munusculis compressit prudens Abigail. Herodes & Pilatus inter se dissidebant animis, amicitiam tamen propter personam Christi contraxerunt, cum eum Pilatus Herodi visendum obtulit, Itaque certum & exploratum est, seditiones & bella propter culpas & prodiones oriri, & etiam muneribus oblati ad pristinam pacem & tranquillitatem reduci. Quæ cum ita sint, ut ad rem ipsam propius accedamus, nullus nostrum dubitat, antiquam Dei contra homines inimicitiam ex culpa & peccato originem duxisse, ut Propheta Esaias testatur.

Iniquitates vestra diviserunt inter vos & Deum vestrum. cap. 59. Volens ergo Deus inimicitijs terminum imponere, & hominem ad suam gratiam misericorditer revocare, hoc tãquam congruum medium sibi statuit, nempe ut munus aliquod magni pretij & æstimationis offerretur, quo illius animus placatus, certa amicitia signa demonstraret. Et planè tam in lege naturæ, quàm scriptæ valdè sibi munera placuerunt, ut scriptura testatur de sacrificio Noë. *Odoratusque est dominus odorem suavitatis. Genes. 8.* Et in lege scripta, sacrificia & oblationes, quæ in Salomonis templo offerebantur, sed nulla ex illis Deum nobis amicum reddiderunt. Hodiernâ tamen die, charissimi filij, bona & iucundissima nova vobis referam. Nam in illâ offertur Deo Patri pretiosissimū munus, puella quædam pulcherrima & delicatissima, quæ in matrem Redemptoris electa est, ut inimicitias componat, & lites penitus dirimat. Et hæc est festivitas, quam hodie iucundissimis lætitiæ signis, nostra mater Ecclesia ubique celebrat, cum Sanctus Ioachim & Anna superno ac planè divino benedictionis fructu suscepto, illum in templo suo primo conditori præsentant; felicissimū igitur parentes speciosissimam, & tenellam hanc infantulam Mariam sanctissimam divino adiutorio innixam in templum inferunt, & cum in primo altaris gradu ab illis constituta esset

esset, reliquos mirabili agilitate conscendit, quod sanè non parvam admirationem circumstantibus attulit. In ultimo altaris gradu adstabat Sacerdos pontificali exornatus insulà, vbi eam ascendentem summà animi iucunditate expectabat. Tecum modò loquor templum materiale Hierusalem, tua limina tenellis & delicatis plantulis ingressam agnoscis? Templum Domini Dei tui, quin & verissima fœderis arca, vbi sancta sanctorù reservantur, tua palatia hodie occupavit. Dilata portas tuas regia Dei dõus Hierusalè quia hæc, quã intueris, pulcherrima infantula, te ipsã amplior & extensior est; quia, quem cœli capere non poterant, suo gremio, tanquam domus Dei regia comprimet & concludet. Modò Evangelicum Prophetã Aggeum intelliges, cum in tui honorem de tuã reedificatione mentionem faciens, sic effatus est. *Implebo domum istam gloriã, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum & meum est aurum. Magna erit gloria domus istius novissima.* Aggei. 2. Ac si apertius diceret, Ea differentia, quæ est inter aurum & cuprum, inter figuram & representatum per illam, inter bonum & malum, inter pietatam & viam effigiem, ea planè versatur inter antiquũ Salomõis templum & te, quia illud aureis parietibus visebatur, tu verò ipsum auri molitorem & dominum comprehendis. Illud figurã, tu ipsam veritatem continens, hodie intra propria limina 2-

liam columbam concludis, quæ raram virentis olive, nempe vni genitum Dei patris filium, ore circumfert in signum pacis & æterni fœderis inter mortales, & quia iustum est, vt amborum profapia nobis innotescant, id animadvertit Evangelium dicens.

Liber generationis Iesu

Christi filij David.

Matth. 1.

PRædicta verba præ se ferunt, & aperiunt manifestè strictam & perfectam amicitiam, quam Deus noster cum hominibus habere voluit, non dedignatus amicitiam cognationis vinculo firmare & stabilire. Stuperet sanè mens nostra si solũ audiret Christum esse Davidis, aut Abrahami amicum, voluit tamen se non vt eum; nostrum amicũ alleverate, sed vt amicitia diutius durarent, cognationis vinculo firmiter constringere decrevit. Cognatio enim, vt manifestè tam ex humanis, quã ex divinis litteris comprobare possumus, animos inter se discrepantes vnit, & pressius devincit. Inprimis ex humanis constat; nam Carolus sextus Galliarum Rex post cruenta bella contra Ricardum Britannia Regem habita, vt perpetuam pacem firmaret, illi Isabellam filiam suam in matrimonium dedit; Et Henricus Galliarum etiam Rex, vt pacem componeret inter Galliam & Hispaniam, aliam Isabellam propriam fili-

am cognōine pacis insignitam, Pihlip-
po secundo Hispaniarum Regi Ca-
tholico potentissimo in matrimōium
tradere voluit. Non dissimiliter, cūm
Rex ille cælestis in homines irā inve-
heretur, vt nulli parceret, eorum sce-
leribus & flagitijs iustam vindictam
exposcentibus, tandem æternus pater
vt firmiter pacem inter Deum & mor-
tales cōponeret, proprium filium uni-
genitū nostræ naturæ in matrimōium
dedit, & tanta cognatiōe copulauit, vt
iam filius Davidis & Abrahāi nuncu-
petur. *Filij David, Filij Abraham. Matt. 1.*
vt sic mortales maiori cum fiducia De-
um offensum accederent. Qui enim iu-
dicem & simul etiam parentem cōve-
niunt, securiūs & confidentiūs mitio-
rem sententiā pro dirimendis suis cau-
sis expectāt. Ex divinis etiā litteris præ-
sentem discursum confirmare possumus;
illi enim, qui mortuo Saule ad tri-
būm Iudæ pertinebant, Davidem sta-
tim in Regem elegerunt, alię vero tri-
bus fermē per septem annos rebelles
contra Davidem stantes, tandem vt ad
Davidis gratiam redirent, sic illum
alloquuti sunt. *Ecce nos ostuum & caro
tua sumus. 2. Reg. cap. 5.* Quibus ver-
bis se ipsius cognatos esse fatebantur,
ut sic firmiūs obedientiam & pacem, &
gratiam regis obtinerent. Sed ad ver-
sione dignum est, qualiter prædictæ
tribus cognationem Davidis sibi vsur-
pent, cūm aliās ab illius prosapia tam
longè distent, vt ipsius fauorem venari
possint, vix enim, licet ab eadem A-

brahami radice orti, vel vnam san-
guinis guttam à Davide hauriant.
Hoc planè peccatorum fiduciam in su-
blimè erigit & in altum extollit; si enim
ex propria stirpe & prosapia tam
proximi sumus Christo, ut cum illo in
primo gradu affinitatis simus coniun-
cti, cūm sit filius Davidis & Abrahā-
mi, *filij David, filij Abraham.* Quis in-
ter peccatores desperabit & diffidet?
Quis veniam à proprio cognato &
consanguineo obtinere renuet? nul-
lus planè. Exemplar nobis erit Cana-
næ, quæ alta voce dicebat. *Fili Da-
vid, miserere mei. Matth. 7.* Nos ergo
qui nec Cananei, nec claudi, aut in fi-
de cæci versamur, veniā peccatorum
cum fiducia postulātes haud dubio im-
petrabimus. *Filij David, Filij Abraham.*
Exquirunt hīc diligenter Doctores &
disceptant, quare Evangelista primo
loco Davidem conscripserit. Cuius ra-
tionem accuratam adhibebimus, si pri-
us amicitiam hominū perpendamus,
& cum divina conferamus; Et de
mundana amicitia primò loquentes
rectè sanè vitto vini comparatur, tam
diu enim persistit illius amor, quam
diu vinum in vase perleverat, sic ami-
citia tam diu inter mortales durat,
quam diu utilitas & commoditas ex a-
mico expectatur. *Cūm fueris felix, mul-
tos numerabis amicos.* Inquit Poëta pro-
fanus. Et Pythagoras amicitiam homi-
num comparauit hirundinibus, quæ
imminente vere ad civitates accurrunt,
vt iucundā aurā potiantur, & inde ali-
qua

qua commoditas & utilitas ipsis accrescat, nempe suorum pullorum nutritio & procreatio, at quam primum hyemem à longè prospiciunt, nidos suos relinquunt, atque volatu celeri & tristicantur citò recedunt, quod etiam notavit Plutarchus, & sanctus Hieronymus. Prudentissimus Alfonso Aragoniæ Rex, cum aliquando maria transmearet, animadvertit aves quasdam propè navim circùvolitare, quibus dū cibus ministrabatur, mitissimè hærebant navigio, sed deficiente cibo, statim fugiebant. Tum Rex ingeniosus, & sapiens suos aulicos & domesticos sic affatus est. *Qui me & meam aulā sequuntur, isti avibus mihi videntur prorsus similes, dum enim illis cibum porrigo, his Episcopatus, aut Cardinalatus dignitatem imperitiendo, alijs ducis, aut magnatis titulum, tunc ad nutum mihi obediunt, & verbis & cæremonijs famulantur, quod si granum illis deficiat, & nullum personarum aut rei familiaris incrementum experiantur, illicò recedunt.* *Confitebimur tibi, cum benefeceris.* Melius tamen omnibus istis explicuit nobis sanctus Iob naturam mundanæ amicitia, cum in sterquilinio sedens, solis comitatus laboribus, & omnibus orbatus amicis aiebat. *Fratres mei praterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* Iob. 6. Vbi xante Pagninus sic vertit. *Fratres mei pravaricati sunt contra me sicut torrens, sicut aqua cum impetu fluens, transie-*

runt. Quâ translatione elegantissimâ ceu quadam metaphora confirmat sanctus Iob nostrum intentum. Solet aliquando contingere, ut quis media hyeme iter conficiens, in vallem incidat, vbi pellucidus crystallinæ & dulcissimæ aquæ fons enascitur & scaturit, quodd si verno tempore eandem viam agere contingat, & siti oppressus citò properet ut sitim extinguat, evenire solet, ut verni temporis calidibus exsiccatum fons viatorem decipiat, & deludat, & vbi existimavit aquam adesse crystallinam & pellucidam, nihil nisi lutosum fontem invenit, vbi bufones & animalia venenosa nutriuntur. Sic sancto Iob contigisse mihi videtur, cum enim aura prosperæ fortunæ suavissimè perficaret, amici omnes officijs & verborum lenocinijs famulabantur, sed prosperâ in adversam fortunam commutatâ, cum sanctus Iob suarum molestiarū & afflictionū sitim extinguere voluit, nullum iuxta se, neque etiam propriam uxorem, ut levamen aut solatium aliquod acciperet invenit. Ideo deceptus & mundana familiaritate delusum se esse animadvertens, dixit. *Fratres mei praterierunt me sicut torrens, qui raptim transit in convallibus.* Vel iuxta xante pagninum, deceperunt me sicut fons vel torrens, qui viatorem sibi bundū æstivo tempore derisit & delusit. Hæc est visitata & mundana huius sæculi amicitia. Longè planè diversa est familiaritas & amicitia di-

vi-

vina erga suos amicos, quos De^o amicitia amore diligit, neq; enim solum cum prospera succedunt, sed precipue cum tribulatio, & angustia iustum circumuoluit, eum despectum & omni auxilio destitutum cernit, tunc presentissimus adest & omni favore prosequitur. Cum Israelita dura Egyptiorum captiuitate despecti & oppressi erant, tunc dominus in medio ardentis rubi inter igne, & spinas apparuit: mysterium hoc & arcanum secretissimum aperiens; vt enim sancti patres explicat, rub^o populū Hæbreū representabat, & flamē ignis ardentis, tribulationes & angustias & diram seruitutem, quibus tunc Israelita miserè tenebantur. Apparuit ergo Dominus Moyse in medio ardentis rubi; vt clarè manifestaret, non solum seruorum suorum recordari, cum prospera voluitur fortuna, sed precipue cum ad versa premit, tunc non solum illos in memoriam reuocat, sed etiam in medio tribulationum comitatur inter limum & lateres, in ediam ac vigilias continuas, ibi tanquam verissimus, & fidelissim^o amicus præstè adest plurima porrigendo. *Ego cognovi te in deserto in terra solitudinis. Osea, 13.* Perpendenda sunt ad nostrum propositum illa verba: *cognovite*, idem valent atque ista, *benefeci tibi*, illis enim, quos Deus cognouit, secundum vstitutum modum loquendi sacræ scripturæ, semper bona plurima largitur & peculiariter bonum beatitudinis, quemadmodum &

in sacris litteris, qui à Deo non obtinent bonum supremum beatitudinis, ipsi ignoti dicuntur, *Amen dico vobis nescio vos. Matth. 25.* Quibus voluit dominus indicare, non vt cunque comitari iustos in angustijs & molestijs solum illos in memoria retinendo, sed etiam bona conferendo, non sic amicitia mundana, quæ modò versatur inter mortales, tam diu enim persistit, quam diu amicus nobis utilis est, & potest nobis bona præstare, vt in vxore Iob notavit scriptura; nam statim atque suum maritum se familiari & diuitijs orbatum conspexit, mortem illi his verbis exoptavit, *Benedic Deo & morere. Iob. 2.* Ideo hanc sæculi amicitiam delicatam, & non solidam ac firmam docuit Hieronymus super prophetas minores his verbis. *Delicata amicitia est, quæ amicorum facultates & diuitias sequitur, istiusmodi homines non mihi videntur amici, sed potius seipsos amare.* Et Seneca potius vocat negotiationem quàm amicitiam, his verbis. *Amicitia quæ ad commodum accedit, quæ quid cõsequutura sit, expectat, negotiatio est, non amicitia.* Ad nostrum ergo scopum propius accedentes, tempore Christi domini Iudæi se ex familia Abraham ortos iactabant, hanc & non aliam profapiam ostentabant. *Semen Abrahamus. Ioann. 8.* Nec S. David alicuius erat apud ipsos æstimationis, ita vt filij illius appellari dedignarentur, quin existimo Regiam Davidis profapiam illorum memoria excidisse

isse & ed devenisse, ut ad virginem Mariam omninò pauperem, & ad Iosephum lignorù fabricum revocata fuerit. Vt ergo dominus toti vniverso manifestaret, quanto amore & benevolentia suos amicos prosequeretur & quã verus illorù amicus existeret, cum Davidis prosapia oblivioni tradita esset, tunc dõinus ita Davidis recordabatur, vt in sua Genealogia eũ tanquã primũ parentem elegerit & primo loco conscripserit. *Filij David, Filij Abraham.* Quod optimã metaphora explicuit nobis propheta Esaus sic dicens. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Esai. 11.* Vbi p virgã, vt sancti patres explicant, intelligitur sceptrum & regnũ Christi à Patre Diuino & æterno eleuatum, & exaltatum super Sion montem sanctum eius, sic interpretantur sanctus Clemens Alexandrinus lib. 1. suã Christianã pãdagogia. Origenes homil. 29. cap. 17. super numeros. S. Ambrosius lib. 3. de officijs cap. 4. & S. Cyrillus in commentarijs huius loci. Et paraphrasis Chaldaea sic vertit prædicta verba Esaiã. *Egredietur filius regum Israel.* Ac si apertius diceret Esaus. Cum prosapia Davidis, quã in prima sui origine & radice orta fuit ex Iesse, vix eminuerit, aut paululũ è terra assurrexerit, cum iam obliuioi tradita fuerit, nec pristinum suum splendorem retinuerit, tunc Christus ad regiam illius familiam illustrandam ex Davide duci-

ginem ducet. Quod etiam Hebræa translatio confirmat & ostendit, cum sic dicit, Egredietur virga de tribu Iesse, ac si diceret. Cum genus & prosapia Davidis trunco sicco & mortuo similis apparuerit, sine vlla profuspe vt amplius reviviscat aut refloreat, summus præpotensque dominus Davidem proprij generis & lineã caput in signum antiqui & novi splendoris ostentabit. *Filij David, Filij Abraham.* Sed quare Abrahamus etiam tam strictam affinitatem cum Christo contraxit, vt illius parens in Evangelio conscribatur! Causam huius nobis subministrat illius præptissima obedientia, quã tanta fuit, vt divina voluntate circa immolationem proprij filij cognitã, non obstante promissione sibi facta in persona Isaac circa suã familiã latissimam propagationem, statim primo diluculo præparauit ligna, conscendit montem, & extenso brachio atque evaginato gladio, proprio filio non parcebat, vt voluntatem domini ad nutum expleret. Sic placuit præptissima obsequendi voluntas, quã præclaram obedientiã virtutem ostendit, vt propter illam cum ipso Deo consanguinitatem inierit, *Per memetipsum iuravi, dicit dominus, quia fecisti hanc rem. Gen. 22.* O virtus obedientiã miranda ac planè diuina, quã tuos amatores ita extollis & in sublimè erigis, vt ipsius Dei affines & cõsanguineos efficias.

N

Quod

quod Christus manifestè in templo aperuit; Cùm enim quadam die illius mater sanctissima discipulis comitata, templi Salomonis portam accederet, & quidam ex legis doctoribus irridens & quasi illi illudens, suam matrem & fratres adesse indicasset, sic Christus respondit. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in caelis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Matt. 12. Vbi virtutem obedientiae tanquam vinculum propriae consanguinitatis designavit. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus.* &c. Videtur Evangelistam profusus ignorare prerogativas Beatissimae Virginis, cùm raptim & properato fermè cursu solum dicat. *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus.* Sed si attentè rem perpendamus, apertè conspicimus coloribus rhetoricis Evangelistam usum fuisse, & multa & magna quae de Beatiss. Mariae efferi possunt, his breviter cõpresisse verbis. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Quando Iosue & Caleb simul discesserunt, ut terram promissionis explorarent, cùm illam pinguem & fertilissimam esse animadvertissent, existimantes se verbis non posse illius fecunditatem hebraeis persuadere & manifestare, cõmuni consilio decreverunt, ut aliquis illius terrae fructus coram Hebraeis compareret, ut sic potius factis quàm verbis rem totam illis indicarent, magnum ergo uvarum racemum tantae magni-

tudinis abstulerunt, ut vix duo homines super hastam impositum portare potuerint, & Israhelitis presentarent, hoc usi ingenio & mirabili artificio, ut si hebraei de fecunditate terrae promissionis petivissent, racemo exposito, bonitate illius terrae manifestarent; quo facto efficacius quàm verborum copiâ fertilitatem & ubertatem patriae aperuerunt. Non dissimiliter Evangelista cùm virtutem & ubertatem illius terrae virginis Mariae sanctissimae, verbis & coloribus theorum exprimere non auderet, ut illius fertilitatem & miram excellentiam cognosceremus, mirandum illius ac plane divinum fructum ante oculos proposuit, sic dicens. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Ac fideret. Ex hoc racemo ingentis magnitudinis, qui in crucis torculari expressus, amoris mustum edidit, quo totum univèrsum restauravit, colligere potestis præstantiam & fecunditatem huius terrae, quae tanta est, ut Deum ipsum producat & germinet, terra sine dubio Deificata ac divinis benedictionibus fecundata, ut olim decantavit Propheta David. *Benedixisti domine terram tuam psal. 84.* Ut sic copiosum & abundantem fructum nobis præberet, quo gratiam mereremur in presenti & gloriam in futuro, quam mihi & vobis præstare dignetur, **I E S U S**

CHRISTVS.

Amca.

IN



IN ANNUNTIATIONE BE-
ATISSIMAE MARIAE
VIRGINIS.

Sermo primus.

Pro salutatione Angelica.



AVE MARIA Gratia plena &c: *Luc. 1. cap.* Mira sancti proferunt de salutatione, quâ Gabriel Archangelus æterni Patris filiam, vngeniti filij Dei matrem, & Spiritus Divini Sponsam salutavit. Ad quam extollendam multo sanctorum patrum affirmant, Verbum Divinum in ipsa salutatione carnem ex Maria sanctissima assumpsisse; sic asseverat S. Damianus in sermone de Nativitate Mariæ, vbi dicit, duplex verbum fuisse mundo annuntiatum, quod nec antea prolatum, nec vnquam proferendum erit, alterum est, quod divinus Ioannes tanquam tonitruum filius protulit, sic dicens. *In principio erat verbum, Ioan. 1.* Aliud fuit, quod S. Damianus altissimæ vocis fremitum appellat, nempe salutationis Angelicæ verbum, quo suæ legationi Archangelus

initium dedit his verbis. *Ave gratia plena. Luc. 1.* vbi inquit, Verbi Divini Incarnatio, hominum redemptio, & mundi renovatio includitur. Idem affirmat Nicephorus Calixtus lib. 2. hist. Eccles. cap. 8. existimans Verbum Divinum tunc nostram mortalitatem assumpsisse, cum primum Beatiss. Maria salutationis Angelicæ verba auscultavit. Et vniuersa Ecclesia Græca idem sentit, vt constat ex officio in lucem edito à glorioso Chrysoft. vbi sic dicitur. *Gabriele dicente tibi, virgo Ave, tunc incarnatus est omnium Deus.* In eodem sensu intelligit verba salutationis S. Paulus Episcopus Alexandrinus. *Ave gratia plena Dominus tecum.* Id est; Verbum æternum in tuo sanctissimo utero iam per Incarnationem comoratur. Communis tamen sententia sanctorum Patrum est, Verbum Divinum carnem assumpsisse, cum Beatiss. vir-

N 2

golu-

go suam voluntatem aperuit dicens. *Ecce ancilla domini. Luc. 1.* Quid ergo aliud Ecclesie græcæ Patres suâ sententiâ conati sunt introducere? non aliud planè nisi salutationem Angelicam laudibus ad cælum vsque extollere conati sunt, cum illa initium nostre reparationis & salutis extiterit, meritò sanè illam sic extulerunt, cum cælestibus palatijs & terrarum orbi lætitiâ & exultationem attulerit, miraculū grande annunciarit & æternum concilium nobis aperuerit, quin & voluntatem virginis attraxit, vt Incarnationi Divini Verbi consensum præberet. Salutatio igitur Angelica verba continet, quibus quæcunque etiam difficilia à sanctissima virgine impetrare poterimus, præcipuè cum de Beatissima Maria dicat Bernardus in sermone de assumptione. Ascendens Maria in altū dabit dona pauperibus, cum nec voluntas nec potestas illi desit, Regina cælorū est, misericors est, ac tandem vnigeniti filij Dei mater, ab illa ergo gratiam postulemus dicentes. Ave Maria.

Missus est Angelus Gabriel.

Omnes festiuiates, quæ per totum anni decursum nostra sancta mater Ecclesia celebrat, inter se habent diversos gradus quoad magnitudinem & excellentiam, licet enim omnes suâ peculiarem præstantiam

& excellentiam habeant ratione sanctitatis quam colunt, illa tamen inter eas excellentior est, quæ maiorem sanctitatem, altiora mysteria & Sacramenta comprehendit. Hinc aperte deduci potest, celebritatem huius diei alias in eminentia & magnitudine longè antecellere, quia inter omnia mysteria præsentis festivitatis Sacramentū diuinius & eminentius est, nihil enim altius in Divino pectore larere potuit, quàm vnio verbi ad nostram humanitatem, ex illa originem ducens, vt indutus carne nostra mortali & passibili, tandem pro peccatoribus mortem turpissimam pateretur. Existimo sanè neque maius neque excellentius opus ex manibus supremi artificis in lucē editum fuisse, neque maioris momenti ac ponderis pro vniversi reparatione. Iste est consensus totius Ecclesie vniversalis, cum hoc mysterium peculiari honore in sacrificio altaris utroque poplite in terram defixo, veneretur, quod tamen in alijs mysterijs non præstat, etiam si sint admiranda ac planè diuina. Est etiam mysterium inter alia difficilius, superans in difficultate intelligentiam supremi Spiritus Angelici. Quod planè indicârunt illi duo supremi Spiritus Angelici, afflatu diuino tanto artificio elaborati, vt ambo defixis oculis propitiatorum intuerentur, ita tamen hærebant illud aspicientes, in quo mysterium incarnationis representabatur, vt silentio

lento potius, demissis capitibus crebra alarum concussione tantum sacramentum celebrarent. Quis tanta erit facultatis, etiam si Angelico polleat ingenio, ut investigare possit, qualiter Deus nostram naturam euerit, & sibi tam stricto nexu & vinculo in propria persona collocaret, ut id quod dicitur de Deo, dicatur etiam de homine, & id quod de homine dicitur, de Deo etiam cum veritate efferri possit. Quare ratione concedimus Deum nasci, Deum mori, pati, sanguinem effundere, & homo ita Deo coniunctus est, ut de illo verè affirmari possit, ipsum iustificare, gratiam conferre, mortuos suscitare, ex toto rigore iustitiæ satisfacere pro humani generis debito, ex quo apparet, quanta sit huius mysterij super alia præstantia & celsitudo. Tanta equidem est, ut proprio iure sibi vindicaverit nomen operis Dei, in quo conficiendo suum ingenium, omnipotentiam, sapientiam & cætera attributa manifestavit, in quo mirificè micant & splendent. Ita his verbis fatetur Propheta Abacuc. *Audiui auditionem tuam & timui, domine opus tuum in medio annorum tuorum vivifica illud, in medio annorum notum facies. Abacuc. 3.* Quod opus Prophetæ sancte? non aliud nisi opus incarnationis sibi per revelationem manifestatum, quod propter suam eminentiam nomen operis Dei sibi usurpat. *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Ac tutius hoc expres-

sit Propheta David, sic alta voce Deum alloquens. *Excita potentiam tuam & veni. psal. 79.* Illud verbum, *excitata*, denotat excitationem à somno, à quo quis ad aliquod opus efficiendum excitatur. Quomodo ergo propheta sanctus somnolentiæ arguit omnipotentiam divinam? ac si nihil effecisset Deus in creatione ac productione uniuersæ & aliarum creaturarum? Nonne ante diuini verbi Incarnationem produxerat Deus immensitatem Angelorum? tot species & animantium genera? ac perpetuò in suo esse conservauit? qualiter ante incarnationem dormiuisset Deum & quasi nihil effecisse suis verbis manifestat? Optime sanè asseruit Propheta, si ad litteram spiritum attendamus, alia enim diuina opera, si cum opere Incarnationis conferantur, ferè nihil erant, neque ita omnipotentiam diuinam exprimebant. Cum ergo Deus libenter præstet ea quæ à suis amicis postulatur, ita ut videatur astrictus ipsorum voluntati, omnia quæ ipsi placent, concedendo. *Voluntatem timentium se faciet ps. 144.* Mirabile ac planè diuinum opus Incarnationis iuxta sanctorum Patrum vota executioni mandavit, quod non solum suis oculis placuit, sed satisfecit & implevit suum desiderium. *Videbit & saturabitur.* De alijs operibus in molitione uniuersæ fabricatis dicitur in sacris litteris. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

na. Gen. 1. Id est, placuerunt optimè diuinæ voluntati, sed non dicitur. *Videbit & saturabitur*; De solo mysterio incarnationis prædicta verba proferri possunt; Quia propter sui eminentiam & sublimitatem non solum placuit, sed implevit etiam & saturavit Divinam voluntatem. Neque solum in hoc opere summus præpotensque dominus suam omnipotentiam ostentavit, sed etiam maximum erga hominem amorem & imensam erga nostram naturam benevolentiam & affectiōem. Ad cuius ponderationem notanda sunt illa verba sponsi, ad nostram naturam tanquã ad suam charissimam sponsam directa. *Cant. 6. Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Insinuat hic sponsus maximum amorem erga suam charissimam sponsam, ided illi præcipit vt abscondat se, neque amplius coram se compareat. Ad cuius intelligentiam adverto, amorem per visum tanquam per secretum ostium cordis nostri latebras occupare, hæc est ianua, per quam tyrannus iste cor vulnerat, & prostratum diuincit, neque obstat amorè in figurã ceu infantis formam obductis oculis effingi, amor enim in principio visum habet perspicacem, in fine verò cæcus est, & amatores cæcos facit, ut ex comuni amoris prologo constat. *Accipitris oculos, nõ verò canis habet.* Accipiter, cum pullus est, a pertis oculis incedit & nutritur, perspicaci pollet visu, postea verò cum

plumise ornatur, illius cooperiditæ oculi, & tanquam cæcus lumine priuatur, è contra verò canis cæcus nascitur, aliquo temporis intervallo nihil videt, transacto verò novem dierum spatio visum habet acutissimū, amor ergo in figuram accipitris efformandus est, in principio oculos habet perspicaces, per quos amor ingreditur, postea verò cæcus est, neque enim curat prudentū hominum dicta, qui amore alicuius capitur, neque scandala, bonum nomen, famam aut existimationem propriæ personæ, omnia ista cæcutiens conculcat & spernit. Per Davidis oculos ingressus est amor Bersabee. *Viditque mulierem se lavantem. 2. Reg. 11.* In cæcitatem tamen conuersus, ita Prophetam excæcavit, ut nec scandalum, nec peccatum, etiam indicante Propheta Nathan animadverteret. *Quæ cum ita sint, nullis verbis potuit Verbum Diuinum accuratius amorem erga hominem significare quàm prædictis, Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Ac si diceret. Abscondas te sponsa charissima, ne forsitan ex intuitu cor nostrum ita inflammetur, vt præ amoris magnitudine foras extractum, extasin amoris patiatur. *Ipsi me avolare fecerunt.* Alio modo possumus etiam perpendere amorem diuinum erga hominem, siad primam creationem rerum, antequam homo crearetur, oculos mentis convertamus, ita enim Deus ante crea-

tionem

tionem hominis maximo illius amore tenebatur, vt prius aëreum corpus in illius similitudinem effinxit, vt postea ad illius normam hominem produceret, ne aliquando sine hominis consideratione & contemplatione otiosus existeret. Ita affirmat doctissimus Tertullianus in libro à se edito de resurrectione carnis, quem refert, & in hoc sensu explicat Gregorius Nazianzenus in sermone Epiphaniæ, & S. Ambr. de fide orthodoxa cap. 8. Et Diuus Basilius in hoc sensu explicat illum locum Geneleos. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Genesi. 1.* In cuius explicatione affirmat secundum animam hominem esse creatum ad similitudinem Dei, in tribus potentijs quibus præditus est, memoria, intellectu & voluntate, quibus Deo simillimus existit, quoad corpus verò dicitur homo ad similitudinem Dei conditus, non quia in Deo corpus reperiatur, sed quia à principio creationis rerum corpus aëreum efformavit, ad cuius normam & similitudinem corpus primi nostri parentis produxit. Quod maximè exaltat amorem Dei erga hominem, cum in prima rerum molitione ex maximo amore & affectu erga hanc creaturam, ut illam pulcherrimè elaboratam in lucem ederet, primò quasi carbone depinxit, tum ut in aliquo ad hominem spectante occuparetur, tum etiam ut hanc pulcherrimam creaturam

hominis maiori ingenio & arte elaboraret, tum tertio vt creaturam hominis saltim carbone adumbratam haberet, in quam oculos defigeret. Si hoc Deus in signum amoris etiam ante productionem hominis effecit, quid non faciet post illius creationem illum intuendo & contemplando? *Audendum est* (inquit Dionysius) *& hoc pro veritate dicere, quod Deus ex vi charitatis extasin passus est.* hoc est, extra se ipsum fuit, hæc enim est vis amoris, ut extra propriam naturam educat & in aliū per amorem transformet. Quid gallinam ex propria natura timidam in aquilam convertit, ut pullos suos defendat & tueatur? quid ovem in leonem transformat? non aliud nisi amor, cuius vis tanta est, ut vnam creaturam in aliam commutat. Quicumque ergo Deum immensum, impassibilem, per Incarnationem passibilem, morientem & affixum cruci, ac summam bonitatem in forma peccatoris considerat, nonne cum Dionysio exclamabit, *Deum ex vi charitatis extasin passum fuisse?* Videtur sanè Deum ex amore hominis extra se ipsum fuisse, & propriam naturam, vt vis amoris postulat in hominis naturam commutasse; Tanto enim fædere naturam humanam per Incarnationem sibi coniunxit & vnivit, vt nunquam, neq; per mortem, neq; per vitam illam reliquerit, vt magis vis amoris splenderet & eluceret. Sanctus Dionysius lib,

lib. 1. de divinis nominibus | cap. 4. asseruit, amorem esse vinculum & nexum indissolubilem, quo amici strictissimè inter se connectuntur & copulatur, ita ut si possibile foret, ex duobus vnum individuum resultaret. Vnde orta est illa fabula, quam Plato finxit de duobus amicis, qui se ipsos tenerrimo & firmissimo amore diligebant, casu enim in Vulcanum fabricorum Deum inciderunt, qui obviam illis factus, ex animi liberalitate officia offerens, ut aliud beneficium ab eo postularent, per se & suos intimavit; illi mutuo sui amore & benevolentia capti, à Vulcano postularunt, ut ex utroque (cùm eminenti fabricorum ferrariorum arte polleret) vnam personam conficeret, ut sic sui amoris finem assequerentur, scilicet nexum & unitatem possibilem, non solum voluntatis, sed etiam animi & corporis. Tanta est vis amoris & huius nexus indissolubilis, Hinc apertè cõstabit efficacia amoris divini, homini per Incarnationem manifestati; si enim nexus & unio amorem & benevolentiam indicant, cùm Verbum Diuinum ita fuerit nostræ humanitati per Incarnationem devinctum, & strictissimis vinculis connexum, talis unio maximum Dei erga hominem amorem demonstrabit! Fuit equidem maior unio unione illà intercedente inter animam & corpus, licet enim hæc tanta sit, vt ex duplici natura tam distante, vnus homo coale-

scat, maior tamen intercedit unio inter verbum & humanitatem, cùm istæ duæ naturæ, divina & humana infinito intervallo inter se distent, quo non obstante vnum suppositum ex utraque natura resultat. *Non duo tamen, sed vnus est &c. Symb. Arhan.* Deinde, licet tâta sit unio inter animam & corpus, morte tamen interveniente, hõinis unio dissoluitur & perit: At unio verbi ad humanitatem neq; vivente neq; mortuo Christo dissoluta est, aut dissolvi unquã poterit, tanta enim fuit huius uniois vis & efficacia, ut neque animam ad inferos descendentem, neque emortuum corpus, quod in cruce pendebat, aliquando deseruerit divinitas. *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Ad hanc unionem manifestandam & nunciandam hominibus mittitur ad Virginem Archangelus Gabriel, *Missus est Angelus Gabriel à Deo.* Proprio nomine supremus iste Spiritus ac Cælestis Paranimphus Sacro Sanctum mysterium Incarnationis prædicat ac manifestat. Quia, *Gabriel*, duo significat: primò Deum hominem indicat, secundò fortitudinem Dei exprimit, & utraque significatione Incarnationis mysterium, quod denuntiat, etiam apertè manifestat, hæc sunt insignia, quibus cælestia palatia tanquam propriam patriam ostendit. Olim gentilium legati cùm sua legatione fungebantur, insignibus propriæ nationis exornari consueverant, Romani defe-

deserebant aquilas, Cythæ fulmina, Pertæ arcu & sagittis utebantur: ita Cælestis iste paranympus, Cælesti etiam legatione fungens, proprijs suæ patriæ insignibus fulget & splendet, vocatur enim *Gabriel*, quod nomen, insignia cælestia ac planè divina exprimit. Deitatem scilicet & humanitatem, quæ duo patriæ Cælestis insignia præ se ferunt. Et hinc oritur secundū in signe scilicet, *fortitudo Dei*, his fulget & micat cælestis iste paranympus. Ad cuius confirmationem rem notatu dignissimā referā, quam narrat sacrosanctum Concilium Nicensum secundū celebratum actione 4. & citantur pro hac historia, Stephanus Diaconus, & sanctus Martyr Procopius. Accidit aliquando ut quidam bonus vir Mearinus nuncupatus, cuiusdam sculptori gentili qui Marcus vocabatur, præciperet, ut sibi crucē conficeret, qua confecta & elaborata, in ea miraculosè tres figuræ cōparuere, in medio crucis effigies Christi Crucifixi cōparuit, cui⁹ titulus erat *Emanuel*. In altera parte pulcherrima quædam figura visēbatur, hac notata in scriptione *Michael*. In alia verò elegantissima effigies enituit, hac nuncupatione designata *Gabriel* Quas figuras, cum gentilis sculptor animaduertisset, delere iterum suæ artis instrumentis conatus est, sed frustra laboravit, quia in suæ audaciæ pœnam vtraq; manus emarcuit. Prædicta historia mysterium grande, & diuinam planè significa-

tionem nostro proposito inferuentem continet. Imagine enim Christi crucifixi, Spiritus Diuinus voluit gentili manifestare, Christum affixum cruci non solum hominem esse, sed etiam verum Deum, ut indicat illa vox, *Emanuel*, quæ significat *nobiscum Deus*. Ad latus eminebat sanctus Michael, cuius nomē significat, *Quis sicut Deus*, ut gentili ostenderetur, quod licet Christus Redemptor noster cruci affixus imbecillis & omnino debilis videretur, tantā tamen fortitudine præditus erat, ut in sui sanguinis virtute & beati Angeli dæmones devicerint & superaverint: Ex alio latere sanctus Gabriel apparebat, suo nomine manifestans, Christū cruci affixum non solū hominē, ut ex externa forma iudicari posset, sed etiam verum Deum existimandum esse, cuius ipse legatus existeret, id proprio Gabrielis nomine significans, cum Deum & hominem exprimat, ex quo oritur, ut dixi, secundā nominis significatio, scilicet *fortitudo Dei*, quæ in hoc mysterio apertè ostenditur & declaratur. Neque ad huius confirmationem necessarium est in memoriam reuocare insignes victorias, quas verus Deus & homo contra dæmonem reportavit, quas spiritu prophetico prædixit optimè, & explicuit Propheta Habacuc. *Deus ab austro veniet: & sanctus de monte pharan. Aperuit cælos gloria eius. &c. Splendor eius ut lux erit: continua in manibus eius, ibi abscondita est*

○

for-

fortitudo eius, cap. 3. Prætereo etiam victorias huius supremi Spiritus Angelici, huius mysterij cœlestis Paranympsi, de quo refert sanctus Basilius, ipsum cū Angelo paradisi vi spiritu aliu brachiorum decertasse, & ipsum, cū Gabriel esset superioris Hierarchia, devicisse, erat enim Seraphin, Angelus vero ad custodiam paradisi deputatus, erat Cherubin, istum ergo devincens, arborem vetitam, quæ causa fuit nostræ ruinæ & perditionis foras ex medio paradisi extraxit, & Hierosolymam detulit, cui postea non sine divino mysterio Christus affixus fuit, *vt sic qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Hic ergo cœlestis Spiritus Gabriel è cœlo ad virginem mittitur ad prænuntiandum mysterium Incarnationis. *Ad virginem desponsatam Ioseph.* In quo voluit etiam Deus sui brachii vires, & supremam potentiam contra dæmonem in operatione huius mysterij patefacere & aperire, cū mulier, quæ ex propria natura timida & debilis est, illius caput conftegerit & comminuerit, hoc eventu sine dubio maximo pudore & ignominia affectus est Lucifer, cū videat se manibus fæmineis devastatum ac planè emortuum, quod sanè ignominiosum est, ac si aliquis in medijs plateis baculo arundineo percussus interiret. Refertur in sacris literis: in libro Iudicam cap. 9, ambitiosum & superbū Abimelech, qui ex inordinato appetitu regnandi septua-

ginta fratres suos interfecerat, cū arcem, quam expugnabat, igne succederet, demisso fæmineis manibus lapide, capite illius ac cerebro confRACTO ac comminuto, miserrimè percussum fuisse, qui sese sic lethaliter vulneratum à fœmina animadvertens, famulum suum sic affatus est: *Eva-gina gladium tuum, & percutite me, nè forte dicatur quod à femina interfectus sim.* Iud. 9. non mortem, sed ortam ignominiam ex nece manibus fæminæ causatā, pertimescebat. Quæ historia ad vivum exprimit id, quod dæmoni mediante fœmina in Sacrosancto Incarnationis mysterio accidit, à fœmina enim percussus, ut alter Abimelech baculo arundineo, confRACTO cerebro turpissimè occubuit ac superatus est, in quo Deus suam potentiam efficacissimè contra dæmonem ostentavit. *Ad Virginem desponsatam viro &c.* Et ingressus Angelus ad eam dixit. Notanda sunt illa verba. *Et ingressus.* Ex quibus apertè colligitur Beatissimam Virginem intra sui cubiculi & oratorii secreta latentem à Angelo inventam fuisse, nihil enim ad virginitatem servandā convenientius, quā secreto loco consortia hominum evitare. Quid vnicam Israelis filiam defœdavit, vt pretiosissimum virginitatis monile etiam per vim perderet? non aliud nisi libertas quæ domum egressa est; Voluit enim civitatem Sichen & illius ornatum per-lustrate, sed illius regionis & patriæ

Rex


Rex captam, & per vim oppressam deflorauit. Quod attentè perpendens Sanctus Ambrosius, asseruit, virgines nunquam sine matris comitatu extradomum permittendas fore, vt zelo illius ac centum oculis circumspiciantur, quin & addit S. Ambrosius. *Ipsa quoque ad Ecclesiam progressior arrior sit*; Si ex illa aliquod periculum imminere possit. Medicinæ princeps Galenus interrogat, quare faminæ, cum ita alienis bonis & perfectionibus inuideant, barbam, quæ ad perfectionem & decorem hominis, & ad inclementias temporum sustinendas spectat, non à Deo enixè postulauerint ac impetrârunt. Respondet doctissimus Galenus. *Quia sub tecto maximam vitæ partem transigere debent.* Ideo barbâ non egent, vt se à frigore & ab alijs temporum incommoditatibus tueantur. Faminq; si graves & honestæ sunt, nulla ratione debent viris innotescere. S. Gregorius illas existimauit honestiores faminas, quas mares minimè norunt, istæ dignæ sunt ut laudibus ad cælum vsque extollantur; Ideo Angelus Beatiss. Virginem in suo oratorio, à conspectu virorum occultatam inuenit. Nec mirum, quia fuit altera veteris testamenti arca, cortinis vndique tecta & obferata, columba planè diuina, quæ plumis exornata, ex huius sæculi fluctibus ad cælestia palatia evolauit, hortus etiam conclusus, & fons signatus, vbi fructus à solo Deo depromen-

di & degustandi erant. *Aue Gratia plena dominus tecum.* Luc. 1. Non laudat Angelus B. Virginem de externis bonis naturæ, de regum profapia, & eximia illius pulchritudine, sed solum de internis gratiæ bonis; cum enim sit cælestis patriæ aulicus, vbi nec profapia regum, nec externa venustas, aut pulchritudo aliquid valent, sed solum interna animæ pulchritudo per gratiam, ideo hoc titulo eam salutat & honorat. Ita etiam sponsus in canticis, nō eam de externa, sed interna animi pulchritudine laudauit. *Caput tuum sicut carmelus.* Cant. cap. 7. Per caput sponse, & cuiusuis animæ sanctæ, intelligitur illius animæ; in peccatore verò è conuerso accidit, animâ enim non vitur tanquã capite, sed loco pedum vsurpans, eam deprimit & conculcat, è contra verò iustus eam pro capite effert & honorat. Ideo sicut mons Carmelus pulcherrimis arboribus & fructibus abundabat; ita anima iusti cælestibus diuitiis referta est, peccator verò proprium corpus tanquã caput æstimat, ideo peccatores & abundantes à sæculo obtinuerunt diuitias, vt corpus suum splendidissimis vestibus & plumis exornarent. *Caput tuum vt carmelus.* Ista externa bona, non sunt illa quæ animâ ditant, quod etiam philosophi gentiles solo lumine naturali ducti intellexerunt, neque enim beatitudinem in istis bonis externis, caducis & perituris constituerunt, ne-

O 2 que

que reges & imperatores potentissimi solâ bonorum copiâ & affluentia beati fuerunt. De quodam extremo & ditissimo imperatore refertur, nempe ex his tantû quæ somniavit, illius pacem fuisse turbatam. De alio rege Ierusalem dicitur, ex solo pedum dolore omnem iucunditatē & lætitiā amisisse. Rex David potentissimus nullo vestium aut pellium pretiosissimo vestitu calefieri potuit; Ideo prædicta bona coram Deo pro nihilo habentur, neque alicuius momenti sunt, sola gratia, quâ homo fit particeps divinæ naturæ, cælum & terram & omnes creaturas antecellit, quam tamen homo per peccatum mortale perdit & conculcat. Virgo ergo sanctissima gratia plena & referta erat: intellectus illius sanctissimis considerationibus, & voluntas ardentissimis desideriis æstuabat, oculi illius mundiores turturis, auditus divinis verbis impletus, manus illius distillabant myrrhâ, pulcherrima in calceamentis, cor illius templum Spiritus Sancti. Si filii sanctissimæ virginis sumus, in hoc illam imitari tenemur: in prompta ad Deum voluntate, ut ei in omnibus pareat & obediat: in pedibus, ut nostri ad illius normam dirigantur in viam pacis. *Aue gratia plena Dominus tecum Luc. 1.* Veteres depinxerunt Dianam, & tanquam Deam & virginem pulcherrimam effinxerunt, quæ ita fortunata & felix erat, ut super præta virentia

sedens, ros è cælo elapsus, in proprio gremio in purissimum aurum conuertebatur. O virgo sacratissima, cui, sicut tibi, Divæ titulus congruentis convenire poterit? quæ cum inter lilia convallium resideres, matutini rosis infinita fermè grana ad tuum gremium è cælo elapsa sunt, fortunatior & felicitior Dianâ, quia consensu præstito, in maiorem generis humani fortunam & felicitatem, grana rosis in purissimum diunitatis aurum commutabis, quo in hac vita per Gratiâ, & in alia per gloriam abundemus, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus, Amen.



Sermo Secundus

PRO SALVTATIONE
Angelica.



OMNES Christi fideles hodierna luce, cum tota Trinitas Sanctissima æternum suû consiliû, de pace inter peccatores & Deum per Incarnationem firmâda, executioni mandavit, certo quodam iure gratiam & amicitiam Divinam nobis vendicamus & exposcimus, quia ex parte nostra Beatissimam Mariam habemus, apud quam thesaurus gratiæ depositus est, quæ ita hoc pretiosissi-

tiōssimo thesauro ditata est, vt Angelus eam gratia plenam, & apud Deum gratiam inuenisse, testatus sit: ac si diceret. Gratiam, quā plenissimē referata & illustrissimē decorata es, non ex propria substantia & diuitijs comparasti; quia nulla merita æquale gratiæ pretium efficere possunt; neque etiam ex propria profapia derivata est, quia ex illa, non nisi culpa derivari potuit: Tanta tamē fuit tua fortuna & felicitas, vt gratiam apud Deum inuenires, quā Adam & Eva non solum pro se, sed etiam pro alijs perdidērunt; Tu vero pro illis & pro alijs retinuisti & inuēisti, ac consequenter, illis, in quibus antea erat, reddere debes. Diuina ergo & sanctissimi. Maria, quæ tot gratiæ diuitijs locupletata es, nobiscum generoso animo et liberaliter distribue. Et quia existimo, nulla verba efficaciora esse ad impetrandum quod postulamus, illis, quibus Angelus eam salutavit, & initium nostræ salutis dedit, ex ore Angeli eadem verba usurpemus, dicentes Ave Maria.

Missus est Angelus Gabriel, Lucæ 1.

CVM Christus Redemptor noster loqueretur phariseis de Patriarchâ Abraham, inter alia hæc effatus est. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gavisus est.*

Ioan. 8. In quo loco tria sunt difficulta, quæ petunt explicationem. Primum est: quænam fuerit dies ista Christi nostri saluatoris, quam videre summo opere desideravit Patriarcha Abraham. Secundum, quando tam felicem diem aspexerit. Tertium, qualiter huius diei intuitu exultauerit. Quantū ad primū, conveniunt Sanctus Chrysos. & alii Doctores sancti in explicatione huius loci, diē istam illam fuisse, quā Christus mortuus fuit; Sed ad nostrum propositum magis spectat explicatio, quam affert S. Aug. asserens diem Christi fuisse diem suæ incarnationis, quando Verbum nostram carnem & humanitatem assumpsit, ex hac omnes alia suū exordium & principium sumserunt. Prima die, quā vniuersum fuit conditum, simul creauit Deus lucem & tenebras. *Et factus est mane & vespere dies vnus. Gen. 1.* Ac si diceret S. S. ex nocte & ex die simul facta est prima dies naturalis. Ita similiter prima Christi dies, quæ verè illius dies appellari potest, tunc formata est, quando Cœlestis ac diuina lux Verbi Divini cū tenebris nostræ humanitatis, ac simul aurora virginei vteri coniuncta fuit. Tandem dies Christi, quæ propriè dies eius nuncupari potest, dies est suæ generationis & conceptionis temporaneæ; Nā loquendo de æternâ Christi generatione, ea ineffabilis generatio, diem non habuit, sicut nec principium, nec finem.

finem. Quando ergo Abraham diem predictam aspexit, & illi in figura & spiritu representata fuit? Sanctus Theodoretus affirmat, id planè accidisse, cum illi præcepit Dominus vt egrederetur de terrâ suâ, de domo ac propria cognatione, vt in Egyptû & ad Cananæos migraret; Tunc diem redemptoris agnouit, tunc enim Verbum Diuinum in mundo peregrinans, ac alienâ peregrini veste indutû inter Egyptios & Cananæos conspexit. Sanctus Gregorius censet, tunc diem istum in figura Abrahæ fuisse representatum, cum tres Angelos suâ domum ingresses vidit, ex quibus vnum hospitio excepit & adorauit, tunc Christi diem agnouit, licet enim videret tres diuinas personas domum & familiam suam ingredienti, vt ex illa Incarnationis mysterium operarentur, vnâ tamen illarum in hospitio mansuram, & nostrâ carne induendam, diuino Spiritu consequutus est. Existimat etiam idem sanctus Abrahamum illum diem felicissimum vidisse, quando per Angelos certò cognouit, ex suâ vxore Sara, licet iam senio confecta, filium habiturum, tunc enim illam fortunatissimam diem aspexit, cum Virgo quædam non ex virili semine, sed afflatu Spiritus diuini paritura erat filium, in quo omnes gentes benedicendæ essent. Alij dicunt, tunc diem Christi cognouisse, cum Isaac ablaçtatus & à maternis vberibus

separatus fuit, vt duriorib⁹ cibis vteretur, tunc eximiâ iucunditate perfusus Sanctus Patriarcha, omnes ad cõuiuû inuitauit, illa die cognouit, qualiter æternus Isaac, vnicus patris æterni filius, vberibus paternis relictis, in hæc terrarû sola descensus esset, vt terrestri & crasso peccatorum cibo vesceretur. Sed inter has omnes explicationes illa mihi magis placet, quam alij sanctorum Patrum adhibent. Aiuunt enim sanctum Patriarcham aliquo modo dubitasse, an forsitan, Deus impleturus esset ea omnia, quæ sibi promiserat, & præcipuè se futurum esse patrè multarum gentium, vt ergo illum de his omnibus certiorum faceret, præcepit illi vt vitulum, arietem & oues aliquas mactaret, & in duas portiones diuideret, ac inter se coniungeret, quod cum fecisset Abraham, ignis globum rotundâ formâ confectum, & coopertû animaduertit, qui inter duos carnis cumulos præteriens, nec laesit, nec combussit. Hic representatus fuit sancto Patriarchæ ignis ille diuinus, qui semper in diuino pectore ardet, nec vnquam extinguitur, cum in medio carnis nostræ mortalitatis, à virgineo vtero circumdatus, sine vlla carnis læsione aut fæore aliquo, potius nostram carnem puriorem & splendidiorem reddidit, imo illam emortuam iuueniens, suo calore fouens diuinam planè vitam contulit, quæ, cum in spiritu vidisset Abraham, de præ-

de promissionibus diuinis omninò certus fuit. *Vidit & gauisus est.* Et meritò exultauit. cum iam spei & desideriorum impletum finem, & sui amoris præmium animadvertisset. Hanc ergò iucundissimam diem, si sanctus Patriarcha olim à longè conspexit, hodie iuxta & in propriâ familia, virginem ex suâ propriâ profapiâ, & ex Dauidis domo regiâ descendentem intuetur: Et si Abraham prænuntium huius diei Angelum in formâ pauperis peregrini suscepit; hodie beatissima virgo in gloriosâ & splendidissimâ formâ Angelum cernit, Abraham Angelum adorauit, Angelus verò mysterij Incarnationis paranymphus Beatiss. virginem adorat, ac tanquam propriam dominam & principis fam veneratur. Quando Sâsonis parentes audiêrunt ab Angelo filium talem habituros, qui suum populû à tyrannide phylistinorum liberaret, in huius beneficii gratitudinè, ipsum proni super terram adorârunt, & illi sacrificium offerre vouerunt. E contra in præsentiarû accidit, nam Archangelus Gabriel ipsam, cui inaudita nova prænuntiat, ita reueretur & adorât, vt præclarissimum titulû nunquâ alteri, neq; reginæ nec imperatrici collatû, Beatiss. virgini in signû maximæ reuerentiæ impertiuerit sit. *Ave gratia plena.* Ac si diceret. gaude gratia plena, Quia Deus suæ sapientiæ librû euoluês, nullâ suæ sapientiæ imaginè illustriorem, nec pulchriore creatu-

ram inuenit. *Ave gratia plena.* Supermus artifex varia ac selectissima vasa gratia plena in quacunque mûdi ætate confecit, sed omnia semper nescio quam vacuitatem, tenuerunt, tu sanctiss. Maria plenitudine gratiæ tuæ implesti ac declarâsti, diadema ex proprio sanguine & carne elaboratum vero Salomoni præstitisti. Infortunatum planè ante tuum aduentum jacebat vniuersum, tu pro ipso fortunam omnè attulisti, ideo te gratiâ plenam appello. *Ave gratia plena.* Olim pro libertate populi Iudaici Moyses & Aaron & Maria soror eius laborârunt, sed pro humani generis reparatione Deus & homo & Maria sanctissima patrociniû egerunt, Ideo te tali titulo saluto. *Ave gratia plena. Ecce concipies.* His verbis Archangelus Gabriel consensum Beatiss. Virginis postulat, vt ipsa volente, in suo vtero tota sanctiss. Triades ineffabile mysterium Incarnationis operetur. Res sanè admiratione dignissima, quodd Diuini verbi conceptio, cuius celsitudo & eminentia intellectum supremi spiritus superat, à consensu vnius pauperulæ virginis dependeat. Videtur mihi quodd si Zorobabel, Regis Ciri aulicus, hoc animaduertisset, maiori affectu suam sententiam & iudicium protulisset, quo cæteros prudentiâ & iudicio ac præmio anteveniret. Quadam enim die, cum Imperator parum quiesceret, tres illius famuli inter se
iuxta

iuxta eius cameram concertarunt ac præmia statuerunt, quæ nam esset res fortior in mundo, inter se disceptantes. Primus asseruit, vinum esse fortissimum, cum iudicium hominis & regum euertat. Secundus Regem esse fortiorem affirmavit, cum omnia sub illius potestate constituantur, vita, honor, & res familiaris, & omnia quæ sub cælo sunt. Tertius vero mulierem rege esse fortiorem, veritatem tamen omnia prædicta superare statuit. Et quod femina, Regem in fortitudine excedat, apertè probavit, cum ipsa regem generet, indulsio vestiat, exhilaret, & conuersatione sua ita recreet, vt omnium, etiam proprii parentis obliuiscatur, in gremio illius decumbat, manibus faciem demulcat, ac coronam capitis deponat, si ipsa rideat, aut contristetur, ipse etiam rex mestitiam aut hilaritatem ostendat. Quæ cum proponeret Zorobabel hærebant omnes, & præ admiratione se inuicem intuentes stupebant. Sed si hodie in pauperula Mariæ sanctiss. domo morarentur, & patriæ cælestis aulicum auscultarent, qui ex parte Dei instantè virginis consensum postulat, vt in suo utero totius vniuersi Regem & Dominum concipiat, ac ex propria & purissima carne indulsium mundissimum conficiat, quin & propria Regis corona, vt pote titulo Matris Dei exornari, præ admirationis magnitudine magis hereret, præcipuè cum cernerent ipsam verita-

tem, ex nutu tamen & consensu virginis pendentem, vincere. *Quomodo fiet istud?* Solum detenta fuit Beatiss. virgo, ne statim consensum præberet, quia impossibile esse virginitatem cum maternitate existimabat. Sed quæ alia inter feminas reperiretur, quæ non statim maternitatem Dei acceptaret, etiam non spectata virginitate? Beatiss. tamen & sanctissima virgo tanti suam virginitatem æstimavit, vt non statim in infinitam Matris Dei dignitatem consenserit. Non quidem spreuit & reiecit, sanctissima tamen & honestissima suspitione timida detenta fuit, ne forsitan propter maternitatem inestimabilem virginitatis & integritatis thesaurum amitteret, quare Matris Dei dignitatem non denegavit, petiit tamen qualiter cum virginitate coherere posset. Meritò de Virginitate celebratur Ioseph, cum proprium pallium manibus suæ dominæ apprehensum, eisdem inhaerentem reliquerit, vt integritatem & virginitatem tueretur. Multum etiam præstitit Susanna, cum famam & vitam spernens suam virginitatem viriliter amplexa est: sed hæc omnia integritas & virginitas Beatiss. Mariæ longo intervallo superat, ita enim puritatis dotem æstimavit, vt etiam suprema Matris Dei dignitate spontè oblata, consensum & voluntatem cohibeat, mente interim & cogitatione secum deliberans, an id cum virginitatis iactura ac-

ra ac-

acceptare rationi consonum & honestum sit. Exemplum sanè clarissimum virginibus nostri seculi ante oculos sapius proponendum, quæ absque vlla profus consultatione circa sui status honestatem & excellētiam pro leui precio suam virginitatem prosternūt & venditāt. *Spiritus sanctus superveniet in te. Luc. 1.* Honestissima virginis interrogationi sic acutè occurrit Angelus. *Spiritus sanctus superveniet in te; ac si diceret. Objicis virginitatem, ne dignitatem oblatam acceptes, sed hæc planè est, quæ ad legationis nostræ propositum spectat, imo si virginitatis lilio careres, inepta ad maternitatem Dei existeres. Gloriosus Bernardus notat eleganter pulcherrimam Racchelem sterilem fuisse quousque mariti conuersatione sprete inter albescentia lilia dormierit; Tunc, inquit Bernardus, quia tanti suam integritatem & puritatem aestimavit, filium obtinuit sanctissimum Ioseph, qui omnes suæ sororis filios in pulchritudine & præstantia excelluit. Sic ergò ait Angelus nostræ pulcherrimæ Raccheli. Summopere Deo placet, si lilia albescentia amplectaris omni viri conversatione sprete, sed hæc virginalis integritas dignitatem propositam non impediet, sic Deus circumvallatam liliis; postulat, ideo retenta virginitate, pulcherrimum filium præ filiis hominum obtinebis. Matrem simul & virginem petit, & de vtraque eam*

in canticis canticorum certam reddit charissimus sponsus. *Venter tuus acervus tritici, vallatus liliis. cap. 7.* Duo connectit inter se sponsus, quæ nunquam simul convenire, lilia circumcirca adiacentia acervo tritici, & sic ait ventrem sponsæ esse constitutum. *Venter tuus acervus tritici.* Imprimis asserit esse acervum tritici, ad indicandam fecunditatem veteri sponsæ, quia inter omnia semina fecundius est triticum in seminis multiplicatione, est tamen circumcirca vallatus liliis, in signum excellentis virginitatis & puritatis, cui nulla in mundo asimilari potest. Propheta Esaias, cum ex corde Incarnationem Verbi summopere desideraret, in hæc verba prorupit. *Vtinam dirumperes cælos & descenderes.* Quid ergo propheta sancte? nonne poterit Deus absque cælorum diruptione per penetrationem in hæc terrarum sola descendere? Impediunt ne illum cœlestia corpora, ne suum iter in nostram patriam conficiat? Propheta Esaias ad explicandum suum maximum desiderium circa adventum Messie, prædictâ metaphorâ usus est, qua nos uti solemus familiariter ad aperiendam maximam erga rem aliquam affectionem. *Vtinam hoc fieret, & vitam amitterem. Vtinam dirumperes cælos & descenderes. Esaiâ 64.* O pulcherrima & sanctissima Maria, ita ex tuo consensu vita nostra & reparatio generis humani dependet, ut si per impossibile

P

necef-


necessariū foret virgineum tui vteri
cælū disrumpi, id oñs spiritus Ange-
lici, Patriarchę & prophete, enixè pos-
tularēt, ne tāto bono careret vniuer-
sum, sine tanto tamen detrimento cõ-
sensū præbere poteris; Quia cælestia
corpora nõ adeo incorruptibilia per-
sistūt ex divina penetratione per eos,
atq; virginalis vterus ex Diuini verbi
penetratione, vt ex tuo vtero nostram
humanitatē induat. Salomon sapien-
tissimus inter alia, quę ipsū latebāt,
vnū erat *via aquile in celo*, quę nec sig-
nari nec animaduerti potest. Vbi sic in-
quit Rupert. Cælestis illa, ac regia Ver-
bi Diuini aquila sic vterū virginis pe-
netrauit ac pertransiuit, vt null⁹, etiā
si Salomonē in sapientia superet, sig-
num aliquod aut vestigiū animaduer-
tere possit, quo maternitatem distin-
guat cum nota virginittatis, ita enim
mater est, ac si virgo non existeret, &
ita virginitate micat & splendet, ac si
mater nõ esset. *In splendoribus sanctorū
ex vtero ante luciferū genui te. Psal. 109.*
Alii vertūt. *In splendoribus sanctitatis*
quia nulla beatorū anima ita Deo plea-
na exitit aliquando, atq; virgineus v-
terus in instanti cõceptionis verbi, a-
liā tenebras & obscuritatem in vtero
patiūtur, cum cõcipiunt, sed virgine-
us vterus Marię in splendorib. sanctita-
tis. *Spiritus sanctus superuenit in te. & vir-
tus altissimi obumbrabit tibi. Lu. 1.* Volēs
Angelus virgini sãtisfacere circa ex-
ortū dubiū de maternitate sine iactura
virginitatis, Spiritus Diuini infini-

tam potētiam pro causa reddidit. Pos-
sumus tamen, licet balbutiendo illius
interrogationi satisfacere, Forsitan sic
fiet Beatiss. & purissima Maria, eo mo-
do quo Deus initio mundi primum ho-
minem efformauit, in primis illum om-
nibus suis membris distinxit, dein-
de emortua membra, afflatu diuino ac
vitali viuificauit, & *inspirauit in faciem
eius spiraculū vite. Gen. 2. cap.* Hoc affla-
tu mirabili animam, vitam & sensus,
ac eximiam pulchritudinem hominī
concessit, & liberaliter comunicauit;
sic ergo ex te sola, & ex tuo purissimo
sanguine humana natura integra, ex-
corpore & anima à Deo optimo & ma-
ximo mirā quadem arte extruetur,
quā quidem extructa & elaborata, vni-
uersā Trinitas suā omnipotentia brachium
extendens, non animam, sicut in
prima hominis molitione, sed secun-
dam ex personis Diuinis, tota cælesti
curia admirante, nostræ naturæ per ve-
ram & realem vnionem comunica-
uit, vt sicut ex anima & corpore vna
persona resultat, ita ex verbo & huma-
nitate vna Christi persona coalescat.
Quemadmodum etiam ex vnione ani-
mæ ad corpus, nec anima torpet aut
sordescit, nec corpus in animam con-
uertitur, sed impermixtum ordinem
obseruant: ita Verbum Diuinum nec
vilescit ex humilitate nostræ humani-
tatis, neque ipsa in diuinitatem con-
uertitur; sic Trinitas Deifica materni-
tatem simul cum virginitate copula-
uit. Vel forsitan sic fiet, eo modo, quo
Moabi-

Moabitibus ac Machabæis accidit, cum enim à suis hostibus oppressi essent, ignem sanctuarii, qui semper in templo ardebat, usurpârunt, atq; in profundū & latentem puteū sub aquis absconderunt, vbi colorē aquæ crystallinæ & pellucidæ induit, ita tamen propriam ignis naturam sub crystallinis secreti putei aquis retinuit, vt effusa super sacrificiis aqua, ac si solus ignis foret, omnia deua stabat & cōburebat; sic ergo vniuersum hominum genus, nostrorū hostium incurſibus ita periclitatur, vt ad illius reparationē necessarium prorsus sit, vt ignis sanctuarii, verbum, inquam, Diuinum æterni patris filius se ipsum intra tui vteri penetralia, & secreta abscondat, & sic aqua congelatæ ac crystallinæ formam assumat, humanitatē, inquam, purissimam ac pulcherrimam, ita vt, licet Verbum Diuinum aquæ formā & hominis naturam sibi vniat, ignis tamē naturam non mutabit, sicut & aqua suam naturam conseruauit, humana & diuina natura in eadem verbi persona, sine confusione aut permixtione cōsistentib⁹. Vel sic fiet. Tempore Elisei tanta fontibus amaritudo inerat, vt vix præ amaritudine aquę fontiu degustari possent, ideo illius provinciæ homines ad sanctum virum accurrētes, dulces aquas postularunt, Eliseus vas aliquod novum deportari iussit, in quo nullus unquam liquor contētus fuisset, atq; intra parvū aquę & salis pugillū introrūmitti iussit, deinde vas illud super aquas effudit, quo

facto aquas falsas in dulcissimas & sapidissimas convertit. O regina & misericordiæ mater beatiss. Maria, vniuerso hominum generi compatiaris, neque enim in hoc nostro seculo dulces aquæ reperiuntur, omnia amaritudine plena sunt, peccatis & sceleribus abundant, tu vas illud novum & mundissimum existis, vbi nullus culpæ liquor aliquando latuit, in te sal & aqua conuenient, terra nostræ humanitatis ex tuis purissimis visceribus formata, sal etiam & dulcedo ac cælestis gratia, verbum, inquam, Diuinum, nexu mirabili connectentur, ex quorum ineffabili vnione iam nō aquæ amaræ erunt, sed dulcissimæ ac sapidissimæ præterfluent, iam labores ac molestiæ melle dulcioreserunt, & inimicitia in strictissimum amoris vinculum cōmutabuntur. *Ecce ancilla Domini. Luc. 1.* Perspecto iam & cognito modo, quo sine suæ integritatis detrimento virginitas & maternitas cōuenient, in hæc verba prorupit. *Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorū suorum. Cant. 5. cap.* ac si diceret. Si sine virginitatis & integritatis detrimento ex meis visceribus Verbum Diuinum humanitatem assumet. *Veniat dilectus meus in hortum suum,* Ipsi enim & corpus & animam ab infantia dicaui, *fiat mihi secundum verbum tuum,* ex meo virginali vtero humanitatem efformet, Ignis ille diuinus congelatæ & crystallinæ aquæ formam accipiat, **D E U S & homo per incarnationem**

resultet, ne vniuersum hominum genus hoc vniuersali remedio careat, vt sic omnes mortales in presenti seculo gratia digni reperiantur, & postea gloria in futuro, quam mihi & vobis prestare dignetur Iesus Christus Amen.



Sermo tertius.

PRO SALVTATIONE
Angelica.

ANCTVS Evangelista quatuor præclarissimas & insignes personas in presenti Euangelio introducit, quibus neque in Cælo, neque in terra sublimiores reperiuntur, duæ ad Cælestia palatia spectant, & ex illis originem ducunt, aliæ ad hæc terrarum sola pertinent, & ex mortalium profapia descendunt, nempe Beatiss. Maria, & sanctiss. Ioseph: ex prioribus inferior, nomine superioris loquitur, Archangelus enim Gabriel Spiritus diuini personam gerens suam legationem circa mysterium incarnationis proponit. Ex posterioribus Maria sanctissima, quæ superior est inter omnes creaturas, legationem recipit, & respectu maternitatis diuinæ consensum præbet, vt altissimū mysterium incarnationis executioni maderetur.

De tanto mysterio hodierna luce sum verba facturus, haut, aut vix poterō, nisi adsit mihi gratia spiritus diuini, eam postulemus interuentu Virginis Mariæ, Dicentes Ave Maria &c.

Missus est Angelus Gabriel. Luca 1.

PLATO, quem antiquitas diuinum appellavit, in quodam Dialogo, quem ipse conuiuium amoris nominat, amorem, magnum Deum ac dominum vocat, quia non solum de hominibus, sed de omnipotenti etiam Deo triumphat. Inprimis amor nostrum primum parentem deuicit ac superauit, cum enim peccauit, non ex ignoratia culpæ (vt inquit S. Aug.) cecidit, sed ne contristaret delicias suas; ex amore vxoris, ne ipsam contristaret, peccatum inobedientiae commisit. Quis de Dauide triumphauit, ac illum compulit vt adulteriū committeret? Quis Salomonem decipit, ac in idolatram comutauit? Quis Samsonem Philistæis tradidit, & beluis similem effecit? Quis nisi amor Reginæ, fortissimum Herculemita effeminatum reddidit, vt loco loriceæ & galeæ femineis vestibus ac moribus vteretur? Omnia ista mala ex amore tanquam ex primo fonte originem duxere. Amor etiam ad magna pericula sustinenda, & egregia

falsi-

facinora patrandi nostrum animum excitat. Quid non matres pronutriendis filiis ex eorum amore patiuntur? omnia incommoda pro ipsorum vita conseruanda experiuntur; Imo aliqua ita suos filios dilexerunt, vt pro eis se ipsas interfecerint. Sic Carthaginenses cum ex nouis accepissent proprios filios in bello occubuisse, se in mare conuicentes, & ab aquis suffocata miserè perierunt. Idem Romanis faminis contigisse fertur, cum violenta filiorum mors ipsis innotuit. Valerius Maximus lib. 1. Sux historia refert, quendam Romanum equitem, qui ex sui parentis amore spontem vitam exposuit; cum enim Imperatoris milites ex illius mandato proprium parentem domi quærerent, vt ultimo supplicio plecteretur, nec inuenissent, quia occultè & latentè euaserat, ipse pro parente, ne parens occumberet, vitam amisit. Quæ omnia, licet maximi amoris indicia sint, maiora tamen Deus erga hominem ex amore illius & gessit & demonstrauit, cum propriam personam ipsi univit, vt eo moriente, homo per culpam iam emortuus ad vitam revocaretur. Olim Deus totalem generis humani interuersionem minatus erat; quia homines spiritualem & rationalem vitam negligentes, non spirituales, sed carnales erant, ideo uniuersum genus humanum morti destinauerat, ex nostro tamen amore, ne caro periret, Verbum Diuinum nostram car-

nem strictissimis uinculis sibi univit. Verbum caro factum est, Ioan. 1. vt factum caro pronobis moriens, emortuam carnem uiuificaret. Posset Verbum diuinum ad nostram reparationem Angelicam naturam, humana illustriorem ac nobiliorem assumere, noluit tamen, vt nostram naturam nobilitaret & ad supremam dignitatem eueheret, ac si quis preciosissimum adamantem plumbeo annulo affigeret, vt ex presentia illius illustraretur. Maximum sanè amorem erga hominem ostendit Deus, cum hanc pulcherrimam mundi machinam in sui habitationem extruxit, sed maiorem per incarnationem demonstravit: multa Samson pro sua Dalila in signum amoris prestavit, nunquam tamen suum amorem ei aperte indicavit, vsque dum suam fortitudinem in capillis sitam, illius ingremio quiescens, manifestius demonstravit, tunc Dalila Philistæos vocas, maximum Samsonis amorem erga se predicauit, & capillorum virtutem ac efficaciam prodidit: ex quo ortum fuit, vt Samson extractis oculis tanquam bellua molam circumuolueret. Quis vestrum dubitat, Charissimi auditores, aut saltim ignotat maximum amorem, quo DEVS olim synagogam profecutus est, cum tot mirabilia & prodigia in ipsius favorem patratum fuerit? Inprimis ex dura Ægyptiorum captiuitate liberavit ac aquas diuidens, Pharaonem & ex-

ercitum eius infra spumantis maris vndas sepeliuit; Deinde per mare rubrum suum populum traducens, in deserto Mannâ suauissimo, tanquam pane de Cælo præstito, nutriuit ac sustentauit, aquas etiam dulcissimas de petra eduxit, & pacificam terræ promissionis possessionem concessit: Quæ licet ita forent, nondum tamen Deus suum amorem erga hominē apertè demonstrauerat, ideo communiter Deum vltionum nuncupabant, quia sæpius se rigidum & aultèrum ostendebat. Verum, cum suâ fortitudinem in capillis sitam, in quibus nostræ humanitatis infirmitas demonstratur, suæ Dalilæ aperuit, tunc Diuinus iste Samson pristinæ austeritatis, ac propriæ magnitudinis oblitus, in virginali Mariæ sanctis. vtero, dulcissimo somno sopitus conqueuit, quo effectum fuit, vt Philistæi Diuinum Samsonem per prodicionem opprimentes, non solum illius oculos vittâ ligauerint, sed etiam ad extremum vsque supplicium in patibulum duxerint. Modò Beatis, Maria optimè sanè tanquam altera Dalila exclamare poteris. *Accedite, venite &c.* Iam enim Diuinus Samson suam fortitudinem manifestè indicauit, cernite illum affixum cruci, cuius latus idè lanceâ vulneratum & apertum est, vt per fenestram pectoris, sui cordis secreta, amorem ac benignitatem intueremini, *Apparuit benignitas & humanitas*

Saluatoris nostri DEI. 1. ad Titum 3. Merito ergò Plato amorem, magnum dominum appellauit, cum non solum de hominibus, sed etiam de Deo ita triumphauerit, vt cruci & patibulo affixerit. *Prædicamus Christum crucifixum* (inquit Paulus) *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. 1. Cor. 1.* Iudæi de morte & cruce Christi scandalum sumserunt, gentiles verò, qui prudentiores erant, stultitiam iudicauerunt, illi tamen quibus Deus sua secreta manifestat, hoc opus in infinitum Dei amorem erga hominem reuocant, quod & vniuersa Ecclesia Catholica in symbolo prædicat. *Qui conceptus est de spiritu sancto.* Tota Trinitas mysterium incarnationis effecit. Quomodo ergò hoc opus spiritui sancto attribuitur? Ea planè ratio est; quia spiritus Diuinus essentialiter est amor, & ex amore procedit, idè infiniti amoris opus ad amorem subsistentem reducendum est. *Sic DEVS dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. ioh. 3.* Quod apertius hodiernum Evangelium manifestat. *Missus est Angelus Gabriel &c. Luca, 1.* Mittitur enim Gabriel, qui fortitudinem DEI indicat, tanquam mysterii Incarnationis prænuntius, vt DEVS hac legatione & suam fortitudinem, & maximum amorem erga hominem demonstret, si enim ad rationis &

iusti.

iustitiæ iura attendendū esset, primò ex parte hominis legatio instituen- da foret, cū ille offensor extitisset, vt sic Deum per peccatum offensum placaret, & in eius amicitiam restitueretur: At è contra accidisse cernimus, ipse namque, qui per culpam offensus fuerat, primò amicitiam sollicitat, reconciliatione rogat, illam exoptat & ex corde desiderat. Quod sanctissimū Iob in maximā admirati- onem rapuit, quam his verbis expli- cuit. *Quid est homo, quia magnificas eum? Iob. 7.* Considerauit sanctus Iob hominē tam ex parte corporis, quam ex parte animæ, & nihil in illo ani- maduertens, quod tanto amore dignū foret, dixit. *Quid est homo, &c.* Ex parte corporis limus est, anima verò pec- catorum sentina, dæmonum habita- tio, ac inferni caberna existit. *Quid est homo? &c.* Diuini sanè beneficiis in- gratissimus, & eorum prorsus imme- mor, quare ergò, inquit Iob, *magni- ficas eum? tanti æstimas, quæris, ac o- dientē tanto amore prosequeris? Hoc non nisi ad magnitudinem amoris, quo nostro more loquendi, quasi cæ- cuit, reuocandum est.* Euangelicus Propheta Esaias forsitan hoc in di- uina quadam visione indicauit. *Vidi Dominum sedentem super solum excel- sum & elevatum: & plena erat domus maiestate eius &c. Seraphim stabant super illud: sex ala vni, & sex ala alte- ri: duabus velabant faciem eius, & dua- bus velabant pedes eius, & duabus vola-*

bant. Esa. cap. 6. Quid Spiritus Ange- lici faciem & pedes, ac totum Deum velantes significarunt? hoc planè indicare voluerunt, quòd scilicet ope- ra, quæ à Deo fiunt, vtpotè ex amore procedentia, ita ab illo emanent, ac si nec videret nec adverteret, licet summo consilio & sapientià effecta sint, ita enim admiranda & stupen- da nobis representantur, vt vix al- quid ex eis inuestigare possim; & hoc significabat nebula, quā tota domus impleta erat, *Et domus repleta est fumo.* Admiratiōe dignissimum est, quòd Deus hominem tanto amore profe- quutus fuerit, illum Angelis peculi- ari favore præponens, cū aliàs spiri- tus Angelici nobilitate & præstan- tiā naturæ vniuersum hominum ge- nus antecellant, meritò ergò sanctus Iob admiratus fuit: Sed quid miran- dum est, cū ista ex maxima Dei er- ga hominem dilectione procedant, vbi Deus etiam suam immensam for- titudinem ostendit, cū se ipsum, qui summa fortitudo est, vicerit ac supe- raverit: hinc suam audaciam, vires, ac animum aperuit, vt enim inquit sapiens. *Vir patiens plusquam se- ptem expugnatores urbium.* Olim De- us ciuitates euertendo, suam fortitu- dinem ostentabat, vniuersali inun- datione mundum deleuit, plures ci- uitates combussit, atque alia horribi- lia & stupenda fecit, ita vt homo sic di- cere posset. *Contra foliū quod vento rapi- tur ostendis potentiā tuā? Iob. 13. modo*

tamen

tamen non contra hominem, sed
 contra se ipsum pugnat, ut excessivum
 amorem erga hominem demonstret,
 ideo Gabrielem, qui fortitudinem
 Dei significat, tanquam prænuncium
 incarnationis præmittit, ut suam vim
 & efficaciam, tum in devincendo se
 ipsum ostendat, tum etiam in ope-
 rando mysterium secretissimum in-
 carnationis; præstantissimum enim
 miraculum est, & quod totas naturæ
 vires superat, quod Deus duplicem
 naturam ita distantem tanto fœdere
 coniungat & connectet, ut etiam
 mutuo proprietates sibi communi-
 cent, & in pluribus prædicatis con-
 veniant; Quare in Christo verum est
 dicere, hominem illum cæcos illu-
 minare, mortuos suscitare &c. quæ
 prædicata soli Deo accommodari so-
 lent: De Deo etiam propter unio-
 nem ad humanitatē verè dici potest,
 ipsum mori, defatigari, crucifigi &c.
 Vbi industria Rebeckæ cum suo
 charissimo filio Iacob, ut parentis
 benedictionem præriperet, elucet &
 splendet; Ex utroque enim filio
 mixtum effecit, quod ut præstaret,
 manus Iacob hædinis pellibus obdu-
 xit; ut sic pilosæ apparerent, sicut
 & manus Esau, quas cum atrectâset
 Isaac, dixit. *Vox quidem Iacob, manus
 autem Esau; Gen. 27.* Itaque Rebecca
 in persona Iacob, fratrem primoge-
 nitū effinxit & dissimulavit, ut bene-
 dictionem præriperet: Sic in altissi-
 mo mysterio incarnationis similis a-

lia coniunctio ac unitas in vna per-
 sona reperitur. *Verbum caro factum
 est. Ioan. 1.* Verbum est vox æterni
 Patris, caro vero proprias hominis
 manus continet, & humanitatem
 assumptā indicat; sic ergo homo per
 hanc mirabilem Verbi & propriæ
 carnis unionem, jus ad æternam hæ-
 reditatē acquisiuit; quia tamen ho-
 mo sine industria Rebeckæ nec vocem
 Iacob, aut personam Esau effingere &
 dissimulare poterat, ideo Archange-
 lus Gabriel de Cælo mittitur, ut præ-
 dictam transformationem efficiat.
Ad virginem desponsatam viro. Luca 1.
 Cùm Verbum Diuinum nostram car-
 nem assumere decrevisset, oportuit
 ut ex matre virgine nasceretur, ut
 qui in cælo ex solo patre sine matre
 genitus fuerat, in terra etiam ex ma-
 tre sine patre oriretur, in cælestibus
 palatiis à suo æterno patre natu-
 ram Diuinam accepit, suā verò à ma-
 tre naturam humanam fortitus est,
 quā postea se ipsum pro nostra repa-
 ratione in cruce obtulit. Habuit Be-
 atiss. virgo viduæ continentiam, fr-
 cunditatem matris, ac virginis inte-
 gritatem, hæc sunt tria metallorum
 genera (inquit Hieronymus) quibus
 nostræ vitæ status variantur, ferrum,
 argentum & aurum; ferrum matri-
 monium indicat, argentum viduarū
 statum, aurum vero propter sui præ-
 stantiam, virginitatem demonstrat.
 Sanctus Bernardus per Solem, Lunā
 & Stellæ tres prædictos status mani-
 festa-

nifestavit, inter quos virginitas vt sol splendet ac micat. Sanctus Ambrosius affirmat, matrimonium ad multiplicationem generis humani institutum fuisse, vt mundus iste inferior colonis & habitatoribus impleretur, at virginitas ad implendum cœlestē paradysum instituta est. Petit idem sanctus, quare Deus in creatione vniuersi omnes septimanæ dies benedixeret, non tamen secundum; Et respondet causam huius esse, quia binarius numerus statum matrimonii representat, qui licet Deo non displiceat, non tamen ita placet, sicut Virginitas; ideo præcepit Noë, vt ex imundis animalibus semper duo in arcam introduceret, ex mundis verò vnum tantum introritti imperauit, vt post diluuium extractis imundis animalibus, munda in sacrificium offerrentur, quæ cum obtulisset Noë, ita Deo hoc sacrificium placuit, ac tam suauem odorem excitauit, vt statim dixerit, *Nequaquam maledicam terræ propter hominem. Gen. 8.* Cùm ipsa suauissimum virginitatis odorē exhalet, licet enim in ea animalia reperiantur, quæ simul cohabitent, virgines tamē producit, quæ in terra commorantes, cœlestem quandam vitam ducunt. Pluris æstimanda est hominum virginitas quàm Angelorum, quia in carne, sine carne viuere, naturam Angelorum superat (vt inquit Hieronymus) virginitas enim in nobis virtus est, non tamen in An-

gelis; ideo Deus Baptistam in præcurso-rem sui aduentus misit, ac Angelum appellauit. *Ecce ego mitto Angelum meum Malach. 3.* Nonne posset Deus Angelum aliquem per naturā mittere? quare Angelum, qui tantum ex prærogatiua virginitatis Angelus erat, in prænuncium misit? Ea sanè ratio est, quia Angelus sic ex prærogatiua virginitatis nuncupatus, Angelos per naturam excellit. Misit Deus aliquando Angelum ad Euangelistam Ioannem, quem cùm sanctus Euangelista aspexisset, flexis genibus adorauit, quod nullo modo permisit Angelus, statim eum assurgere rogauit; & nostro iudicio non ob aliam causam, nisi propter excellentiam virginitatis, quæ tanta est, vt homines Angelis adæquet, quin & præponat, ideo noluit ab Euangelista adorari, ac tanta ueneratione coli. Hæc omnia, quæ pro excellentia virginitatis extollenda protulimus, in Beatiss. virgine expressa reperiuntur, fuit enim inter virgines excellentissima, & sponsata Iosepho, vidua etiam post illius mortem extitit, inter omnes mulieres præstantissima, ac toti⁹ mundiciæ speculū, inter omnes fæminas electa, vt Verbum Diuinum ex ea nostram humanitatem assumeret, ideo sine illius consensu mysteriū Incarnationis non fuit perfectum, ad cuius absolutam executionem Angelus in pulcherrimi & splendidissimi adolescētis forma mittitur,

Q

titur,

titur, quemadmodum & conveniebat, ut cum omnium fœminarum pulcherrima puella tantum negotium perageret. Ingreditur ergo Archægelus Gabriel in alterius Angeli cubiculum, quem sic affatus est. *Ave gratia plena. Luca 1.* Quæ verba tantam suavitatem & dulcedinem præ se ferunt, ut existimem ea non ex sola Angeli discretionem, licet prudentissimus foret, orta fuisse, sed etiam peculiariter à Deo emanasse, ut illis Beatiss. Virginem salutaret, licet etiam Angelus virginis Mariæ præstantiam, & illius dignitatem ac præclaros titulos cõsideraverit. Spõsa sui sponsi nominibus ac titulis exornari solet, si ipse Rex existat; ipsa etiam Regina nuncupatur, si ille illustris, illa eodem nomine decorari solet; Angelus ergo supremam ac novam Beatiss. virginis dignitatem considerans, difficilimum planè iudicavit, iuxta suam dignitatẽ nomẽ imponere, quicquid enim de illa creata lingua efferi potest, etiam si magnum videatur, longe inferius est, nec ad ipsius merita pertingere potest: Archangelus ergo sponsi sui titulum usurpans, eodẽ nomine decoravit, Christus enim plenus gratia nuncupatur, ideo Evangelista Ioannes in admirabili quadã visione, ex revelatione diurna nomen accipiens, sic eum appellavit. *Plenum gratia & veritatis. Ioan. 1.* Eodem titulo hodierna die Archangelus Gabriel Beatiss. virginẽ salutavit, ut spõ-

si titulo condecoretur. *Ave gratia plena.* Noster primus parens cum sapientissimus esset, nomina ipsis reb⁹ adæquata iuxta cuiuscunque rei naturam imponebat, & cum ad Evã pervenisset, ei etiã propriũ nomen imponens, *viraginem* appellavit, postea *Evam*, seu quod idem est, mulierẽ nominavit. At Gabriel, licet sapientissimus, ante virginem tamen stupuit, nec nomen aliquod invenire potuit, quod illius maiestati ac præstantiã congrueret; virginem enim sanctiss. intra se considerans, quandam latentem divinitatem contemplantur, licet enim creatura esset, ppter excellentem tamen ac mirandam dignitatem, limites creaturæ superare sibi videbatur, idẽ titulũ, qui puris creaturis attribui solet, ei non accommodavit, sed cœlestem querens, gratia plenã nũcupavit, cum ex illa Verbum Divinum plenum gratiæ & veritatis homo fieri debeat. *Ave gratia plena.* Mariam sanctissimam gratia plenam denunciat Angelus, quia nihil aliud præter gratiam capit; quemadmodum & vas aliquod, cum aquã plenum est, nullum alium liquorem præter aquam capere potest: Sic in Beatissima Matia sola gratia reperiri potest, & non quæcunque, sed ita præstans & excellens, ut coram DEO stare ac comparere possit. *Inuenisti gratiam apud DEVM.* Gratia variis modis usurpari solet in

com-

communi vsu loquendi ; primò pro dono aliquo omninò gratis & liberaliter collato ; Secundò pro bono affectu & voluntate, quâ aliquid fit, vel erga aliquem afficimur, in quo sensu loquutus est Dominus Moyfi, cùm voluit vt suus populus gratiam Ægyptiorum obtineret. *Daboque gratiam populo meo &c. Exod. 3.* O beatissima Maria, quæ omnibus istis modis gratia referta es, præter Christum tu sola gratia plena dici potes. Primò, quia omnia quæ in te reperiuntur, omninò gratis liberalissimâ DEI manu tibi cõcessa sunt, ceteri qui ex primo nostro parente descenderunt, ex DEO & ex se aliquid habent; ex DEO omnia bona, ex se verò solùm peccata participant, peccata enim non à DEO, sed ab homine tanquam à prima causa deriuantur. Ita explicat S. Augustinus illa verba, *sive ipso factum est nihil. Ioan. 1.* Id est, peccatum, quia non à DEO, sed à creatura producitur. Omnia bona, gratia & virtutes, tanquam propriæ DEI diuitiæ, ab iplo tanquam à primo fonte emanârunt, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum. Iacobi 1.* Hinc oritur plenitudo gratiæ Beatissimæ virginis; DEUS enim ab æterno decreuit MARIAM sanctissimam supra omnes creaturas extollere, eam in

propriam matrem eligens, quæ dignitas tanta est, vt omnipotentia Diuina in ea conferenda omnes vires & neruos extenderit: Et ita censet sanctus Thomas, quòd in isto genere non potuit DEVS meliorem matrem efficere, nec maius beneficium mundo conferre, cùm nec præstantiorem filium producere potuerit. Tertio vsupatur gratia apud Theologos pro qualitate quadam, quæ totam naturam superat, à solo DEO producta, per quam eleuatur anima ad quoddam esse supernaturale, ac in filiationem diuinam; anima enim ex filia Adæ, in filiam DEI per gratiam commutatur. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, Ioan. 1.* Non ex carne, sed immediatè ex DEO procreatos. Quemadmodum enim vnusquisque nostrum filius naturalis est sui parentis, à quo per generationem naturam accepit: ita etiam iusti per gratiam diuinæ naturæ consortes effecti, filii DEI sunt, non tenebrarum, sed filii lucis existunt, cùm per gratiam lucis opera diuino splendore nitentia exerceant. Si tam excellens ac præclarum bonum est gratia diuina, ita vt ipsâ condecorati, veri filii DEI nominemur & simus, etiamsi vel minima participetur, ineffabile sanè bonum erit ipsâ abundanter & immensitate quadam impleri ac plenè ipsa potiri.

Q 2

Non

Non sic in ista plenitudine reperta fuit in Baptista, etiamsi in materno utero sanctificatus fuerit, nec in Apostolis, super quos spiritus sanctus descendit, nec etiam in Beato Stephano, de quo decantat Ecclesia; *Stephanus plenus gratia & fortitudine. Actor. 6.* Omnes enim prædicti quantumvis maxima gratia & virtutibus exornati, cum Apostolo dicere potuerunt. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, ad Rom. 7.* cum in illis fuerit colluctatio carnis aduersus spiritum, quæ representata est in sacris litteris, in illa mutua concertatione Iacob & Esau tempore natiuitatis, cum ex utero materno egrediebantur. Sola Beatiss. virgo inter puras creaturas gratia plena dici potest, quæ ab instanti suæ conceptionis, nec tenuem quidem carnis scintillam perfenfit, quia in illa, vt docet Doctor Angelicus, fomes peccati, qui inter carnem & spiritum lites excitat, vsque ad incarnationem ligatus, & quasi mortuus fuit, post incarnationem vero totaliter extinctus. Alii sancti in peculiari aliqua virtute splenduerunt, ideo Ecclesia de illis decantat. *Non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruaret legem excelsi. Eccles. 44.* Quod intelligendum est de certis quibusdam virtutibus, quibus excellentes fuerunt, sed Beatissima virgo in omni virtutum genere excelluit. De gratia Christi dicitur. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*

Ioan. 1. Quia ab illa nos omnes gratia & virtutes mendicamus; Idem dici potest de Beatissima virgine, ab illa enim omnes gratia & virtutes in nos deriuantur, & licet non quoad vniuersalem causationem, saltim quoad vniuersalem impetrationem, cum ipsa sit gratia mediatrix ex speciali Christi voluntate, qui vult vt bona quæ nobis impartitur, mediâ suâ sanctissimâ Matre obtineamus. *collum tuum, Sicut turris David. Cant. 7.* Quem locum explicat sanctus Bernardus ad nostrum propositum, vocatur enim à spiritu diuino *collum*, quia omnia spiritualia bona ex capite Christo, ad nos per ipsam, quæ collum est Ecclesie deriuantur. Christus & Maria sanctiss. inter se conuenerunt, quoad lucrum efficacie nostræ redemptionis ortum ex effectu, quem in fidelibus causat, Christus Redemptor noster suum proprium sanguinem præbuit; Maria sanctiss. lac exhibuit, quo sanguis aleretur & nutriretur. Christus bellum excitauit, ac victoriam contra humani generis hostes reportauit; Maria vero illi equum & arma ad victoriam obtinendam obtulit, vtrique ergo victoria tribuitur, & consequenter lucrum in reparatione nostra spirituali, ad filium & matrem spectat: Igitur in omni prærogatiuarum & virtutum genere singularis est beatiss. Virgo; Ideo Angelus in eius salutatione eam separat ac discernit à cæteris mulieribus, *Benedicta*

dicta tu inter mulieres, Luca 1. Quia est vnica & singularis inter omnes feminas, sicut & filius inter omnes sanctos, Septuaginta concubina &c. Diuinus Salomon aliquas sponfas habuit sibi Charissimas, cum quibus semper conuersabatur, alias non ita familiaritate coniunctas, licet in maiori numero extarent, alias tandem sine numero, non tamen ita sicut ceteras dilexit. Itaque aliqua anima sunt in virtute incipientes, alique proficientes, & alia perfecta. Vna est columba mea, perfecta mea &c. Hæc est Beatissima virgo, quæ vnica est & singularis in omni virtutum genere. Quod aperte demonstratum fuit in illa muliere, quam sole amictam, ac pedibus lunam calcantem aspexit Euangelista Ioannes, vidit enim supra ipsam tres planetas qui illi eminebant, scilicet Martem, Iouem, & Saturnum, infra se inferiores alios planetas cõspexit, Mercurium, Venerem & Lunam. Ita sanctissima Maria (quam illa mulier representabat,) supra se habet tres superiores planetas, tres inquam Diuinas personas, patrem, filiũ & spiritum sanctũ, & infra se tres inferiores, tres videlicet beatorum Hyerarchias; Ideo sanctus Aug. loquens de Beatiss. Virgine, sic ait. *Quidquid est, aut est supra te, aut sub te.* supra ipsam Deus est, infra ipsam quidquid non est Deus. Omnia ergo, quæ in ipsa reperiuntur, singularia sunt, maternitas singularis est, laudes, quæ de ipsa ef-

ferri possunt, singularissimæ; prudentia peculiaris etiam fuit, cum oblata suprema Matris Dei dignitate ex amore castitatis hæsitauerit, ne forsitan id cum detrimento virginitatis fieret. Humilitas tandem in hæroico gradu inea enituit, cum Mater Dei nuncupata, se solum ancillam Domini fateatur. Cum Deus personam pro aliquo munere obeundo inter ceteras eligit, prius in simili officio experientiam capit, ne postea ineptus ad sua præstanda reperiatur; sic Moysen in superandis Ægyptiis expertum, in sui populi ducem destinauit, & Dauidem in munere pastoris versatum, virum fortissimum, qui Vrsu & leonem interfecit, & ex illorum ore prædam extraxit, postea in Israelis ducem ac Regem potentissimum euexit. Exemplum etiam est aptissimum in Eleazaro seruo Abraham, quem sanctus Patriarcha ad Cananæos misit, vt pro suo filio Isaac vxorem quæreret, Eleazarus vero prudenter de tanto negotio cogitans, medium inuenit, quo talem, sicut congruebat, acquirere posset pro Isaac, vt illi inferuaret, & suæ personæ ac familiæ curam gereret; Videns enim virgines ad puteum accurrêtes, vt ex illo aquam haurirent, apud se decreuit illam in vxorem destinare, quæ libentius sibi & suis camelis potum daret. Accidit ergo vt pulcherrima virgo ex puteo aquam extraheret, à qua, cum aquam ad extinguen-

Q 3

guen-

guendam sitim petiisset, non solum pro se, sed etiam pro suis camelis hilariter potum dedit. Eleazarus illius liberalitatem, venustatem ac pulchritudinem admirans, in sponsam pro Isaac accepit, pro comperto habens, Rebeccam, quae tam libenter camelis inserviebat, libentius suo sposo ac familiae ministraturam. Ad nostrum propositum redeuntes, Verbum Diuinum nostram humanitatem assumpsit, ut homines saluos faceret, idem necessarium erat, ut ex materno lacte misericordiam erga peccatores ac pietatem sugeret, quare Gabriel afflatu spiritus Diuini talem quærit, quae easdem affectiones participet. *Paries filium & vocabis &c. Luc. 1.* Beatissima Maria legationi annuens non solum se matrem, sed ancillam fateatur, & ut talis sua obsequia promittit. Tunc Archangelus Gabriel nomine peccatorum, ut matrem & ancillam acceptat, ut sic pro seruis & peccatoribus patrocinium agat, & illorum miseris compatiatur. *Beatif. Maria;* licet purissima & mundissima existas, peccatores iam non spernis, quia si illi non extarent, non foret necessarium, ut in Dei matrem eligereris. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum.* Eodem puncto quo hæc verba protulit, cælestis ros ad virginalia viscera descendit, ubi bonus pastor ouem perditam in se recepit, ac super humeros porta-

uit, ut reficeretur ac pinguis pascua inueniret, in hac vita per gratiam, & in futura per gloriam, ad quam nos perducatur IESUS CHRISTUS MARIÆ filius. Amen.



Sermo Quartus.

PRO SALVTATIONE

Angelica.



I aliquando concionatores facundia & eloquentia indigent, ea sane in presenti solemnitate ipsis necessaria est. cum argumentum huius festiuitatis sit grauissimum, & mysterium altissimum ac profundissimum, & ipse DEVS ad agendum de illis auditores grauissimos postulet. *Propheta Zacharias cap. tertio* sue prophetiae vidit in spiritu Patrem æternum, sic loquentem magno sacerdoti IESU. *Audi IESU sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum me-*

um

um orientem &c. Et inter colloquendum, lapidem mysteriosum quasi digito demonstravit, super quem septem oculi constituti erant, & dixit, *Quia ecce lapis, quem dedi coram IESU: super lapidem unum septem oculi sunt*: ac si diceret, Considerate quæso lapidem istum, quem constitui coram summo sacerdote IESU, qui, cum admirationem maximam inter videntes propter rei novitatem excitaret, subiunxit statim Dominus, *Nolite admirari. Ego calabo sculpturam eius*. Id est, nullus alius unquam artifex, sed ego tam grande artificium perficiam. Hæc fuit visio Zachariæ, modo mysterium inuestigamus. In primis visio relata promissionem demonstrat, quâ Deus suum unigenitum filium mundo promisit, quem orientem appellat; colligitur hæc explicatio ex sanctis patribus, & ex paraphrasi Chaldaea, loco enim orientis, constituit Messiam. Volens ergo Deus de incarnatione sui filii verba facere, magnum sacerdotem IESUM, & alios spiritu prophetico illustratos vocavit, quia non omnes sufficientes auditores sunt ad auscultandum tantum mysterium, & ut melius hoc Sacramentum illorum animis imprimeretur, symbolo quodam diuino declaravit, ante eos lapidem septem oculis distinctum proponens. San-

ctus Gregorius per istos septem oculos Verbum Diuinum, æternam patris sapientiam intelligit, cuius oculis omnia sunt nuda & aperta. Quæ interpretatio non solum in diuinis litteris, sed etiam in prophanis communis est, ut refert sanctus Cyrillus contra Iulianum apostatam; oculus enim semper pro symbolo diuinitatis vsurpatus est. Numerus etiam septenarius, ut affirmat Lyra, propter sui perfectionem, cum nec genitus sit, nec alium numerum generet, diuinitatem indicat, in qua nulla imperfectio reperiri potest, & quia iste numerus Deo consecratus est, sancti illo utebantur olim, ut miracula patrarent. Sic Elias septies misit suum servum tempore siccitatis, ut pluvias expectaret, ac miraculosam aquam prouideret, Eliseo etiam præcepit, ut septies lauaretur in Iordane Naaman Sirus, ut leprâ mundaretur, quibus confessus est septenarium numerum diuinitatem, tot mirabilia operantem, indicare. Deus ergo septem oculos, in quibus diuinitas ostenditur, super lapidem unum constituit, qui humanitatem assumptam manifestat, in quibus unionem duarum naturarum demonstravit, quam ut credibilem reddat, se esse tanti miraculi ac mysterii

aucto-

auctorem confitetur. *Ego celabo sculpturam eius.* Mysterium plane diuinum ac arcanum secretissimum est mysterium incarnationis, cum necessarium sit, vt ipse Deus illud etiam coram sacerdotibus spiritu diuino illustratis explicet. De tam admirando sacramento verba facturus sum, ne explicatio & ponderatio illius, aut ex parte auditorum, vel ex meâ saltem parte desit, vt Deus ipse meâ linguâ loquatur, gratiam spiritus diuini postulemus dicentes. *Aue Maria &c.*

Missus est Angelus Gabriel, Luca 1. cap.

Ingenia nostra, Charissimi auditores, ita ad sciendum propensa & inclinata sunt, vt cœlestia transcendere velint, nec in istis inferioribus quiescant. Nam etiam si omnia creata penetrent, & ad vnguem assequatur, diuinas tamen cogitationes inuestigare appetunt, ac diuinorum operum rationes diligenter exquirunt. Vnde oritur, vt de Incarnatione Verbi Diuini (etiam si articulus fidei sit,) rationem congruentem desiderent. Quorum desiderio, vt curiosæ mentes quiescant, in prima nostræ concionis parte satisfaciam. In secunda historiam incarnationis referam. In tertia tandem huius mysterii utilitates proferam. Quod ad primû attinet

inter varias rationes, quas Theologi referunt, vnâ feligam ex diuino Dionysio de promptam lib. 2 de Diuinis nominibus cap. 4. vbi affirmat, bonû ex propria natura esse comunicatum & diffusivum sui, hoc præcipuè natura boni expetit ac summopere desiderat, vt per sui communicationem omniû animos alliciat, vt commune philosophorum axioma testatur. *Bonum est quod omnia appetunt.* Cuius veritatis exemplum ac umbra in solari luce reperiemus; Sol enim frequenter & liberaliter suæ lucis radios in cælos & in terram diffusit, & vbi que, cum nihil sit, quod à calore solis liberari possit. Quod si hoc in aliquo bonitatis riuulo inuenitur, quid de perenni & inexhausto fonte totius bonitatis censendum est? Deus enim, cum infinitum & immensum bonum sit, illius bonitas in omnia, & ad omnes extenditur, sicut sol statim atque oritur, omnibus luget & splendet. Deus noster (inquit Dionysius) Sol est increatus splendidissime micans, cunctis creaturis suæ infinitæ bonitatis radios communicans. Ex ista ratione colligit Divus Bernardus ineffabile mysterium sanctissimæ Trinitatis; si enim ad naturam boni spectat omnibus comunicari, absque dubio ad essentiam infiniti ac supremi boni, suprema & plena communicatio pertinebit, cum ergo Deus summum & infinitum bonum sit, conuenientissimû est, vt tan-

te bo-

æ bonitati æqualem communicati-
onem designemus, quæ non est alia
nisi naturæ diuinæ tribus Personis,
in quibus eadem numero reperitur.
Eadem virtute æternus Pater suo fi-
lio omnes suæ bonitatis thesauros
communicat, & ex utroq; in eadem
plenitudine, integra substantia & es-
sentia Diuina ad spiritum sanctum
comunicatiõne quadam infinita de-
riuat; sicut enim bonum commu-
nicatũ infinitum est: ita & ipsa com-
municatio immensa & infinita est.
Nec diuinæ bonitatis & amoris ef-
fusio hic cessauit (vt inquit S. Maxi-
mus) *Quia tota Trinitas super substan-
tialis, quæ est amor, dulcedo & desiderium,
non finit se ipsam sine fecunditate
manere, sed potius mouet se ipsam ad faci-
endum & exequendum.* Ideo vniuer-
sum cum omnibus creaturis proprio
ingenio & arte elaborauit, vt non so-
lum ad intra, sed etiam ad extra the-
sauros suæ bonitatis effunderet. Quid
enim aliud sunt creaturæ, nisi infinitæ
bonitatis participationes, quasi
per micæ ad eas deriuatæ, vel riuli
ex immenso diuinitatis pelago ema-
nantes, aut radii ex supremo sole re-
sultantes? Nec solum in vniuersi &
creaturarum productione **DEVS** su-
am bonitatem communicauit, sed
etiam creaturis rationalibus speciale
gratiæ donum contulit, quo filii **DEI**
essent, ac propriam Dei naturam par-
ticiparent. O infinita communica-
tio! Existebatne aliquid in **DEO** an-

te Incarnationem Verbi, quod non
fuerit communicatum? Existebat
planè, ipsa videlicet persona Diuina,
quæ ad intra communicari non po-
terat; quia si æqualiter simul cum na-
tura diuina communicaretur per-
sona, nulla esset distinctio persona-
rum in diuinis, sola vna, & non tres
personæ designandæ foret; idè enim
vna, & non plures naturæ admittun-
tur in mysterio Trinitatis, quia eadè
numero natura communicatur tri-
bus personis; si ergo eadem persona
communicaretur, sola vna constitu-
enda esset in Diuinis, & consequen-
ter periret personarum Trinitas: præ-
ter quã quod repugnat personæ com-
municabilitas alteri personæ, cum ex
proprio conceptu sit incommunicabi-
lis. Quæ cum ita sint, quod medi-
um inueniri poterit, vt immensitas
bonitatis diuinæ quoad personalia
etiam effundatur, vt sic magis eluce-
at, & splendeat increata ac infinita
bonitas Dei? Medium erit, si Perso-
na Diuina creaturis comunicetur,
iam quod creatori communicari non
possit, sic enim fiet, vt Natura Diui-
na in Deo comunicata, si etiam per-
sona hominibus comunicetur, ni-
hil in diuina bonitate persistat, quod
communicatum non sit. O ineffabi-
les ac planè diuinas communica-
tiones! In prima vna & eadem na-
tura in tribus personis reperitur: In
secunda vna persona in duplici na-
tura subsistit: In prima tres amantes

R

& vni-

& unicum amorem inuenies: in secunda duplicem amorem in vnico amante conspicies: In prima tres volentes & vnicam voluntatem reperies: in secunda duplicem voluntatem in vnico volente animaduertes: In prima infinita quædam concordia trium se inuicem amantium vnico & eodem amore reperitur: in secunda verò DEVS quasi extra se ex amore peccatorum egreditur, & quasi alter Samson ex excelsiuo amore Dalilæ, à suis hostibus ligari & comprehendere permittit. Hæc sunt ea, quæ ad mysteriũ incarnationis manifestandum nobis occurrerunt. Quod ad Evangelii historiam attinet, sanctus Euangelista affirmat missum esse Gabrielem Archangelum tanquam mysterii incarnationis prænuncium. In ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth. Hic iam humilitas nostri Salvatoris innotescere incipit, neque enim pro patria Ierosolymam elegit, quæ propter religionem & sumptuosum templum à Salomone erectum celeberrima erat, non Athenas propter doctrinã famosam, neque Troiã quæ propter centum portas quibus exornabatur, nominatissima erat, non Ninive propter suam magnitudinem per totũ orbem proclamata, neque Romam ita illustrem ciuitatem, vt olim ciuitatis nomine non alia nisi Roma intelligeretur, ipsa sola ciuitatis nomen sibi vendicabat. Nullam ex istis ciuitatibus ele-

git in qua nasceretur, sed Nazareth, quæ ita abiecta erat, vt comũni proverbio diceretur, ex ista ciuitate nulum bonũ promanare potuisset. Hanc ergo humilem & abiectam ciuitatem elegit Deus, vt temporaliter in ea nasceretur, quã in spiritu aspexit diuinus. Elatas cum dixit. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* cap. 11. Vbi secundum Hebræã versionem, quam notat S. Hieronymus, sic legitur, *Et Nazareth de radice eius ascendet.* Ex patria in qua nasciturus est, nomen usurpat, vt suo ortu & natalitate illustret, hoc enim viri excellentes & illustres præstant, vt ciuitates, ex quibus oriuntur, aliàs ignotas, celebres & famosas reddant. Sic Alexander Macedoniam illustrauit, Demosthenes Athenas, Daniel & Micheas patriam aliàs ignotam suis nominibus condecorarunt. Tandem Nazareth post mysterium incarnationis in illa celebratum, illustrissimũ nomen per totum orbem sibi comparauit. In ciuitatem Galilææ, cui nomẽ Nazareth. Perpendamus tamen ad quam istius ciuitatis personam mittatur Archangelus. *Ad virginem desponsatam viro &c.* Ad præstantissimam sanã creaturam, Verbi Diuini Matrẽ, Spiritus Diuini sponsam, ac totius sanctissimæ Trinitatis reclinatoriũ. Ad virginem, cuius virtutes & excellentias spiritus sanctus figuris adumbravit, in arca testamenti, in Manna, in Aaronis virga, & in Salomonis

throno

throno descripsit; nec tamen omnem illius præstantiam expressit. Ad virginem, quam Patriarchæ summopere desiderarunt, & cælum ac terra venerantur. Ad virginem, quæ (vt inquit S. Petrus Damianus) sub pedibus tenet quidquid non est Deus, & supra caput quidquid ad Deum spectat. Ad virginem, in qua omnes virtutes, quæ in aliis sanctis sparsim ac diuisim reperiuntur, in gradu quodam heroico, & imensitate quadam continentur. Si celebris ille pictor zeusis, vt pulcherrimam & perfectissimam imaginem in lucem ederet, quinque pulchriores virgines selegit, vt ex vnaqua; quod perfectius erat deduceret, vt sic suam imaginem omnibus numeris absolutam depingeret; potiori iure Deus optimus ac maximus, cum Mariam sanctissimam in suam Matrem destinasset, omnes perfectiones in aliis creaturis distributas in vnâ collegit, ac in Maria reposuit, vt inter omnes creaturas pulcherrima & perfectissima haberetur, atque ita diuinus iste pictor in ipsa Rebecca honestatem constituit, prudentiam Abigail, animum ac fortitudinem Iudith, vrbanitatem Esther, Rachelis pulchritudinem. Sed quid diuisim illius perfectiones enume- ro? nihil enim illi defuit (vt inquit Bernardus) nec fides Patriarcharum, spes Prophetarum, aut Apostolorum zelus vel fiducia martyrum, nec virginum honestas, nec omnium Ange-

lorum puritas, fuit planè locus ac sedes, vbi Deus omnia vasa aurea & argentea ac pretiosa Ecclesia ostentavit. Quod si Deus, filii charissimi, pro sua corporali habitatione talem domum erexit, ac in terris postulauit; qualem quæso pro spiritali habitatione requiret, vt in nobis spiritaliter commoretur? absque dubio purissimam & omnium virtutum genere exornatam. *Ad virginem desponsatam viro.* Ad tantam ac tam præstantem creaturam Gabriel mittitur, vt suam legationem exponat. Et quid continet Archangeli legatio, propter quam de cælo ad terram mittitur? negotium planè maximi ponderis ac momenti, quo nullum grauius esse potest, mysterium scilicet incarnationis, quod nostræ reparationis initium extitit, ideo mittitur cælestis quidam aulicus, qui tantum mysterium Mariæ sanctissimæ denunciet. *Ecce concipies & paries filium.* Non dubito quin Angelus prædicta verba maximo affectu ac animi contentione & veneratione protulerit. Ad cuius ponderationem reuocate in memoriam sanctum Patriarcham Abraham Gen. 24 cum vocauit seruum, vt pro suo filio Isaac vxorem quæreret, non ex Cananæis, sed ex propria prosapia & origine ortam, & ne oppositum faceret, tale iuramentum petiit. *Pone manum sub femore meo, vt adiurem te per Deum Cæli.* Sanctus fulgentius miratur quod sanctus Patriarcha sub femore

iuramentum petat, iuramentum enim nõ nisi super rem sacratam, aram scilicet olim fiebat. Quomodo ergo Abrahamus sub femore iuramentum postulat? estne Abrahami femur aliquid consecratum? Respondet affirmatiuè sanctus Fulgentius; caro enim, ex qua Christus propriam carnem assumere debet, tanquam altare consecratum veneranda est, & in illa tanquam in altari iuramentum fieri potest, quod mysteriũ apertius demõstrat paraphrasis Chaldæa, ubi enim nostra vulgata legit, *vt adiurem te per Deum cæli*, in paraphrasi Chaldæa legitur, *vt adiurem te per Verbum Dei, Dominum Cæli & terræ*, quod ex ista carne propriam carnem assumet. Quis nostrum dñbitat, quin sanctus Patriarcha, cum prædicta verba protulit, præ devotionis dulcedine, ex vtroque lumine tanquam ex duplici fonte crebrò læchrimas profuderit? Et suspicor planè, quoddam famulus statim atque nomen Messie auscultauit ac percepit, quoddam ex illa carne, quã manu tangebatur, æterni Patris Verbum nostram naturam assumere decreuerat, vix præ reuerentia ac timore sacratam illam carnem tangere audebat. Si in umbra mysterii incarnationis hoc accidebat, (vtenim inquit dulcissimus Bernardus) relata historia descensum Gabrielis, ex cælestibus palatiis adumbrabat, vt pro Diuino Isaac sponsam quæreret; quid de veritate mysterii sen-

tiemus? Sine dubio Archægelus Gabriel, cum Mariam sanctissimam aspexit ac considerauit, ex illius carne Verbum Diuinum propriam assumpturum esse, in admirationem raptus, summa reuerentia, respectu, ac tremore sic eam affatus est, *Ecce concipies in vtero &c.* Maria verò sanctissimæ hæc humilitatis verba sagaci, prudenti ac viua fide referta protulit, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quæ verba ad nostram reparationem efficacissima fuerunt, cum in eodem puncto verbum Diuinum nostram naturam assumeret. Duplex fiat inuenitur in sacris litteris, & vtrumque efficacissimum ac mysterijs plenum; primum ex parte Dei, & secundum ex parte Virginis, per primum, hæc pulcherrima mundi machina efformata est, per secundum, restauratum ac reparatum est vniuersum; per primum corpora cælestia à Deo creata sunt, per secundum, Verbum Diuinum eodem puncto afflatu spiritus Diuini ex purissimo Mariae sanctissimæ sanguine nostram humanitatem induit. Miramur & meritò quoddam olim mare turbulentum pro tuendis Israëlitis in duas partes diuisum fuerit, sed hoc parum est, cum per *fiat* Beatissimæ Virginis, immensum Diuinitatis pelagus intra paruum corpusculum compressum fuerit. Miramur etiam, quoddam rubus coram Moyse arderet, nec tamen igne consumeretur, sed mirari desistamus

mus

mus, cūm hodie per illa verba, *fiat mihi &c.* Virgo sine corruptione Deum conceperit. Miramini quoddam virga repente floruerit, sed hoc non tanta admiratione dignum est, cūm per illud, *fiat*, Beatissima Virgo sine virili semine Deum & hominem conceperit. Miramini quoddam Moyses intra vimineam cistam super aquas natet, sed hodiē maiori admiratione dignum est, quoddam Deus immensus & infinitus intra vterum Virginis contineatur. Miramini columnam illam ignis & nubem, quā Deus olim suū populum tuebatur, sed maiorem admirationem excitat, quod per illud *fiat*, ipse ardentissimus diuinitatis ignis propriæ humanitatis nubeculā cooperatus fuerit, vt per huius vitæ montana ac devia itinerantes, incolumes seruet. Miramini, charissimi filii, quoddam vocem Iosue sol detineatur, & exercitus Gedeonis miraculosè victoriam obtineat, hodiē etiam ad vocem vnius Virginis, *fiat mihi &c.* Deus ipse ex paterno sinu descendit, & dæmon ipse deuincitur ac superatur. Miramini etiā quoddam ad horologia Achab, sol suum cursum cohibens per decem lineas retro grediatur; sed maiori admiratione dignum est, quoddam ipse sol iustitiæ per decem lineas retrocedens, ac novem Angelorum choros præter mittens, vltique ad decimam humanitatis lineā deuenit, idē dixit Propheta Dauid. *Ministi eum paulo minus ab*

Angelis: Ps. 8. Miramini tandē aspicientes Eliseum infanti adæquatū & cōmensuratū, sed maiorem admirationem & stuporem excitat, quoddam per illud *fiat* Beatiss. Virginis, ipse Deus immensus ac infinitus parvulo & finito commensuretur, vbi tota plēitudo diuinitatis reperitur corporaliter. Mirandum, sanè est, quoddam supremus omnium creaturarum Dominus ad humilem illorum verborum prolationem. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi &c.* ita humilietur ac deprimatur. Ad cuius ponderationem & explicationē notanda est Philosophia quædam christiana; nullus enim est in mundo vniuerso ita fortis ac potens; qui alteri non subiiciatur. Leo fortissimus est inter omnia animalia, ad aspectum tamen muris timet & conturbatur. Elephans omnia alia animalia in magnitudine excellit, vulpeculam tamen exhorret ac stupet. Aquilam etiam omniū volatiliū reginam, scarabeus deterret & fugat. Vt ergo nihil esset magnum in mūdo, quod alteri aliquo modo nō subiiceretur, summa illa & infinita Dei magnitudo humilitati subiicitur. Tanta est humilitatis vis ac efficacia, vt Deum aliàs inuictum ac omnipotentem, devincat ac subiiciat, licet hoc potius sit vincere, quàm devinci, cūm vera magnitudo & præstantia sita sit in resistendo superbis, & in demissione ac inclinatione erga humiles;

R 3 hoc

hoc igitur illa humilima Mariæ sanctissimæ verba præstiterunt, statim enim atque prolata fuerunt, ita Deus seipsū deiecit ac humiliavit, ut Verbum caro factum fuerit, & nobiscū habitaverit. Iam expectabitis, charissimi auditores, tertiam partem meæ concionis, in qua de incarnationis Domini cę fructibus agere promisi. Ad propositū notandus est celebris locus Osee cap. 2. Vbi ad litteram Deum introducit felicissimo isto gratiæ tēpore, sic alloquētem. *Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem: Et loquar ad cor eius &c.* In primis ait. *Ecce ego lactabo eam*, ac si diceret, cū humanitatē per incarnationē assumeret, tūc Ecclesię nutrice agens, ac mea vbera præbens, *ego lactabo eam*. Utitur Deus prædictis verbis humano more loquendi, quo magistri cum suis discipulis uti consueverunt. eos enī, qui illorū doctrinā didicerunt, proprio lacte ac vberibus nutritos asseverāt. Hoc ergo promittit Deus post humanitatē assumptam. *Ecce ego lactabo eam*. Id est, doctrinā meā instruā, & ex carnalibus ita spirituales homines efficiam, ut qui eos aspexerint, vbera, quæ suxerunt, laudent & extollant. Quis ignorat ex vberibus bonos aut depravatos mores fugi ac deriuari? Tiberius aliquādo inebriari solebat, ebrietatem autem ex nutrice ebria hausit. Caligula Imperator ita sanguinē sitiebat, ut si sanguine cruentatum ensem conspiceret, statim linguā lābebat, quod ex

illius nutrice ortū est, quæ vbera sanguine cōspersa infanti præbuerat. *Ecce ego lactabo eam*, dicit Dominus, hoc est, animę mea vbera præstabo, ut meis moribus imbuatur, ac mihi in omnibus assimiletur, non aliam quā meam doctrinā sapiet. Septuaginta Interpretes sic mysteriosē vertunt prædicta verba. *Ecce ego seducam eam*. Id est, post humanitatem assumptam ego hominem decipiam. Ut mysteriū huius translationis in lucē eruamus, note charissimi antiquā Israelitarum cecitatem; Nam volens Deus in monte cum illis conuersari, & ipsos alloqui, noluerunt ipsum audire, nec eum sustinere poterant, sed rogārent ut eis per Moysen ea quæ vellet, loqueretur, in quo Israelitæ suam insipientiā & cecitatem manifestarunt; cū libentiū hominē quā Deum audire voluerint. Deo ergo ut in propria persona nobiscum ageret, modū excogitavit, quo hominem deciperet, nostrā enim humanitatem induit, ut homo hominem querens, simul etiā Deum inueniret, & cum ipso sua negotia tractaret; optimū exemplum huius inuenimus in quodam animali, cuius naturā & proprietates refert Elianus. Est piscis, qui appellatur sardus, is ita erga capras afficitur, ut si vmbra aut illarum figuram conspiciat, statim exultans, super aquas saltat, & ad maris oras celeriter ac festinato cursu pperat, homines verō odit & execratur, & quā primū intuetur, statim fugit.

fugit, quare astutus piscator caprinis pellibus coopertus ad oram expectat, tunc sardus existimans se ad caprā accurrere, in manus piscatoris incidit. Considerate ergo quod antequā Deus nostram humanitatem assumeret, omnes eum fugiebāt ac sum̄operē timebant, quia cū carnales essent, nō aliud quā carnē diligebant, & spiritum exhorrebant; ideo Deus hac astutiavsus est, carnem nostrā induit, vt per carnem quā homines auidius appetunt eos alliciens, caperet ac deprenderetur, & in se ipsum, qui purus spiritus est, cōuerteret, quam rationem attulit Bernardus ad ostendendum mysterium incarnationis, cū dixit, *Propter hoc Verbum carne vestiri voluit, vt homines, qui nihil nisi carnalia suspirāt, in hac carne diuitias inuenirent.* Quaratione promisit Deus, se decepturū animam post humanitatem assumptā. *Ecce ego seducā eam.* Secundus fructus incarnationis Verbi Diuini ostenditur in sequentibus verbis, & *ducam eam in solitudinem;* id est, à mundana conuersatione & perturbatione retraham, & in solitudinem ducam, vt humana despiciens de diuinis delectetur. Quot millia hominum deserta petierunt, vt soli Deo vacarent, ac spiritualibus diuitiis potirentur, audiamus Prophetā Esaiam hoc accuratè prædicentem. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & titulus Domini iuxta terminum eius cap. 19.* Id est, in die quā Deus factus fuerit ho-

mo, per totum Aegyptum altaria erigentur, & in diuinis cruces extollentur. In alia translatione loco illorum verborum, *Et titulus Domini iuxta terminum eius,* sic legitur; *Et statio iuxta terminum eius.* Id est, homines ad custodiam altarium deputati. Et qui sunt isti, qui ad talem custodiam destinantur? Sanctus Augustinus locum prædictum explicat de sanctis monachis, qui in primitiua Ecclesia in Lidia & Thebaidæ solitudinibus habitabant, vt Arsenii, Antonii, Hylarionis &c. qui orationibus ac vitæ perfectione altare, & Christi Redemptoris nostri crucem defendebant. *Et loquar ad cor eius.* Hic tertius Incarnationis Dominicæ fructus explicatur; Nam post incarnationem suam homini ad cor loquitur, nō sicut olim per Prophetas, sed in propria persona, tanquam amicus facie ad faciem nobiscū conuersatur. O maximum & inauditum beneficium! quem enim antiquis temporibus tam affabiliter ad suam amicitiam admittebat? De solo Moysē in sacris litteris dicitur, quod cum Deo ita familiariter loquebatur, vti amicus suo fidissimo amico loqui solet; non tamen ita manifestè sicut nos, vt colligitur ex translatione septuaginta interpretum, vbi sic habetur. *Ostende mihi te ipsum, vt videam te manifestè.* Quid Moyses postulat inquit Cassianus in libro de incarnatione.

tione Verbi; Fuit ne aliquis, qui ita familiariter Deo loqueretur sicut Moyses? Petit sanè manifestationem Dei secundum carnem, respondet Cassianus; licet enim Moyses ita familiariter cum Deo ageret, non tamen ipsum in carne manifestatū inuitus erat, sicut nos in hoc felicissimo gratiæ tempore intuemur, in quo, vt explicat Paulus, *Deus manifestatus est in carne*. Ideo familiarius hoc gratiæ tempore nobiscum agit. *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco*. His verbis quartus incarnationis fructus aperitur, vinitores enim non Angeli, sed homines hoc tempore gratiæ designantur. Catholica Ecclesia vinea Domini est, & consequenter vinitores eius ex aulicis caelestibus defumendi erant, quod tamen Deus ex amore nostro non permittit. *Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco*. Osee 2. Vult vt ex hominibus & peccatoribus vinitores assumantur, vt nostræ fragilitati ac miserix compatiantur. Angeli beati perfectissimæ creaturæ sunt, & ita peccata detestantur, vt si in potestate illorum situm esset, statim peccatores punirent, & æternis suppliciis deputarent. S. Ioannes Apoc. 19. Angelum aspexit, qui vineæ racemos euellens, omnes in iræ diuinæ torcularat proiecit, quod planè oraculum & figura fuit eorum, quæ in die nouissimo euenient. *Exibunt Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis*.

Marth. 13. Ideo Deus non vult vt Angeli vinitores sint, sed homines infirmi & peccatores, sicut Petrus Apostolus, qui ter Christū negauit, Paulus etiam, qui prius Ecclesiā Dei persecutus fuit, vt sua scelera in memoriam reuocantes, miserix aliorū compatiantur. *Et vallem Achor ad aperendam spem*. Quintus incarnationis fructus prædictis verbis insinuat; per incarnationem enim alitur ac nutritur spes, & animus noster ad superna capescenda erigitur, sicut in valle Achor Israëlitis contigit, cum in terram promissionis pergerent, vallis Achor primus erat per quem filii Israël terram promissionis ingressari erant, in quo pernotus latro Achor lapidatus fuit, & Rex interfectus, ideo filii Israël in isto valle spem suam firmarunt, ac sibi felicissimum iter promiserunt. Baptismus in lege gratiæ ita nostrum animum ad expectandam beatitudinem erigit, sicut & olim vallis Achor Israëlitum animos excitauit, vt tutè terram promissionis obtinerent. Quis enim per baptismum mortuo dæmone, & animā per gratiam roborata, nō sibi gloriam, quæ terra promissionis est, certò promittet? *Et canet ibi iuxta dies iuentutis suæ, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Aegypti*. Osea 2. Hic sextus Dominicæ Incarnationis fructus aperitur. Nā Christiani hostem humani generis virtute incarnationis sepulcrum aspicientes sicut olim Israëlitæ

Pha-


Pharaonem & exercitum eius aquis sepultum aspexerunt, DEVM pro tanto beneficio laudibus extollent, & gratias debitas rependent; potiori sanè iure quàm Israëlita, cum illi solum à potestate Pharaonis liberati fuerint, nos autem à dæmonis tyrannide: illi pro libertate assequenda agnum mactârunt, hîc autem Deus proprium filium morti tradidit, vt nos à dura dæmonis seruitute liberaret: ibi sui populi hoste, aquis maris rubri submersit, hîc autem animi nostri hostes, vitia scilicet & peccata proprio sanguine mactauit. *Et erit in die illo, ait Dominus: vocabit me vir meus: & non vocabit me vltra Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Septimus fructus erit, quòd Dominus de suo populo & Ecclesia ita idolatriam expellet, vt nec nomen quidem alicuius idoli amplius audiatur, ideo ait Dominus. *Et non vocabit me vltra Baalim.* Baalim idoli cuiusdam nomen fuit, licet etiam Dominum significet, idè non vult Deus Baalim appellari, sed vir & spon- sus Ecclesiæ. *Vocabit me vir meus.* Hoc planè maximum beneficiù fuit per incarnationem mûdo collatum, Deus enim alter Iuppiter effectus. suo piissimo adventu idola evertit ac deiecit. *Et percussam cum eis adus in die illa, cum bestia agri, & cum volucre caeli, & cum reptili terræ.* Iste est octavus fructus incarnationis; Deus enim

nostra mortalitate indutus, nobis cum strictam amicitiam contrahet, & tanquam cum fratribus familiariteraget, & licentiam concedet, vt iam cum illo tanquam cum fratre cõuersemur. Hoc mysterium heroico quodam Alexandri factò explicare possumus: Vt enî refert Plutarch⁹, cum magnus monarcha Alexander Darium Persarum Regem deuicisset, animaduertens Persas & Macedones animis disfidere, vt illos conciliaret & ex hostibus amicos faceret, hac arte & industriâ vsus fuit; Nam centum Persarum virgines, centum etiã Macedonibus desponsauit, vt sic Persæ & Macedones consanguinitate inita, non solùm corporibus, sed etiam animis cõuenirent. Nec hoc tãtùm medio vsus est Alexander, vt eorum amicitiam conciliaret, sed etiam proprias vestes confici curauit, vt ex mediã parte Persarum more, ex alia verò Macedonum arte formarentur, vt vestium similitudine & consanguinitate adducti, relicto odio, mutuo amore inflammarentur; Sciebat optimè Alexander, quanta sit similitudinis & conuenientiæ vis ad amicitiam cõciliandam ac fouendam. Quis hoc exemplo diuinæ sapientiæ artem & dispositionem nõ percipit, quã in sua incarnatione ad conciliandam hominum amicitiam vsus est? Cùm enim inter Deum & hominem maximæ inimiciæ forent, vt amicitia perpetuò firmaretur, Verbũ

S

Diui-

Diuinum propriâ diuinitatis substantiâ retenta, suâ personam nostrâ humanitate induit, ac sibi desponsauit, vt more nostro vestes deferens, si propter dissimilitudinem & distantiam naturæ eum diligere nolebamus, modo propter similitudinem naturæ, quâ more hominum indutus est, maximo amore prosequamur. *Et percuti- am cum eis sedus in die illa.* Vltimus tãdem Dominicæ incarnationis fructus est diuina quædam sponsatio per gratiam iustificantem consummatâ. *Et sponsabo te mihi in sempiternum.* Ita Deus hominem diligit, vt nostram naturam in matrimonium duxerit, non quidem ad tempus, vt in aliis matrimoniis contingit, sed in sempiternum; si enim in hac vita desponsationis per fidem viuam & charitatem seruauerimus, postea in patria per gratiam consummatam perpetuò desponsati, æternâ & immensâ gloriâ perfruemur. Ad quam nos perducatur Iesus Christus, Amen.



Sermo Quintus.

PRO SALVTATIONE
Angelica.



INTER alia, quæ præcepit Dominus Moyfi in Exodo arcanis profundissimis plena, præcipuū fuit erectio propitiatorii. *Facies & propitiatorium de*

auro mundissimo &c. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies &c. Vtrunque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est arca. cap. 25. Ad nostrum propositum nota istos duos Cherubim se mutuo, & propitiatorium conspicientes, quæ præ admiratione tanti operis stupentes, frequenter alas cūcutiebant. *Expandentes alas, & operientes oraculum,* quo demonstrabât, quòd in vero propitiatorio Christo Domino, quem hodiè spiritus Diuinus in vtero Mariæ sanctiss. efformat, vbi duæ naturæ, humana scilicet & Diuina indissolubili vinculo connexæ sunt, tanta est difficultas in illo percipiendo, ac in penetrando ea, quæ ad mysterium incarnationis spectant, vt supremi etiâ Cherubim, qui tanto ingenii acumine præditi sunt, vix aliquid consequi aut proferte possint, ideo demisso vultu & capite, ac alas expandentes non verbis, sed silètio & admiratione tantum mysterium celebrârunt; Et forsitan hæc erit causa, quare soli Cherubim propitiatorio adstant, & non alii spiritus Angelici alterius Hierarchiæ, Nã, vt notat Lypoman^o, Cherubim secundum Hæbreos est dictio quædam composita, duas istas continens, *Quasi puer.* Vt ergò indicaretur supremos spiritus Angelicos, quasi pueros & infantes esse, qui non solent de rebus arduis & difficultibus iudicium ferre, in percipiendo & appre-

Et apprehendendo mysterium incarnationis, idem huius, & non alterius Hierarchie Angeli adstant. Quod si dicatis, prædictos Angelos non veros, sed emortuos ac depictos fuisse, & consequenter non mirum si incuentes propitiatorum hererent. Cernite hodiè mentis oculis vnum ex supremis spiritibus Angelicis, Gabrielem, inquam, Archangelum, nõ emortuum, sed vivum, non depictum, sed naturalem, qui à Deo de substantia huius mysterii instructus, ac in prænuntium missus, propositæ tamen sibi de mysterio dominicæ incarnationis difficultati, etiam à scemina *quomodo fiet istud*, nõ satisfecit, sed quasi indecisa quæstione, idem quod depicti, præstitisse videtur, alas enim expandens ad omnipotentiam & infinitatem sapientiæ Diuinæ recurrit. *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Si itaque Gabrieli Archangelo, qui præstantissimo intellectu pollet, ac de mysteriis cælestibus tam benè instructus fuit, hoc accidit, quid mihi in mysterio altissimo explicando eveniet? qui neque ingenio, neque rerum diuinarum notitiâ instructus sum, nisi mihi gratia Spiritus Diuini adsit, hanc interuentu virginis

Marię postulemus, dicentes Ave Maria.

* * *

Missus est Angelus Gabriel, Luca 1.

HODIE, Charissimi filii, summus præpotenque Dominus ex cælestibus palatii nuntium in terram misit, cuius magnitudo tanta est, vt non vno tantum, sed variis nominibus & encomiis Sancti Patres illius præstantiam prædicent. S. Ambrosius simul & sanctus Augustinus sermone 14. de Natiuitate Domini præfidentem & Angelorum præfectum vocant. Ireneus lib. 5. cap. 21. Summi Dei Archangelum & diuinæ incarnationis prædicatorem appellat. S. Gregorius magnus homilia 34. lectionum euangelicarum diuinæ misericordiæ & illius secretorum prænuntium appellat; Andreas Archiepiscopus Hierosolymitanus in sermone à se edito de salutatione Angelica, vnum ex præcipuis spiritibus Angelicis, & inter illos honoratiore vocat. Tandem Damascenus in sermone incarnationis, Angelorū Principem nominat. Et meritò sanè talis à Deo mittitur ad virginem, & ad grauissimum negotium tractandum, quo grauius, nec maioris ponderis ac momenti, nusquam in Cælo & in terra visum, aut auditum est. Beatus Albertus Magnus in huius Euangelii commentariis affirmat, Archangelum

gelum Gabrielem non solum, sed immenso caelestium aulicorum comitatu stipatum fuisse, cum mysterium incarnationis Beatiss. Virgini aperuit. Si enim Angelo Diuini Verbi natiuitatem secundum carnem pauper culis pastoribus annuntiante; *Facta est multitudo caelestis exercitus &c. Luc. 2.* quæ iucundissimis cantionibus Christi natiuitatem celebrabat? potiori sanè iure ad hominum redemptionem, mundi renouationem, ac Verbi Diuini incarnationem annunciandam, & non pastoribus, sed totius perfectionis exemplari, spiritus sancti viridario, caelorum Principissæ, omnium creaturarum imperatrici, ac tandem purissimæ ac sanctissimæ virgini, in matrem Dei electæ ac prædestinatæ, caelestis Paranympus vniuersâ curiâ caelesti comitatus venturus erat. Optima planè Magni Alberti consideratio; Ad historiam tamen Euangelii propiùs accedamus. *Missus est Angelus Gabriel &c. ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Luca 1.* Quid de te proferam virgo sacratissima, mulier fortis, qui caput dæmonis forti ac potenti manu confregisti, diuini Salomonis thronus, arca caelestis manna, ac totius sanctitatis, virtutis & perfectionis summa atque compendium, ne meâ linguâ tuas laudes præclarissimas deturpem? Vtar verbis Prophetæ Ezechie-

lis cap. 44. quæ accuratè tuam excellentiam exprimunt. *Et conuertit me ad viam porta sanctuarii exterioris, quæ respiciebat ad orientem: & erat clausa. Et dixit Dominus ad me. Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam: quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino: per viam porta vestibuli ingredietur, & per viâ eius egredietur.* Visio hæc nominati Prophetæ Ezechielis arcanis profundissimis referta est, ac digna vt sanctorum Patrum interpretationi innitentes, eam aperiamus & enodemus. Quænam est hæc clausa porta, inquit diuinus Ambrosius lib. de instituendis virginibus cap. 1. nisi Beatissima Maria? quæ ideo porta clausa nuncupatur, quia virgo extitit; & ided sanctuarii ianua dicitur, quia ipsa est, per quam caeleste ac diuinum sanctuarium, palatia scilicet caelestia ingredimur: Et hæc est ratio, quare gloriosus Bernardus ad deuotionem sanctissimæ Mariæ omnes fideles excitans, aiebat. In caelesti patria filium sui corporis vulnera Patri Diuino in reconciliationem peccatorum ostendere: Matrem verò sua virginea vbera Filio Diuino proponere; Ideo ad vitam æternam assequendam, primò cum Virgine agendum est, vt ipsa nostræ salutis negotia cum filio pertractet, ac tandem per Filium Patri æterno reconciliemur,

mur, porta ergo est diuini sanctuarii Beatissima virgo. Septuaginta Interpretes sic vertunt prædicta verba. *Porta sanctorum clausa erit.* Et non quæcunque; sed ea quæ orientem respicit: vt enim Sanctus Ambrosius libro 10. Epistolarum explicat, sanctissimi. Maria semper oculos in verum orientem nempe Christum Dominum defixos tenuit, illius magnitudinẽ, ac præstantiã admirans, ac illius virtutes imitata est. Ait vltorius Propheta. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transiet per eam.* Quibus planè verbis, inquit Cyprianus, contra iudæos disputans, aperte docet Propheta perpetuã virginitatem Beatissimæ Mariæ, ita enim mater extitit, vt nunquã virum agnouerit. Sed quid sequẽtia verba indicant, *Princeps ipse sedebit in ea?* Quis iste princeps erit, qui in illa sedebit? in eisdem relatis verbis hoc explicatur. *Ipse sedebit in ea.* illa vox ipse Messiam designat. Ad cuius intelligẽtiam adverte, ita Israëlitas aduentum Christi Domini desiderasse, vt per illam vocem semper humani generis Redemptorem ac Patris æterni filium vni-genitum demonstraverint. Pythagorici ita suũ magistrum Pythagorã diligebat, & in tanto respectu ac estimati-one habebant, vt ipsum tanquã Deum venerarentur, diuinitatẽ etiam illius his verbis indicabant. *Ipse dixit.* Ita Propheta Ezechiel, vt personam Christi nobis demonstraret, eandem

vocem vsurpauit. *Princeps ipse sedebit in ea.* Id est, ille qui à Patriarchis summo desiderio exoptatus est, per Prophetas aũnunciatus, ille, in quem omnium creaturarum oculi intenti sunt, ipse in vtero virginis commoratur. *Vt comedat panem coram Domino;* addit Propheta Ezechiel. Quorum verborum significatio ex aliis Esaiæ colligi poterit, de Christo enĩ loquẽs Propheta Evangelicus, sic ait. *Burum & mel comedet.* Ac si apertius diceret. Messias desideratus cunctis gentibus, verus homo existet, & se verum hominẽ ostentabit, cùm infanti-li cibo vsus fuerit: Ita similiter asserens Æternus Pater, quod Princeps ipse, nempe suus filius vni-genitus in medio illius portæ sedebit, ibi aperte indicatur, quod æterni Patris Verbum, vterum Beatiss. virginis intrabit, vt nostram humanitatem assumat, ac more aliorũ hominum comedet etiam & bibet, vt veram humanitatem demonstret. Tandem diuinus Propheta Ezechiel his verbis suum oraculũ concludit. *Et per viam eius egredietur.* Quibus ostendit Christum Dominum in quantum homo est, eadem viã, quã cæteri homines, in hæc terrarum sola descendisse, licet modus diversus fuerit, vt septuaginta interpretum versio manifestat, quæ sic legit. *Et per viã Bethleẽ egredietur.* Bethleem enim, rem secretam & occultã indicat, quo insinuatur Christum Dominum modo quodam occultissi-

cultissimo, ac planè mirabili nasciturum, quia clausisianuis sine vllò virginalis claustrì purissimæ virginis detrimento nascetur. *Et ingressus Angelus ad eam &c.* In relatis verbis, Evangelium optimam pro virginibus doctrinam insinuat. Sanctus Ambrosius rectè perpendit, quomodo Angelus non in fenestra, aut in plateis Sanctissimam Mariam inuenerit, sed in secretioris suæ domus cubiculo, quia virgines, nisi occultentur & virorum conspectum effugiant, suam virginitatem conservare nequeunt. Sponsa suum charissimum sponsum alloquens, hæc verba ad nostrum propositum confirmandum, accuratissima protulit. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium meorum.* Canticorum cap. 1. In Hebræa versi ne sic legitur. *Ne cooperta incedam post greges sodalium tuorum.* Ad cuius intelligentiam aduerte, quòd apud Hebræos consuetum erat, vt meretrices coopertâ facie incederent, in viis enim prætiosis vestibus exornatæ, & occultato vultu cõparebant, vt sic viatores transeuntes illas meretrices exstimatorent, quòd & Patriarchæ Iudæ contigit, cum Thamar in bivio constitutam cooperta facie intuitus est, vt indicat scriptura, sic dicens, *Quam cum vidisset, suspicatus est meretricem esse, operuerat enim vultum suum.* Genes. cap. 38, Modò intentum

sponsa apertè intelligemus; quare videlicet tam instanter exquirat à suo charissimo sponso, vbi post meridiem quiescat, vt se à solis ardoribus tueatur, ne forsitan eum quærens, & post greges sodalium suorum, hinc inde vagantem ac cooperta facie incedentem, seu quod idem est, meretricem existiment. Itaque vbi nostra vulgata legit, *Ne vagari incipiam*, in Hebræa *meretrix* designatur, quo sanè sacra scriptura apertè demonstrat leues virgines, quæ in fenestris ac plateis cõparent, vel meretrices esse, vel ab illis parùm distare, vt more meretricum suam honestatem prostituant. Cum Deus suū populum ex Ægypto educere volebat, Moysen sic affatus est, *Dices omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa argentea & aurea.* Exod. cap. 11. Doctissimus Lyranus causam diligenter inuestigat, quare viri ab amicis, & fœminæ à solis vicinis vasa argentea & aurea postulare debeant. Et causam huius esse asseuerat; quia fœminæ à solis vicinis ac domesticis cognosci debent. Ad cuius comprobationem adducit illud Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans: in lateribus domus tue,* libro quodâ à se edito, quem gloriæ mundi Cathalogum inscripsit vbi affirmat prædicta verba clausuram fœminarum denotare, in lateribus enim, siue in domus secretiori angulo latere debent. Non
possum

possum non Ægyptiorū legem sum-
moperè extollere, quæ statuebat,
vt fœminæ nudis pedibus incede-
rent, cuius legis intentio erat, vt re-
fert Plutarchus, & hoc sine promul-
gata fuit, ne fœminæ extra domum
exirent, nec plateas perlustrarent,
ided vt domi se saltim præ pudore
continent, nudis pedibus in-
cedere coactæ sunt, ne viros aspi-
cerent, aut ab ipsis viderentur. V-
tinam nostris temporibus lex tam
iusta obseruaretur, etiamsi ex ea-
rum pedibus continuè sanguis ef-
flueret, minora enim damna ex hoc,
quàm ex alio capite orirentur. E-
uangelista igitur in nostro Evan-
gelio Beatissimam virginem inclu-
sam, ac meditationibus diuinis oc-
cupatam ante oculos proponit, vt
nobis constet, longè diuersam à no-
stri sæculi fœminis extitisse, quæ
cum Martha in domesticis negotiis
occupantur, cum Dina verò per pla-
teas vagantur, cum Iepte filia de in-
tegritate amissa lamentantur, & cum
Michol alios irridet ac illudunt,
tandem cum maria sore de Moyfi
murmurant, & cum filiabus Sion
profano cultu, & superbo vestium ap-
paratu exornatæ erecto collo proce-
dunt. At Beatissima virgo in pen-
tralibus suæ domus latebat, ad quam
orantem Angelus ingressus est. Tur-
bata est in sermone eius, & cogitabat
qualis esset ista salutatio. Luca. i. Non
statim Beatissima virgo loquitur,

sed prius secum deliberat, quænam
sit ista salutatio, sciebat optimè pru-
dentissima Maria, quanti apud vir-
gines æstimandum sit silentium, &
qualiter eas taciturnitas decoret, si-
cut vitta coccinea labia tua, & eloqui-
um tuum dulce. Canti. cap. 4. Spon-
sus labia suæ charissimæ sponsæ
vittæ coccinæ comparat, & accu-
ratè sanè; virgines enim capillos
aliquando vittâ colligunt ac ligant,
nè inordinatè & absque composi-
tione deprimantur: Ita sponsa la-
bia sua vittâ comprimere debet, nè
verba aliqua indiscreta proferens,
in eloquia inordinata prolatur.
Et sponsus non cuiusque vittæ la-
bia sponsæ comparat, sed vittæ coc-
cinæ; color iste amoris & chari-
tatis symbolum est. Aliqui inter
homines inueniuntur, qui propri-
am linguam ac labia cingunt, sed
non charitatis & amoris, sed inui-
diæ vittâ illos reticentes, quos exi-
miis laudibus extollere debebant;
Alii pigritiæ zonâ labia sua com-
primunt ac ligant, ne sapientiam
ignorantibus communicent, spon-
sa verò amoris & prudentiæ cocci-
neâ vittâ labia circumcingit, & pru-
denter tacet, cum id necessitas po-
stulat, quo virginibus optimum
documentum proponitur illis præ-
cipuè, quæ profanos libros lectitant,
vt aulico more conuersentur. In li-
bris Iosue legitur, quod cum Acham
auream

auream regulam ad templum Iericho spectantem furatus fuisset, ab vniuerso populo lapidatus fuit. Hebræa trāslatio, & septuaginta Interpretes, vbi nostra vulgata legit auream regulam, ipsi vertunt *auream linguam* eandem interpretationem sequuntur Græci & Origines. Quare ergo tanto supplicio punitur Acham, ac tantā pænā dignus existimatur, cum solum auream linguam furatus fuerit? Meritò sanè propter linguam aureis profanæ eloquentiæ verbis deturpatam lapidibus obrut⁹ fuit; nam priusquam nostra labia laxentur, verba accuratè præmeditanda ac ponderanda sunt; Ideo prudenter dicebat Seneca. *Summa summarum hac est, tardum ad loquendum esse iubeo.* Et doctissimus Gellius sic ait. Sapiens sermones suos examinat, antequam proferantur in oras. Et in Beatissima Virgine clarissimum huius exemplum habemus, quæ salutante Angelo, priusquam aliquod verbum proferret, *Cogitabat qualis esset ista salutatio. Luc. 1.* Verùm cum Angelus suam legationem proponeret, & eam in Matrem vnigeniti filii Dei electam prænunciaret, ipsa non de facto, sed de modo dubitans, sic dixit. *Quomodo fiet istud? &c.* Ac si apertius diceret. Quomodo cum diuinitate stare potest, vt Deus ipse nostrā fragilitate indutus, tanquàm vilissimus vermis in cruce compareat? Quomodo fiet istud, vt in eadē

Verbi Diuini persona duæ naturæ aliās in infinitum distantes conueniant? Quomodo fiet istud: vt in eodem puncto humanum corpus efformetur, & diuinitas nostræ humanitati inseparabiliter vniatur, ac tandem vnio animæ ad corpus per mortem separabilis producat? Quomodo fiet istud, vt persona Verbi Diuini absque vlla humanitatis læsione aut destructione eam assumat, atque ad suprēmę perfectionis fastigium euehat? Quomodo fiet istud, vt in eodem momento corpus animā informatum ac organizatum in lucem prodeat, ac dictū Ieremię verificetur? *Femina circumdabit virum. capite 31.* Quomodo fiet istud: vt in eodem vtero maternitas simul cum integritate cohæreant? Hic acutissimā ingenia, etiam supremorum spirituum vela compriment, ac demum omnes in vniuersum creaturæ suam ignorantiam fatebuntur. In sacris literis refertur, quod cum Propheta Eliseus filium Sunamitis suscitauit; *Ingressus clausit cubiculum super se. 4. Reg. 4.* Clauso autē cubiculo accedens puerum incurauit se, ac puero adæquatè commensuratus, eum ad vitam reuocauit. Quod si à me petatis, qualiter Propheta Eliseus, cum iam prouectę ætatis esset, ita se ipsū coarctare ac cōprimere potuerit, vt vnus pueri extensioni adæquaretur? Nihil aliud vobis respondere potero, nisi quod ingressus clausit ianuam

post

post se, neque permisit vt aliquis tantum miraculum cerneret. Quis vestrum ignorat hoc Elisei factum mysterii Incarnationis ac Verbi Diuini assumptis carnem viuam representationem extitisse? Verbum enim Diuinum infinitum ac immensum, ita se in Incarnatione incuruauit ac exinaniiuit, vt suam immensam magnitudinem infantis formæ æquauerit; hoc sanè motiuo, vt hominem per peccatum emortuum ad nouam vitam reuocaret. Quodd si à me postuletis, quâ ratione suprema Dei Maiestas ac immensâ magnitudo, Deus ipse infinitus, æternus & immortalis, ita se ipsum compresserit, ac coarctauerit, vt hõini finito, passibili & mortali vnitus fuerit, & sic factus homo ad vitam reuocauerit? Nihil aliud respondebo, nisi quod diuinus iste Eliseus suæ sapientiæ januas post se clausit, necrimam aliquã nobis aperuit, quã tantum mysterium cernere possemus, idèd soli fidei illustrationi in huius mysterij investigatione innitendum est, cum illius magister solus Spiritus Diuinus existat: **Et hæc est causa, quare interrogante Beatissima Virgine; Quomodo fiet istud** Gabriel Archangelus ad Spiritus Sancti protectionem, & virtutem altissimi tantùm recurrat. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Diuersis modis sancti Patres hanc obumbrationem virtutis altissimi ex-

plicant, ego verò quæ animo concepti, breuibus aperiam. Imprimis officium vmbrae est, rem quacumq; tege- re ac obscurare, vt in noctis tenebris videre licet. Ait ergò Sanctus Angelus. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Id est, cum mysterium Incarnationis ita latenter, & sub vmbra conficiatur, etiam demones quantumcumq; perspicaci ingenio polleant, non solum huius mysterij modum ignorabunt, sed nec Christi Domini diuinitatem agnoscent, quousque per Apostolos prædicata fuerit: & hoc est, quod Apostolus dicit scribens ad *Ephes. cap. 3. Vt innotescat principibus & potestatibus &c.* Hoc est, demõibus, vt insinuat Cyrillus his verbis. *Paulo predicante Angeli addiscunt.* Secundò, Vmbra nostro visui conformis est, & ipsum acuit ad obiecta percipienda, quia lucem temperat, quæ oculorũ harmoniam lædit; vnde oritur, quodd illi, qui in tenebris sunt, meliùs percipiant ea, quæ à longè in luce cõparent, quàm illi, qui in loco lucido morantur. Ait ergò Angelus. *Virtus altissimi &c.* suprema ac Beatissima Virgo, mysterium tantæ lucis & splendoris, quale est Incarnationis mysterium, tuos oculos habetare ac lædere posset præ lucis magnitudine, si illud investigare velles, Spiritus tamen diuinus obumbrabit tibi, vt tuo intellectu, lumine diuino illustrato, perfectiùs quàm cetera creaturæ tantum sacramentum

T

per-

percipias, & postea Lucam & totam Ecclesiam instruas. Tertio. Umbra æstiuantes refrigerat, idè verno & æstiuo tempore gratam & iucundam umbram appetimus, vt nos à solis ardoribus tueamur: cùm ergò Angelus animaduerteret Beatiss. Virginem, ita ad custodiam virginittatis propensam esse, sic eam alloquitur. *Virtus altissimi obumbrabit tibi. Vt sup.* Id est, tuam carnem suæ protectionis umbrâ ad eam illam seruiabit, vt nullo modo ardor concupiscentiæ eam attingat, aut in aliquo deturpet. Quod Propheta Esaias aperte indicavit, cùm virginis sanctissimæ partû & conceptionem nubium partui, cùm in pluuia resolvuntur, & plantarum productioni comparauit, omnes enim prædictæ productiones, & partus ac conceptiones sine obscenitate aut concupiscentia aliqua fiunt, & ita dixit. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra & germinet saluatorem. cap. 45.* Quarto & vltimo. Umbra imago quædam est corporis illius, à quo causatur, vt in umbra hominis conspicuum est, quæ illum iuxta suum modum effingit ac representat. Angelus ergò interrogationi virginis sanctæ sic occurrit. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Id est, perfectissimam quandam umbram efficiet, cùm Verbi Diuini humanitatem efformarit: licet enim natura humana Christi Domini Deus non sit, inter omnes ta-

men creaturas nulla perfectius diuinitatem exprimet. Cùm Deus hominem creauit, sic effatus est, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1.* Quæ verba aliqui sic vertunt. *Faciamus hominem in umbra nostra.* Postea verò sic explicatur, in quo hæc umbræ ratio sita sit. *Ad imaginem & similitudinem nostram.* Quemadmodum enim umbra corporis imaginem & representationem refert: ita homo diuinitatis imago est. Prima illa diuinitatis umbra, quæ in prima conditione rerum à Deo efformata est, per culpam defædata & deturpata fuit, & ita decreuit Deus, vt intra virginalè vterû alia perfectissima formaretur, quæ Dei perfectiones ac illius omnipotentiam perfectius & expressius manifestaret. Quod & Paulus his verbis indicauit. *Deus qui dixit de tenebris lumè splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei. 2. Cor. 4.* Vbi insinuat miram quædam philosophiâ nostram intentum, vt Dei perfectiones & attributa per hanc umbram manifestet. Vis (inquit Apostolus) Deum agnoscere, vultum ergò & Iesu Christi faciem aspicias, illius humanitatem sanctissimam perpendas. cùm enim profuis inimicis occubuit, amorem & bonitatem diuinam ostentauit, & suum sanguinem pro nostris peccatis profundens, iustitiam diuinam ostendit, qui ergò Deum videre & agnoscere volueris,

in nostrum Saluatorem mentis oculos defigat. *Qui videt me, videt & patrem meum.* Ioan. 14. Interrogationi igitur Beatissimi virginis sic Angelus satisfecit. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi; in tuo purissimo ac sanctissimo vtero Spiritus sanctus umbram sui ipsius perfectissimam efficiet.* Quod ubi Maria sanctis, audiuit, firmâ spe, ardentissimâ caritate, ac profundissimâ obedientiâ dixit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quibus dictis virtus altissimi obumbravit illam, discessit Angelus, & illo puncto Virgo sanctissima Aeterni Patris filium concepit. O mysteria præclarissima ac planè diuina, & omni admiratione dignissima! Quomodo, filii charissimi, in consideratione tantorum beneficiorum non dies ac noctes insumitis? Et ut strictam obligationem, quâ ad tantorum beneficiorum ponderationem tenemini, animaduertatis, beneficium illud, quod S. Angelus Raphael Thobias iuniori contulit, brevibus in memoriam reuocabo, ut vnius ad aliud beneficium comparatione facta, magnitudinem beneficium Incarnationis, cum Verbum Diuinum ex solo amore nostram carnem assumpserit, dignè perpendatis. Cum Thobias iunior in ciuitatem Rages proficisci vellet, ut debitam sibi pecuniam exposceret, in plateam publicam exiuit, ut aliquem pro suo comitatu conduceret: quem cum diligenter quaereret, in iuuenem iam

itineri accinctum ac ad omnia paratissimum inuenit, tandem cum illo conuenit, & secum comitem duxit. Verbis sanè explicari non potest, quot beneficia sanctus Thobias in via, ac in toto itineris progressu ab illo iuvene acceperit; nam sanum & incolumem duxit, ac ditissimū & nouo matrimonio illustratū reduxit; deniq; seniori Thobiae visum restituit. Confecto iam itinere, Senior Thobias sic ait suo filio. *Quid quaeso fili huic sancto viro pro itineris comitatu conferemus? Qui respondit. Nescio quibus beneficia erga nos collata dignè compensare possimus; nam sanū me duxit, & eadem incolumitate reduxit, pecunias exquisiuit, illius causâ sanctissimam feminam in matrimonium duxit, & à demone & faucibus piscis ingentis magnitudinis liberatum, præterea visum tibi restituit, ac in omnibus bonis ditauit; quibus aut qualibus gratitudinis indicium illi persoluemus? Idèd pater mi oro ac obsecro, ut ab ipso postulemus, an mediâ nostrorum bonorum parte contentas esse velit. Hec filius & parens inter se tractabāt, beneficia accepta recognoscentes. At cum Angelus Raphael, qui in itinere comitis personam gesserat, se illis manifestauit dicens, se esse vnum ex septuaginta Spiritibus Angelicis, qui continuè adsunt ante Dominum, ita stupuerūt, tum personæ dignitatem considerantes, tum etiam diuinam bonitatem*

admirantes, vt triū horarū spatio praestupore quasi mortui sine vitalium operationum exercitio haeserint. Itaque beneficia ab Angelo accepta considerantes, de compensatione tractabant, postquam verò Angelum cognouerunt, humi prostrati corda & animos, sacrificii laudum loco obtulerunt. O filii charissimi rogo vos, ac per viscera IESU CHRISTI instanter peto, vt mecum attentè vnū beneficium cum altero, & vnā personam cum alia conferatis. Nonne maius est à draconis infernalis dentibus, quàm ex piscis faucibus liberari? Nonne multò excellentius est, quòd mentis nostræ oculi aperiantur, vt Deum agnoscere possimus, quàm quòd Thobias seniori corporeus visus restituatur? Longè illustrius matrimonium est, quod inter nos & Deum contrahitur, vtpotè in hac vita exordium sumens, in alia perpetuò duraturā, quā illud inter Thobiam & Sarām olim celebratum, quod tandem alterius morte dissolutum fuit. Multò sanè maiora & praestantiora sunt gratiæ & gloriæ bona, quæ nobis Christus Dominus meruit, ac adeptus est, quàm caduca & momentanea, quæ ab Angelo Thobias concessa fuerunt. Si ergo illi sanctissimi viri vix aliquid condignum inueniebant, quo tantorum beneficiorum benefactori satisfacerent, & mediam suorum bonorum partem offerebant, quomodo, filii dilectissimi, interiora nostra

Deo non offerimus? Et si iunior Thobias suo comiti, quem tanquam famulum cōduxerat, omnia obsequia deberi existimavit, quia suæ fortunæ auctorem esse iudicavit; Quare nos omnium rerum auctorem ac supremum molitorem spernimus? voluptates ac alia huius mundi delectamenta sectamur? Si vterque Thobias dignitatem Angeli cognoscentes, à quo tot beneficia accepterant, præ admirationis magnitudine diu prostrati, quasi emortua corpora iacuerunt, quomodo, charissimi filii, spiritus aut vires nostræ non deficient, praestantiam ac magnitudinem personæ considerantes, per quā à dura dæmonis captiuitate, tot perpessis laboribus liberati sumus? Ille fuit Angelus: iste Angelorum Dominus & conditor; Ille vt Thobias benefaceret, aëreum corpus assumpsit, quod confecto iam itinere confestim euauit; iste non corpus aëreum, sed veram naturam humanam ex corpore & anima constantē, quam neque in vita, neque in morte dimisit: Ille sine labore breui temporis decursu Thobias relata beneficia cōtulit; iste triginta trium annorum spatio summos labores, ignominias, crucem, & acerbissimam mortem perpessus, nostram salutem operatus est. Ille, piscis fel vlturpans seniori Thobias visum restituit: iste autē fel hibens, atque propriam sanguinem effundens à peccatis emundauit, & nostræ

nostra ignorantia tenebris illuxit. Quæ cum ita sint, quod à tot malis liberati, & tot ac tantis bonis referri et dicati sumus, & hoc non alijs quàm Dei manibus, quæ olim totum uniuersum condiderunt, licet postea cruci affixæ fuerint, quomodo Redemptoris nostri amore non inflamamur, ac diebus & noctibus tam singulare beneficium non perpendimus? Quomodo tantis beneficiis, ac illorum benefactori ingrati existimus? Ad illius ergo pedes prostrati nostri animi gratitudinem ostendentes, cum Beatissima Virgine dicamus. *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Sic enim nostris cordibus ac animis Deum in hac vita per gratiam, & in alia per gloriam concipimus, quam mihi & vobis præstare dignetur IESVS CHRISTVS, Amen.



Sermo Sextus.

PRO SALVTATIONE
Angelica.



Elebramus, charissimi filij, illam diem felicissimam, in qua Dei nostri & antiquorum Patrum desideria impleta fuerunt, hodiè fortunatissima illa dies illuxit, in qua post paradisi lites antiquas, iam tot elapsis sæculis variis suppliciorum generibus inter mortales vindicatas,

illi duo, qui ita concertabant, Deus nempe & homo, amicabiliter conuenierunt, ac in Mariæ sanctiss. ytero æterno fœdere iuncti sunt. Ibi se inuicem salutârunt, atq; inter se animis, ac voluntate summo amore coherentes, manus porrexerunt, ac vinculo indissolubili & mutuis amplexibus amicitiam firmârunt, qui ita stricti fuerunt, vt Deus indissolubiler factus fuerit homo, & homo Deus, in quo cõsistit admirabile mysterium Incarnationis. De illo in præsentem celebritate acturi sumus, si prius adsit nobis gratia Spiritus Diuini; Dicamus. Ave Maria.

Missus est Angelus Gabriel, Luc. 1.

NOstra Mater Ecclesia hodierna luce Verbi Diuini Incarnationem celebrat, quæ festiuitas omnibus alijs, quæ de Christo in hac vita celebrantur, initium præbuit; Est enim omnium aliarum festiuitatum principium. Nam si Christi nostri Saluatoris natiuitas, & mors inter illius festa & nuptias computantur, ista tamen ex Verbi Diuini Incarnatione originem duxerunt, quare meritò festiuitas omnium festiuitatum Christi Domini, ex quibus suum amorem ostentavit, censeretur debet. Hoc ante humanitatem assumptam variis modis à Deo manifestatum est, Cùm in forma humana nostro primo parenti, ini-

initio mundi locutus est, deinde cum singulis ferme diebus Abrahamum eueniebat, tertio in illa cōtinua brachiorum concertatione, quā per totam noctem cum seruo suo Iacob coluētauit: tandem in aliis diuersis apparitionibus, quibus in specie humana comparuit, apertē demonstrauit, quo desiderio erga hominem teneretur, vt homo factus suam Incarnationem, ac diuinum coniugium cum nostra natura celebraret. Est plāe Incarnatio Verbi Diuini omnium Diuinarum personarum præcipua celebrata ac festum iucundissimum. Imprimis festum est æterni Patris, vbi ipse suam magnitudinē ac potentiā manifestauit, non quidem turres & arces munitissimas euertens, neque muros fortissimos bombardis cōcutiens, aut cælorum rapidissimum uersum cohibens, sicut tempore Iosue accidisse fertur, vel riuos in sanguinem conuertens, spumantis maris vndas diuidens, nec gigantes interficiens, aut leonum vires & audaciam, vt alter Dauid superans. Non sic æterni Patris potentia & immensa magnitudo in hoc Incarnationis mysterio elucet, sed altiori & eminentiori quodam modo manifestatur, cum per illud inferni mētia & Luciferi munitissima fortalitia, ex quibus cruentum bellum hominibus infert, funditū euertantur, non quidem tormentorum materialium vi, sed solo virginis sacratissimæ consensu. Neque eti-

am hic in præstantissimo Incarnationis opere flumina in sanguinem conuersa fuere, quin potius Iustitia Diuina contra homines merito propter culpas indignata, in misericordiæ fluuias conuersa est; idēdē *Deus, qui olim vltionum Dominus vocabatur, psal. 93. modo pater misericordiarum, & Deus totius consolationis nuncupatur. 2. cor. 1.* Neq; omnipotentia Patris in quibuscunq; gigantibus deuincēdis, per hoc mysterium aperitur, sed in hoc præcipuē insinuat, quod Virgo quædam delicatissima ipsum Luciferū, opprobrium totius Israël, non materiali lapide fundā ac manibus proiecto, sed angulari lapide Christo Iesu suis visceribus contento deuicerit, ac illius caput contriuerit & commiuerit. Quæ veritas à principio mundi prænunciata fuit. *Ipsa conteret caput tuū, & tu insidiaberis calcaneo eius. Gen. 3.* Ex Christo enim tantas vires ac robur accepit Beatiss. Virgo, vt soleā tantum calceamentorum luciferi caput & ossa confregerit, Ex quo apertē constat Patrem æternum hic suam magnitudinem ac omnipotentiam manifestasse. Secundō: Incarnatio hæc Diuina non solum Patris, sed etiam Verbi Diuini festiuitas existit, quia in ipsa infinitum sapientiæ diuinæ pelagus aperitur, cum diuina sapientia vnicum ac singulare medium inuenerit, quo homo à suis peccatis redimeretur, & Deo ex toto rigore iustitiæ perfecta satisfactio fieret. *Omnia*

Beatissima Virginis.

151

in sapientia fecisti. Psal. 103. Consideravit Propheta Sanctus calorū & omnium aliarum creaturarū pulchritudinē, & in maximā admirationem raptus, relata verba protulit. *Omnia in sapientia fecisti.* Verum quomodo Deus in creaturarum productione suā sapientiā vsus fuit? Ad huius ponderationem mysterium quoddam diuinum accuratē investigandum est, quare videlicet Deus in prima molitione creaturarū omnes alias creaturas præter hominē, tam incommuni quā in particulari laudauerit. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant vaide bona. Vidit Deus lucē quod esset bona &c. Gen. 1.* Quare ergo pulcherrimam hominis creaturam non extulit? Nonne ad DEI imaginem & similitudinem effecta expressiori modo quā in aliæ creaturæ Dei bonitatem repræsentat? quomodo illius laudes præterit? Vt hoc mysterium aperiamus, reuocandū est in memoriam id quod insignis ille pictor Apelles in efformandis imaginibus obseruabat, cum enim imaginem aliquam depingeret, hac postea subscriptione notabat. *Apelles faciebat.* Quā indicabat, eam imaginem non ita perfectē depictam fuisse, quin alia perfectior delineari posset. Accidit tamen vt quadam die pulcherrimam Mineruæ imaginem, omnibus suis numeris absolutam depinxerit, cui suo iudicio nihil deerat ex his, quæ ad artis perfectionem spectant, & eam hac sub-

scriptiōe notauit. *Apelles fecit; Quo modo loquendi imaginis à se depictæ absolutam perfectionem, cui nihil superaddi posset, ostendit.* Sic ergo pictor ille diuinus omnes creaturas à se perfectē productas conspiciens, cum nihil illis deesse animaduerneret, laudibus extulit: omnes enim diuinis oculis placuerunt, hominem tamen, etiamsi ad imaginem Dei pulcherrimē efformatum, non laudavit, quia pulcherrimi quidam colores ac lineæ præstantissimæ deerant, quibus humana natura mirum in modum extollenda & exornanda erat, personalitas nempe Diuina & hypostatica vniō; idē in prima rerum productione, non ita diuinis oculis placuit, licet enim homo bonus esset, & in gratia constitutus, cōparatiuē tamen ad ea, quæ superuentura erant, imperfecta quædam imago videbatur. At postquam Verbum Diuinum nostram naturam assumpsit, non per irrisionem, sed secundum veritatem, à sanctis. Trinitate dici potest. *Eccē Adam quasi vnus ex nobis factus est. Genes. cap. 3.* Verbum enim Diuinum, quod vna ex sanctis. Trinitatis personis existit, factum fuit homo, & homo Deus, tunc Beatissima Virgo Dei nomine hanc pulcherrimā hominis creaturam, ea subscriptione notauit, quā maxima illi perfectio indicaretur. *Fecit potentiam in brachio suo. Luc. 1.*
Opti-

Optimè ergo Propheta David diuina opera, & præcipuè mysterium incarnationis, quod est inter illa præstantissimum, in sapientia erecta fuisse asseuerat. *Omnia in sapientia fecisti vt sup.* Et ideo incarnationis mysterium festiuitas quædam est Verbi Diuini, cui peculiariter attribuitur. Est etiam peculiaris spiritus sancti festiuitas, quia modò post Verbi Diuini incarnationem aditus conspicuè patet, vt spiritus sancti dona omnibus creaturis comunicentur ac manifestentur. Ante huius mysterii celebrationem prædicta dona compressa quasi & detenta erant, ita vt difficulter ad nos deriuari possent, ad eum fermè modum, quo, si in medio fluminis murus extrueretur, aquæ ulterius progredi non possent, sed ibi detinerentur, quovsq; impedimentum de medio tolleretur: Ita igitur considerandum est, quòd nostra peccata tanquam validissimus murus misericordiam diuinam, Dei auxilia ac spiritus sancti dona impediabant, ne ad nos ex cælesti patria descenderent, vt ipse Spiritus Sanctus per Elaiam testatur. *Iniquitates vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Cap. 59.* At postquam Verbum Diuinum ex purissimis; Mariæ Sanctiss, visceribus nostram humanitatem assumpsit, omnia impedimenta ablata fuerunt, & peccatorum murus demolitus ac de vastatus fuit, vt mediâ assupta humanitate, per quam omnia bona di-

uina ad nos deriuantur, dona ac charismata diuina sine vilo impedimento comunicentur. Quæ omnia indicat Apostolus Paulus his verbis. *Qui fecit vtraq; vnū, & medium parietem soluens, inimicitias in carne sua, vt duos cõdat in semetipso. Eph. 2.* Modò ergo peccati viribus destructis, quibus dona diuina detinebantur. *Fluminis impetus latificat civitatē Dei; ps. 45.* idèd incarnatio Verbi Diuini peculiariter quodã titulo censenda est Spiritus Sancti festiuitas, & non solum illius, sed Patris æterni, ac Verbi Diuini, & consequenter totius sanctissimæ Trinitatis, quod accuratè perstrinxit Propheta David, sic dicens. *Accedit homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. psal. 63.* Ac si apertius diceret. Natura nostra humana ad cor altum, id est, Verbum; Diuinum per substantialem vnionem accedit, & exaltabitur Deus; Et congruè sanè per cor Verbum Diuinum indicatur; Nam sicut cor in medio animalis corpore situm est: ita Verbum Diuinum inter Patrem & Spiritum Sanctum medium locum sibi vendicat. Dicit ergò Propheta sanctus. *Cum nostra natura ad cor altum, id est, Verbum Diuinum accesserit. Exaltabitur Deus. vt sup.* Hoc est, magnificabitur Deus & illius magnitudo supra modum extolletur, quia Omnipotentia Patris, & Sapientia filij, ac auxilia & Spiritus Sancti dona splendidissimè micabunt. Neque

quæ solùm Diuinarum personarum
festiuitas est, sed etiam Angelorum,
quia eorum ciuitas, in qua conditi
fuerunt, nempe palatia cælestia, pro-
pter dæmonis superbiam fermè de-
solata fuit, illius muri ita demoliti
& omnia ita deuastata fuerunt, vt ad
horum reædificationem Angeli bo-
ni, qui remanserunt non sufficerent,
ided necessarium fuit, vt ad illius ci-
uitatis nouam structuram; homines
pro colonis assumerentur, qui iam
Angelorū conciuēs, & domestici Dei
existunt. Hoc Propheta Dauid post
suorum peccatorum detestationē ac
dolorem cōtinuis lachrymis & suspi-
riis indicans, sic aiebat. *Benigne fac
in bona voluntate tua syon, vt adificen-
tur muri Hierusalem Psal. 50.* quibus
verbis mysteriū incarnationis à Deo
postulauit, vt Angeli etiam hac festi-
uitate potirentur propter Cælestis
Hierusalem nouam reparationem,
& quia nulla iustorum merita tan-
tum mysterium obtinere poterant,
ided dicit *Benigne fac Domine in bona
voluntate tua syon, vt adificentur mu-
ri Hierusalem.* Quia hæc noua re-
stauratio non Iustorum meritis, sed
ex diuina benignitate efficienda
est, quod etiam insinuauit Paulus ad
Titum *Apparuit benignitas & huma-
nitas saluatoris nostri Dei &c. cap. 3.* Et
Sanctus Ioannes hanc nouam cæ-
lestis patriæ reparationem apertè in-
dicauit in suis reuelationibus, cū
ait, se nouū cælum intuitum fuisse.

Vidicalum novum &c. Apoc. 21. Id est
renouatū & restauratum; quia cū
antea superbiā luciferi & Angelo-
rum qui ceciderunt, fermè destru-
ctum fuisset, & deinde Verbi Diuini
incarnatione nouiter recuperatum,
& ad antiquum splendorem redactū,
ided dicit se nouum cælum sanguine
agni reædificatum aspexisse. Nonne
posset Deus cælestis patriæ ruinas,
naturam Angelicam assumens re-
parare? Quare nostram ad illius re-
stauracionem sibi vniuit? Potuit sa-
nè Verbum Diuinum naturam An-
gelicam assumere, sed noluit, nec suę
iustitię conueniebat, vt naturam An-
gelicam, & non humanam repararet,
cuius, licet plures rationes adducere
possem, vnā tantum proferam, quę
vestro captui accomdata erit, Ange-
lus enim cū peccauit, non ex fragi-
litate naturæ, aut deceptus, sed ex so-
la nequitia suū cōditorem offendit;
homo verò à dæmone persuasus ac
deceptus fuit, & consequenter illius
peccatum aliquo modo ex ignoran-
tia originem duxit, ided si peccatum
aliquod condonandum erat, magis
iustitiæ diuinæ congruebat, vt pec-
catum ex ignorantia & deceptione
ortum, remitteretur. Vobiscū loquor
Charissimi filii, & pervicera mise-
ricordiæ Dei nostri instanter rogo,
vt diligenter vestram salutem opere-
mini, neq; enim in Dianæ syluis aut
Ægypti solitudine versamini, sed in-
ter Catholicos, vbi toties ea, quæ ad

V

vestram

vestram salutem necessaria sunt, prædicantur, & vitia reprehenduntur, nullus ex horum ignorantia coram Deo excusari potest, vestra ergo peccata potius ex malitia & mera iniquitate, quàm ex deceptione oriuntur, & consequenter Angelorū potius, quæ irremissibilia fuerūt, quàm hominū peccata propius accedunt, *Voluntarie enim nobis peccantibus, post acceptā notitiam veritatis, iam non relinquuntur hostia pro peccato. Heb. 10.* Cū ergo primi Angeli peccatum ex sola pertinacia voluntatis ortum fuerit, magis diuinæ æquitati congruebat, vt hominis peccatū, vtpote persuasione, precibus ac ignorantia causatum, liberaliter remitteretur, quàm Angelorum. Et ita hæc Incarnationis celebritas Angelorum etiam festiuitas fuit, cū ad restaurationem supernarum sedium pro locis destinati fuerint. Quare si hæc solemnitas spiritibus Angelicis peculiari ratione competat, iustum ac conueniens planè fuit, vt vnus ex præcipuis aulae cœlestis in tanti mysterii prænuncium in hæc terrarum sola descenderet, *Missus est Angelus Gabriel &c. Luca 1.* Nostræ etiam naturæ iucundissima festiuitas est ineffabile Incarnationis mysterium; quia ex vniōe ad Verbum Diuinum ad supremā dignitatē euecta est, cū in eadē persona Verbi Diuini indissolubili vinculo subsistat eadem subsistentiā & existentia, quā verbum subsistit

& existit; illa ergo natura, quæ antea despecta & abiecta erat, cui Deus olim per irrisionem sic loquutus est. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* Modò verò non per ironiam, sed verè illi dici potest. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est:* natura enim humana, quæ antea Angelis inferior erat, vt Propheta David asseruit. *Minuisti eū paulò minùs ab Angelis Psal. 8.* modò tanquam superior ipsis dominari potest, imò eis tanquam seruis ac ministris vti. Attendatis quæso, charissimi auditores, & prædicta ex factis litteris apertè confirmata perspicietis, Sanctus Propheta Esaias 6, cap. suæ prophetiæ, Deum intuitus est excelsæ gloriæ ac maiestatis throno insidentem, *Vidi Dominum sedentem super solum excelsum & eleuatum:* & plena erat domus à maiestate eius: & ea qua sub ipso erant replebant templum. *Seraphim stabant super illud: Sex ala vni, & sex ala alteri: & duabus velabant faciem eius, & duabus volabant.* Hic iuxta communem sanctorū Patrum intelligentiam diuinitas & humanitas Verbi Diuini, ac simul mysterium Incarnationis Esaiæ demonstratū fuit: quia per Dei faciē, quam Seraphim operiebant, diuinitas intelligitur, per pedes autem illius humanitas interpretanda est. Quid igitur Seraphim super thronum Diuinæ ai Maiestatis constituti manifestabant? Nihil aliud nisi mysterium paulò antè insinuatū, indicant enim

nim se nostræ humanitatis seruos ac ministros esse, quod hoc exemplo intelligetis. Cùm aliquis præclarus Dominus per scalæ gradus descendit, illi, qui à tergo famulantur, etiam si altiozem scalæ locum obtineant, famuli tamen & illius serui existunt: Sic ergò Verbum Diuinum, cui vtraque natura vnita est, ex throno Diuinæ Maiestatis ad aulã virginalẽ Mariæ sanctiss. per Patriarchas, Reges, Prophetas &c. descendens, ac Angelis, tâquam ministris comitatum, qui illi inseruiunt, concipere debetis. *Seraphim stabant super illud.* Idem spiritus Angelici superiorem locum seruabant, non quidem in superioritatis, sed in famulatus & ministerii signum. O maxima hominis excellentia! Odignitas inaudita! cui Angeli tanquam ministri ac serui famulantur. Meritò ergò affirmari potest, Verbi Diuini Incarnationem solemnitatem ac festiuitatem iucundissimam nostræ humanitatis extitisse, cùm ex illa ad tam præstantissimum **E S S E**, quale est diuinum, ascenderit, ac post se tanquam famulos & seruos, supremos spiritus Angelicos reliquerit, quin & illius consensu tantũ mysterium ad vltimam perfectionem, Archangelo Gabriele prænuncio deductum fuerit. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundũ verbum tuum. Luc. 1.* Fuit etiam Beatiss. Mariæ festum solemnissimum, quia in Verbi Diuini Incarnatione, cœlestibus donis ac di-

uitiis impleta fuit. Licet enim in sua conceptione gratiã sanctificationis iuxta mensuram suarum dignitatum pulcherrimè decorata fuerit, vtpotè quæ mater Dei, Æterni Patris filia, & Spiritus Diuini sponsa futura erat: valdè tamen credibile est & ferè certum, quòd in sui filii ineffabili Incarnatione, maiora & abundantiora gratiæ beneficia liberaliter accepit, neq; enim absque mysterio Archangelus Beatissimæ Virgini dixit. *Spiritus sanctus superueniet in te. Luc. 1.* Ac si apertiùs illi diceret. Ante Incarnationẽ spiritus sanctus per gratiã & dona supernaturalia tâ in cõceptione, quàm in tua miraculosa natiuitate, quã ex matre sterili genita es, in te descendit; tum etiã in tua sanctif. præsentatione, ac demũ in vniuerso vitæ decursu, quo peculiarib⁹ gratiis, priuilegiis ac favoribus decorata fuisti, sed hæc omnia simplici quasi Spiritus Diuini aduentu effecta fuerunt, modò verò *Spiritus sanctus superueniet in te.* Id est, non tantũ adueniet sicut antea, sed etiam ad modum inundationis superueniet. Quia Nilus ille diuinus in septem flumina, nempe in septem Spiritus Sancti dona diuisus, in te superueniens, gratiæ suæ perlucidas ac crySTALLINAS aquas inundatione quadam mirabili in tuam sanctissimam animã diffundet, idè te tanquam omnium nostram Reginam, ac supremam Imperatricem adoro, ac veneror, & de suprema ma-

tris Dei dignitate gratulor; consensum ergo circa mysterium Incarnationis præbeas, vniuersa enim curia cœlestis & omnes creaturæ expectât, vt tandem tua & sanctissimæ Trinitatis, & omnium creaturarum festiuitas ad reparationem tam hominû, quàm Angelorum celebretur. Tandem Incarnatio Verbi Diuini celebris omnium creaturarum festiuitas existit, quia omnes creaturæ per hoc mysterium aliquo modo reparatæ & redemptæ fuerunt. Homo enim compendiu quoddam est omnium creaturarum, in quo earum perfectiones continentur, ideo aliqui, mundi miraculum appellârunt, seu microcosmos, quod breuem mundum significat. Non raro contingere solet, vt re-creationis gratiâ viridarum aliquod omni florum genere pulcherrimè variatum ingredients, vbi hîc viola, ibi gariophilati flores, alibi rosæ & albescentia lilia reperiuntur, ex illis omnibus fasciculum conficiatis, qui odore ex floribus enato omnium animos delectat ac recreat; sic ergo Deus in prima rerum omnium creatione, hoc vniuersum tanquam iucundissimum recreationis hortum molitus est, quem variis creaturarum generibus, tanquam pulcherrimis floribus distinxit. Hîc naturam Angelicam sine discursu intelligentem, ibi rationalem per discursum ratiocinantem, alibi corpora cœlestia summo ingenio & artificio elaborata in-

uenies; præterea ex omnibus his creaturis hortulanus ille diuinus in productione hominis elegantissimum fasciculû confecit, in homine enim aliarum creaturarum perfectiones deposuit. Nam cum Angelis intelligit, cum animalibus vitâ sensitiuâ præditus est, cum plantis & arboribus cœlestibus & aliis inanimatis corporeâ mole viget; quare eò ipso quod humana nostra natura in hoc mysterio reparatur, aliæ etiam creaturæ aliquo modo restaurantur, & ad supremam dignitatem euehantur, *Homo quippè est omnis creatura, inquit Gregorius.* Præterea manifestum est omnes creaturas Verbi Diuini Incarnatione nouo modo illustrari & condecorari: ipsa ad completam & adæquatam vniuersi perfectionem necessaria erat, sine qua novus essendi modus illi deesset, & consequenter maximum decus & ornamentum vniuersi. Ad cuius expositionem pendendû est, quod intra humanam naturam vnus ex illius linea, nempe noster primus parens, sine patre ac matre ex immediata Dei productione ortus fuit; Eva verò sine matre ex costa Adæ producta, ceteri ex patre ac matre procreantur: Ad perfectionem tamen vniuersi alius quartus essendi modus desiderabatur, vt scilicet aliquis ad nostrâ profapiam spectans, ex matre & sine patre generaretur, & hoc in ineffabili Incarnati-

onis

onis mysterio effectum est; humanitas enim nostri Saluatoris, licet ex purissimo Mariæ sanctissime sanguine efformata fuerit, non tamen ex virili semine, sed mistico spiramine procreata fuit. Ex hoc ergo mirabili ac planè diuino Sacramento perfecta & sublimata humana natura, omnes aliæ creaturæ perficiuntur & miro modo condecorantur. Alium etiam modum inuenio, quo nostra natura cõdecorata est, & consequenter totum etiam vniuersum: substantia enim connaturaliter non est sine propria subsistentia, per illam sibi & non alteri innititur, accidens verò non sibi, sed alteri inhæret, idè accidentiã in Sacramento Eucharistiæ supernaturaliter ac miraculosè existit, cùm connaturalis modus existendi per vnionem & inhæsiõnem ad subiectum illis desit; congruebat ergò vt etiam diuina bonitas, cum substantia quoad connaturalem subsistendi modum dispensaret, nè in se, sed in diuina Verbi persona subsisteret, vt diuina subsistentiã exornata, non solum ipsa, sed vniuersæ creaturæ inæstimabili quadã dignitate ad supremum honoris fastigiũ eueherentur. Vnde colligitur ineffabile mysterium Incarnationis non solum festiuitatem esse totius Trinitatis, Angelorum, Beatiss. Virginis, & nostræ humanitatis, sed etiam totius vniuersi. Omnes igitur creaturæ omnipotens ac piissime Deus tuam benignitatẽ

& misericordiam extollant, cùm illis omnibus tam supremum beneficium contuleris, Cherubim ac Seraphim, & omnes spiritus Angelici incessanter maximas & immortales gratias agant; corpora etiam celestia vniformi & continuo motu, Sol & Luna ac ceteri planetæ diuino splendore micantes, tuum sanctissimum nomen laudent ac benedicant. Aquæ etiam quæ super cælos sunt, & cætera elementa, nubes, & aurora matutina, cùm suæ lucis radios in totum vniuersum diffundit. Omnia tãdem animalia, etiam illa, quæ in obscurissimis cauernis latitant, & auiculæ garritu suauissimo concinentes, ac aëra concrepantes, pro tanto beneficio debita obsequia præstent, & infinitas gratias reddant. Et vos charissimi filii, pro quibus specialiter tantum mysterium celebratum est, animorum gratitudinem, vestræ vitæ ac morum reformatione, prompto ac hilari animo ostendatis, vt sic Deus alia beneficia ad vestram salutem pertinentia concedat, in hac vita gratiã concedens, & in futura gloriam,

quam mihi & vobis præstare dignetur IESUS
CHRISTUS,
Amen.

* * * *
* * * *
* * * *



DE VISITATIONE BEA- TISSIMAE MARIAE VIRGINIS.

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.



CELEBRAT Ecclesia Catholica in praesenti solemnitate illa die iucundissimā, in qua Beatissimi. Mariae spiritu sancto concepta, visitavit Elisabeth; quā primū enim ab Angelo salutata fuit, alium Angelum salutare voluit. Gabrielis salutatione Deus, qui purus spiritus est, nostrā carnem & mortalitatem induit; hac verò Ioannes carne spoliatur, & nouo spiritu induitur. Illa Spiritus Diuini B. virginē virginitate etiam persistente, matrem facūdiissimā effecit; hāc afflatu spiritus sancti mater sterilis, & iam senio cōfecta, vires, vt pareret, diuinitus accepit. Quare certa quadā limitatione dici potest, conceptionē S. Ioannis factam fuisse ex spiritu sancto, cum parentes ad generationem ineptos, ipse Spiritus Diuinus habiles & idoneos reddiderit: Illā author gratiā in hac terrarum sola descendit, hodiē hac salutatione gratia di-

uiditur, & Baptistae primò cōmunicatur. Cū ergo ad aliquid dignè preferendū in tanta festiuitate gratiā diuinā indigeamus, à Beatif. virgine eā postulemus, quae nobis etiam affluenter distribuet dicentes *Aue Maria.*

*Exurgens Maria abiit
in montana cum festina-
tione Luc. 1.*

Licet Beatissima virgo quocunque suorum operum, totius sanctitatis magisterium tenuerit, vt optimè notarunt S. Thom. & S. Petr^o Chrysologus, post acceptam tamen matris DEI supremam dignitatem, quā publicam personam induit ac gessit, magisterio virtutum magis enituit & splenduit; quia tunc vtrā plenitudinem gratiā, quā vt persona particularis emicabat, maiorem & excellentiorem tanquam personae publicae in Ecclesia, spiritus sanctus largē & liberali manu concessit. Ex hoc ergo totius sanctitatis & virtutum

entū nouo magisterio hodiernum visitationis opus emanauit. Nam cum primū aeterni patris filium in proprium acceperit, & cōsequenter magisterii gratias, vt redemptioni generis humani prodesset, suę domus secreta silentia deferens, & in mōtana conscendens, animarum iustificationem curat & sollicitat, nec solum properat, vt gloriosi Baptistę sanctificationem acceleret, sed etiam vt celeri illo & properato cursu normam & modum ostendat, quo ad sanctitatem & perfectionē perueniendum sit. Si enim per montes, vt S. Ambrosius, Basilius, Bernardus, & Gregorius existimant, perfectio christiana repręsentatur, hodierna luce Beatiss. Maria montana Iudę celeri passu conscendit, vt viam perfectionis omnibus manifestet: incipientibus, quomodo aggredienda: proficientibus, qualiter standum & in illa currendum, perfectis, quā ratione conseruanda sit. Imprimis virtus & perfectio inchoanda est eo planē modo, quo ipsa suam visitationem inchoauit. *Exurgens Maria abiit in montana.* Perpendenda sunt illa verba, *Exurgens Maria abiit;* Nam si abitura erat, necessariū illi surgendum erat, quod ergo mysterium indicat sanctus Euangelista his verbis *Exurgens Maria abiit?* Conatum sanē & maximam resolutionem explicat, quo Beatissima Virgo hoc iter confecit, nota enim & perspecta Dei voluntate, si-

ne mora abiit. Quo facto docet spiritalis vitę perfectionem firmā voluntate, sine vlla dilatione, omnibus difficultatibus superatis & postpositis, sectandam & amplectendam esse; quia si his locus pateat, impedimenta quędā occurrent, quę animę nostrę salutem, & vitę christianę perfectionem retardant. Tunc sanē maiorem & difficiliorē perfectionis viam conficimus, cū nostram voluntatem egressi, in via virtutis pergimus, voluntas enim & proprius amor, perfectionis viam difficilem valdē, spinis & vepribus ac dumetis interclusam effitiunt, idēd tota difficultas christianę perfectionis in deuincendo propriam voluntatem sita est, quod ita difficile est, vt multi sponsum quærant, & ad perfectionē aspirent, domū tamē cū non sint egressi, nec spōsum, nec perfectionem reperiunt. Ita accidit sponsę propriā voluntate & amore cęcutienti, cū enim ex desiderio sponsi, ipsum diligēter quęsiuisset, nec potuisset inuenire, sic suspirius & quærimoniis suam fortunā infelicē deplorabat. *Quęsiui illū, & non inueni.* Cant. 3. Super quę verba S. Bernardus miratur spōsam, quōd quærat suum sponsum, & eum non reperiat, cū semper à quærantibus inueniatur. *Omnis enim qui quærat inuenit Mat. 7.* Sine dubio (inquit Bernardus) nec benē, nec diligentia debita, aut loco competenti sponsum quęsiuit.

In lectulo

In lectulo meo quasiui quē diligit anima mea ait sponsa. *Cant. 3.* Mirandū sanē est, quōd sponsa solum in lectulo suū sponsum quærat; Nonne posset alia loca commodiora lustrare, vbi sponsus adesse solet? Templum videlicet vbi oratio, pænitentia, continuum silentium, & alia exercitia spiritu alia vigere solent. In lectulo meo quasiui. Solum in lectulo proprio quasiuisti? S. Bernard, & S. Thomas affirmant, tunc sponsam in perfectione fuisse debilem & imperfectam, idē necdum apud se statuerat quietis & dilectionis lectum deserere, sed illi inherens, volebat vt sp̄sus surgeret, & ad se veniret. Multi sunt etiam religiosam vitam profitentes, qui primō pro se quietis & recreationis mollem lectum sternunt, officia & dignitates vsurpant, propria honoris, lætitiæ ac iucunditatis comoda exquirunt & assequuntur, in quibus à nullo vel tangi, vel ab eis dimoveri volunt, deinde ad suum lectum sponsum inuitant. Sed decipiuntur isti, inquit Bernardus, Deus enim non in quietis & tranquillitatis loco, sed in labore & mortificatione, non in molli, sed in crucis lecto reperitur, hinc sponsa clavis affixum sponsum inueniet, nec dicere poterit, quasiui illū, & non inueni; si enim surgēs, in cruce & laboribus quæsuisset, despecto solatii & iucunditatis lectulo, ita inueniret, vt nunquā amplius amitteret, vt ipsa sp̄sa fatetur, *Tenui eum,*

nec dimittam; quia eo conatu & resolutione quæsuuit, quam Beatissima Virgo suā visitatione demonstrauit, sic enim perfectio vitæ Christianæ, & quodcunque virtutis opus inchoandum est. *Exurgens Maria abiit cum festinatione.* Constituta iam itinere Beatissima Maria, festinanter properauit; quā itineris festinatione eos, qui in virtute profecerunt, instruit ac docet, quā diligenti studio properandum, & vltius festinato cursu progrediendum sit, longa enim nobis restat uia, siue à terra vsque ad caelestia palatia, siue ad virtutis perfectionem asequendā properandum sit. Tempus etiam breue & incertum est, cum neq; vnius horæ securum tempus agnoscamus: oportet ergo festinare: quemadmodum viatores, quibus longa superest conficienda via efficere solent, citò namque properant, ne forsitan noctis obscuritas ingruat; ita nobis in via perfectionis properandum est, ne morte, quæ nox est obscurissima, repente præoccupemur, idē in via perfectionis non solum properandum, sed velociter currendum est. Quod insinuauit D. Paulus, vitam suam cursum appellās, & non quencunque, sed concertantium ad destinatam metam & præmium obtinendum; qui enim certatim ad præmium obtinendum properat, nunquam sistit, dum alii currunt, aliās nollet præmium adipisci, sic inquit, in virtutum

tutum semita festinandum est. *Ne-*
scitis quod ij qui in stadio currunt, om-
nes quidem currunt, sed vnus accipit
brauium? sic currite vt comprehendatis.
 1. Cor. 9. Perpendenda sunt dili-
 genter illa verba Apostoli. *Omnes*
quidem currunt, sed vnus accipit bra-
uium. Quibus videtur Apostolus in-
 dicare diligentiore tantum ac ma-
 gis in acquirēda perfectione sollici-
 tum, æternæ gloriæ præmium capes-
 sere, cum tamen, vt ex fide constat,
 alii etiam, qui præcepta diuina im-
 plent, eam assequantur. Quomodo
 ergo affirmat Apostolus, *omnes qui-*
dem currunt, sed vnus accipit brauium?
 Ac si certatim v ita eterna capessen-
 da sit. Optimè sanè nobis consulit
 Apostolus, si ad perfectionis culmen
 pertingere velimus; ita enim in il-
 la currendum est, ac si beatitudo di-
 ligentiori tantum in præmium con-
 ferenda sit. Ita ad confessionem &
 communionem accedendum, ac si
 gratia sacramentalis, pro digniori
 solum destinata sit, sic enī in perfe-
 ctione veloci cursu properabimus.
 Hęc explicatio licet optima sit, plu-
 ra tamen vult Apostolus prædictis
 verbis indicare; quia non tantum as-
 ferit currendum esse ad abundantem
 gloriam obtinendam, sed etiam cer-
 tatim currendum, vt saltim aliquid
 præmij assequi possimus. *Sic currite*
vt comprehendatis. Tanta enim est
 fragilitas & imbecillitas humana, ac
 in proponendo mutabilitas, vt, e-
 tiam si multa homines promittant

& intendant, vix vnū aut alterum
 cum difficultate impleant, longè e-
 nim verba à factis, intentio, & desi-
 derium ab executione discrepant. I-
 dedè Apostolus certatim currendum
 esse prædictis verbis admonet. *Sic*
currite vt cōprehendatis; vt si in ade-
 ptione præmij primum locum tene-
 re velimus, & primū metam at-
 tingere intendamus, saltim medi-
 um locum occupemus. *Sic currite vt*
comprehendatis; si enim mediam tan-
 tum perfectionis viam intendamus,
 vix planè illius limina salutabimus.
 Altius & diligentius ad præfixū sco-
 pum properandum est, ad eum fer-
 mē modum, quo sagittarii, cum sco-
 pus longè abest, & arcus tenuis ac de-
 bilis est, pauld altius iaculantur, vt
 metam propius attingant; nam si
 directè sagittam ad destinatum sco-
 pum mitterent, frustra laborarent,
 nec ictus illuc pertingeret. Ita in
 spiritali perfectione contingit, sco-
 pus enim christianæ perfectionis,
 cum cælum sit, longo interuallo à
 nobis distat: vires etiam nostræ de-
 bilissimæ sunt, idè pauld altius vir-
 tutibus iaculandum est, vt saltim
 sagitta scopum tangat, ita quod lō-
 gius non aberret. Quod optimè ani-
maduertens David non solum vt
homo certatim ad perfectionis ter-
minum & metam currebat, sed e-
tiam sicut cervus velocissimus festi-
nabat. *Quem admodum desiderat cer-*
uus ad fontes aquarum, ita desiderat a-
nima mea ad te Deus. Psal. 41. Ac si di-

ceret. Quemadmodū ceruus sitiens
 spretis virentibus pratis, & floribus
 pulcherrimis conculcatis ac depres-
 sis, ad fontes aquarum festinanter
 sine mora velocissimè currit, vt a-
 quā crystallinā ac perlucidā fruatur:
 ita anima mea spretis huius mundi
 oblectamētis, pompā & apparatus sa-
 culari, omni difficultate postposita,
 Deum sum̄operè desiderat, & illum
 amplecti totis viribus conatur. Sed
 quis poterit toto vitę decursu sic cur-
 rere, ac tam celeri passū festinare?
 Quænam vires ac membrorum ro-
 bora sufficient? Petuntur vires à so-
 lo Deo ad hoc munus præstandum
 concessæ, idèd Beatissima Virgo in
 hoc itinere Deum secum portat;
 quia nostris viribus sine diuinis via
 perfectionis perfici non potest; vi-
 ribus diuinis adiutā etiāsi teneri-
 rima & delicata virgo, ac recenter
 grauida, montana iudææ cum festi-
 natione conscendit, quæ dum ma-
 gis properabat, viribus ac membro-
 rū robore augebatur. Sic etiā in ani-
 mabus sanctis, quæ amore diuino
 æstuant, & ad superiora aspirāt, eu-
 nire solet; licet enim ex parte sua im-
 becilles reperiantur, Indies tamen
 vires accrescunt, quas auxilia diuina
 suppetant, & dum magis cælestia
 palatia appropinquant & diuina de-
 gustant, magis ac magis amore diu-
 no æstuentes ad superna anhelant.
 Quemadmodū venatici canes cum
 nondum prædā saltem olfactu

perceperunt, paulatim quærent &
 investigant, sed cum vestigia signis
 & indicis aliquo modo animaduert-
 erunt, hinc & inde cursitantes,
 velocissimè feram insequuntur: Ita
 animabus nostris contingit; cum e-
 nim nihil de diuinis degustarūt, ne-
 què Dei bonitatem, dulcedinem aut
 suauitatem expertæ sunt, paulatim
 in perfectione incedunt, ac in ora-
 tione & aliis spiritualibus exerci-
 tiis præ lassitudine deficiunt. At cum
 Dei vestigia gratiā diuinā illustratæ
 indagant, & Dei odore perceperūt,
 velocissimè currunt, volatu celeri,
 difficultatib⁹ & impedimētis grauis-
 simis superatis ad diuina ita prope-
 rant, vt nullo modo desistāt, quousq;
 Deū in patria perfectè assequantur.
 Idèd sponsa instāter postulabat à suo
 charissimo sponso, vt saltim sua vesti-
 gia indicaret, ista enim sola efficacia
 sunt, vt omnium animos & corda ad
 se rapiāt. *Trabe me post te, curremus in
 odorem vnguentorum tuorum. Cant. 1.*
 Si tam concitato cursu sponsa in vir-
 tutibus properat, citò perfectionem
 acquirit; sicut & Beatissima virgo ad
 ciuitatem Iudææ peruenit, vbi do-
 mum Zachariæ ingressa, salutauit E-
 lisabeth, quæ saluatio medium fuit,
 vt Baptista sanctificaretur, & paren-
 rentes implerentur Spiritu Sancto, &
 omnes in eximia laudum cantica
 prorumperent. Hæc est tertia magi-
 sterii lectio, quam Beatissi. virgo ad
 nostrum exemplum ostentauit, pro
 illis

illis qui iam ad perfectionem per-
 uenerunt, ingrediuntur enim ciuita-
 tem Iudæ; (quæ ciuitas laudum in-
 terpretatur) cum perpetuè laudes iu-
 cundissimas decantent: quâ ratione
 domum Zachariæ (qui memoria
 Dei interpretatur) statim intrant,
 quibus noster animus, quasi in cælis
 est; vt enim inquit S. Ephrem, anima,
 quæ in diuina præsentia per illius
 memoriam commoratur, cælum quod-
 dam est splendidissimè micans. Ex hac
 Dei memoria oritur cælestis quædâ
 conuersatio; cum enim cor nostrum
 Deo plenum existit, nihil nisi Deum
 sapit ac per verba solum Deum mani-
 festat & extollit, sicut ex Beatissima
 virgine sola verba emanarunt, qui-
 bus salutauit Elisabeth. Hæc salu-
 tatio ita efficax fuit, vt iuxta verba
 effectum sortita fuerit, ad eum mo-
 dum quo ea, quæ à Deo proferuntur
 suam efficaciam habent; salutauit
 ergo regina cælorum S. Elisabeth,
 hæc verba proferens; *Dominus tecum.*
 Quibus prolatis S. Ioannes Baptista
 & illius parentes Spiritu Sancto, &
 consequenter lætitiâ ineffabili, im-
 pleti fuerunt, quia nulla alia maior
 excogitari potest illâ, quâ iustæ ani-
 mæ fruuntur, quæ quo sanctiores,
 maiori iucunditate & spirituali gau-
 dio potiuntur. Quare hodierna festi-
 uitas spirituali gaudio & lætitiâ
 referta est, sanctissimus enim
 Baptista præ gaudio in materno v-
 tero exultat, Elisabeth in signum ex-
 ultationis vocem extulit, Maria

sanctissima in signum lætitiæ can-
 tum suauissimum edidit, quo ipsum
 Deum magnificauit. *Abyr cum festi-*
natione. Ex prædictis verbis peculi-
 ares Beati Ioannis Baptistæ præro-
 gatiuæ & singularia encomia dedu-
 ci possunt. Deus namque in produ-
 ctione vniuersi, vt alias creaturas cõ-
 deret, solum vnico vel altero verbo
 utebatur. *Fiat lux, & facta est lux.*
Gen. 1. & in creatione hominis solum
 his verbis vltus est. *Faciamus hominem*
ad imaginem & similitudinem nostram.
Gen. 1. Idè in spirituali hominum re-
 paratione & iustificatione contingit,
 cum aliquem ad se vocat, & ad fasti-
 gium sanctitatis perducit, vnico ver-
 bo hæc Deus præstare solet; *sequere me.*
 Sed in Baptistæ sanctificatione nõ so-
 lis verbis, sed propriâ personâ assi-
 stens, & quasi proprias manus appli-
 cans illius sanctificationem accelera-
 rat. *Etenim manus Domini erat cum il-*
lo. Luca 1. Vbi maxima gratia & san-
 ctitas Baptistæ elucet & splendet; nã
 in Ioanne propriis manibus ac festi-
 nanter omnium sanctorum tam ve-
 teris quàm noui testamenti præro-
 gatiuas reposuit. Imprimis Abraha-
 mi fidem & obedientiam Ioannes
 imitatus est. Si enim Abrahamus pro-
 pter fidem quia primò credidit Pa-
 ter multarum gentium appellatus
 est, Ioannes etiam fidem Christi pri-
 mò prædicauit ac ostendit, & conse-
 quenter eodem titulo meritò decora-
 ri potest. Quodd si Abrahamus ex o-
 bedientia prompta grande nomen si-

X 2

bi com-

bi comparauit. *Egredere de terra tua & de cognatione tua &c. Gen. 12.* Cùm diuinis mandatis obtemperans, propriam patriam deseruerit, vt inter extraneos moraretur, Ioannes etiam omnia propter Christum adhuc in infantia reliquit, imò quod maiori admiratione dignum est, hodiè vtero materno clausus egressus conatur, vt suum Saluatorem iam presentem spretis omnibus per montana comitetur. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo. Luca 1.* Accidit hodierna luce Baptista id, quod infantibus euenire solet, cùm nutricem à qua lactatur à longè conspiciunt; licet enim materno gremio conquiescant, statim saltant & gestibus ac nutibus, & crebrâ brachiorum & pedum commotione effugere conantur, vt nutricem adeant & amplectantur. Exultauit in gaudio infans &c. Ita Ioannes quamprimùm gratiæ authorem persensit, à quo spirituale gratiæ nutrimentum receperat, *exultauit in vtero*, ac præ gaudio saltare cepit, vt matrem vteram egressus, Christum salutaret, & illius brachiis requiesceret. Dauidem etiam fortitudine superauit: Nam Dauid lapidibus gigantem prostrauit; Ioannes verò aliquando solo verbo dæmonem deuicit ac deiecit. Esaiam in visionibus excelluit quamvis enim ipse dominum in throno Maiestatis sedentem intuitus fuerit, non tamen propriis oculis Saluatorem conspexit: Ioannes

verò in virgine Trinitatem agnouit, ac externis oculis Saluatorem vidit, & aliis digito demonstrauit; nec propter miranda, quæ tam spiritualibus quàm corporeis oculis cernebat, præ admiratione & stupore aliquando, vt Petrus in Thabor cecidit, imò cùm Christum ad suos pedes prostratum, ac palatia cœlestia aperta intuitus est, & vocem patris audiuit. *Hic est filius meus dilectus &c. Matth. 3.* quæ aliàs admiratione dignissima erant, nunquam tamen cecidisse legimus; Tanta erat illius animi magnitudo ac præstantia. Inuenitur denique in Ioanne quidquid bonitatis aut excellentiæ in Synagoga reperiri potuit. Ex stirpe enim regia originem duxit, ex parte virginis, ex sacerdotali, per Zachariam Nazarenus erat, & consequenter religiosus & legis obseruator; neque solū legem impleuit, sed finis etiam legis extitit, fuit planè Propheta & plusquàm Propheta. Reperimus etiam in Ioanne quidquid excellentiæ alicui noui testamenti sancto cōcessum est. Nā si Petro Ecclesia committitur, Euangelista etiam Ioanni Beatissimi, virgo commissæ est, & honor & autoritas illi tribuitur, sine qua Deus consistere non potest. Quod ita verum est, vt aliquando Christus Dominus, vt suam autoritatem conseruaret, ad Ioannis autoritatem recurreret, cùm enim vendentes & ementes de templo eiiceret, iudeis postulanti⁹ in qua autoritate hoc face-

faceret, ita respondit. *Baptismus Ioannis de celo erat, an ex hominibus? Luca 20.* Ac si diceret, Baptismo Ioannis Baptizati estis, & consequenter mihi in omnib⁹ obedientiam prestistis: ubi autoritas Ioannis maximè extollitur & exaltatur; cùm autoritatis Christi ratione petita, ad autoritatem Ioannis Christus recurrat, ac si Ioannis autoritas ad suam autoritatem fulciendam necessaria foret. *Et visitavit Elisabeth. Luca 1.* Vix explicari potest, quantus ac qualis sit Baptista, cùm omnes statim atque oculos aperiunt, in Baptistam defigat. Archangelus quamprimùm in hæc terrarum sola descendit, illius mentionem fecit, *Et ecce Elisabeth concepit filium &c.* Evangelista Ioanès. *In principio erat verbum; &c.* Fuit homo missus à Deo. *Ioan. 1.* statim in memoriam revocavit. Virgo sanctissima statim atque domum egreditur, Baptistam visitat: primum etiam Christi opus erga hominum iustificationem in Baptista enituit. Ponderatione tamè dignū est in nostro Evangelio, quare Ioseph in tam aspera peregrinatione suam charissimam sponsam non comitetur, sic enim dubitationis causa sublata fuisset cùm illam gravidam aspiciens, an ex spiritu sancto concepisset, hæsitavit. Quare Beatissima virgo mysterium incarnationis illi non manifestavit, saltem vt suum honorem custodiret, & ne periculo amittendi famam se exponeret? No-

luit planè Beatiss. virgo tantum mysterium alteri ante Baptistam aperire, ipse primus hæc noua felicissima toti vniuerso denunciare debuit, ipsi soli tantus honor deferendus erat. Tanti Christus Dominus Ioannem estimavit, vt potius ad Ioannis, quàm matris honorem in manifestatione mysterii incarnationis attendisse videatur. Nam si beatissima virgo Filii DEI conceptionem, afflatu Spiritus Diuini effectam suo fidelissimo sponso indicasset, nec ita suspectam suam conceptionem Iosepho reddidisset, ac melius suo honori consuluisse videretur. Hæc tamen omnia pro honore Ioannis extollendo & exaltando quasi contempnuntur, vt Ioannes in Filii DEI conceptione prænuntianda primatum teneret, & vt primus iucundissima huius mysterii gaudia præriperet, idèd nulli antea patefactum fuit, etiamsi ex illius occultatione totum genus humanum mærore & tristitia conficiatur, quia Ioanès pluris toto vniuerso æstimadus est, idèd pro illius consolatione & lætitia aliorum gaudia postponenda sunt. Ipse ergò primò, etiam ante Archangelum Gabrielem & beatiss. virginem tantum mysterium mundo prænuntiavit. *Quia hic venit in testimoniū, vt testimoniū perhiberet de lumine. Ioan. 1.* Neq; enim Archangelus, aut Beatiss. virgo hoc mysterium iam executioni mandatam, aliquando prædixere, solus Ioannes primitus de

X ;

Chri-

Christo testimonium perhibuit. Sed quomodo de Christo testimonium præstare potest, cum Christus apertè asserat se ab homine testimonium non accipere. *Testimonium ab homine non accipio. Ioan. 5.* Respondet S. Ioannes Chryl. Ioannem non hominem, sed Angelum esse, non quidem per naturam, sed per gratiam, quâ superemis spiritibus æqualis fuit. Et licet minor maiori testimonium præstare non possit, Ioannes tamen, quia maior Christo in opinione hominum apparebat, authenticum illius testimonium exhibere potuit. *Exultauit in gaudio infans. Luca 1.* Ad vocem salutationis Beatiss. Mariæ exultat Ioannes, ad eū modū quo Saul ad sonitum Dauidis exultabat, cum musico instrumento utens Dauid, illius malum spiritum fugaret. Audita illius voce ac suauissimo concentu, præ gaudio saltat infans, quia originalis culpa, quâ malus spiritus nostrum animum primò vexat & exagitat, salutatione Mariæ sanctiss. ab illius anima depellitur ac longiùs fugatur. Alii infantes in materno utero ingemiscunt, ac suo conditori terga vertunt, *errauerunt ab utero. Psalmo. 57.* Sed Ioannes in utero exultat, faciem ad suum conuertit conditorem, Mirandum sanè est quòd Ioannes etiam in infantili ætate tot mirabilia sub se comprehendat; fuit planè terra fecundissima, quæ propter accessum solis eam suis radiis primò fecundantis, citiùs & maturiùs fru-

ctum præstat. Gloriosissime Ioannes tanta est tuæ excellentiæ & præstantiæ magnitudo, vt vix omnibus etiam titulis & nominibus expressis, aliquid tuâ excellentiâ dignum proferre possim. Te Prophetam & plusquam prophetam, præcurso-rem, Apostolum, Martyrem, confessorem, Virginem & sponsi amicum, ac Verbi Diuini vocem agnosco; Modò tamen te regem nuncupare libet, quo titulo exorno te non solum, quia serui Dei reges appellantur; *Seruire etenim Deo regnare est.* Sed peculiari quadam ratione; Rex enim existimandus est, quem Reges & Imperatores visitant, & regio honore prosequuntur: cum ergo hodierna luce Regina Cœlestis & Deus ipse, Rex regum & dominus dominantium te visitent, ac regio honore venerentur; *Reges videbunt & consurgent principes. Isaia 49.* Meritò regis titulo honorandus es, cui illa Dauidis verba rectè congruunt, *Domine in virtute tua letabitur Rex, & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Psal. 20.* Spiritus Diuinus quosdam iam senio confectos, in extrema senectute ad se vocat & ducit, alios in iuuentute cum in peccando præcipites aguntur, sed Ioannes præuenitus fuit in benedictionibus dulcedinis, ac diuinâ gratiâ in utero materno sanctificatus, vt ex illo coronam gloriæ mereretur. Quâ

mihî

mihî & vobis præstare dignetur Iesus
Christus Amen.



Sermo Secundus.

PRO SALVTATIONE
Angelica.



Odierna luce (Charissimi
mi auditores) de sole-
mni quadam visitatione
acturi sumus, quam cæ-
lorum regina filium Dei
visceribus gestans suæ cognatæ Eli-
sabeth exhibuit, reuocabimus etiam
in memoriam viam illam arduam
& difficilem, quam Beatiss. Virgo
per montana Iudææ celeri & conci-
tato passu confecit, quæ Zachariæ
domum ingressa, & illius vxorem
amplectēs, taliter illam salutauit, vt
ex ea salutatione rationis vsū Ba-
prista præueniens, licet non verbis,
signis tamen sui Saluatoris aduen-
tum præsensit ac indicauit; Et nisi
intra maternum vterū latuisset, ver-
bis etiam suum conditorem salutā-
set, ac pedes Beatiss. virginis deoscu-
latus fuisset; Tantæ efficaciz hodi-
erna saluatio extitit, vt ex vi illius
Ioannes impletus fuerit Spiritu
Sancto, in gratiam & amicitiam di-

uinā acceptatus & confirmatus, at-
que originali culpā liber euaserit; E-
lisabeth etiam ex redundātia gratiæ,
quā filius abundabat, Spiritu Diui-
no referta, ac illius gratiā conforta-
ta, Beatiss. Marię de infinita matris
Dei dignitate adepta gratulatur, ac
prosperitatem & felicitatem ven-
turam prædicit: Maria verò san-
ctiss. laudibus humilior effecta, e-
latis in cælum oculis, gravi ac se-
reno vultu dulcissimas voces pro-
ferens, cælestem ac suauissimum
contentum excitauit. Denique per-
solutis omnibus humanitatis officijs
erga suam cognatā Elisabeth, in qui-
bus fermè per tres integros menses
detenta fuit, domum iterum reuerfa
est. Quæ omnia vt latius aperiamus,
& mysteria, quæ in hac visitatione
latent, in lucem eruamus, indige-
mus gratiā Spiritus Diuini, mediā
salutatione Angelicā postulemus.
Dicentes, Ave Maria.

*Exurgens Maria abiit
in montana cum festina-
tione Luc. 1.*

INter ea quæ Deo magis placent,
& quibus strictus tenetur ad no-
ua & maiora beneficia hominibus
impertienda, animi censetur gra-
titudo; quā homo bona à Deo ac-
cepta ex diuina largitate, larga &
libe-

liberali manu processisse recognoscit, quam animi gratitudinem & beneficii accepti recognitionem, non segniter, sed instanter ac summâ diligentiam postulat. **D E V S**, postquam filiis Israël terram promissionis liberaliter concessit, statim animi gratitudinem, & tanti beneficii memoriam his verbis postulavit. *Cumque introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iuravit patribus tuis, Abraham, Isaac, & Iacob, & dederit tibi civitates magnas & optimas, quas non edificasti, domos plenas multarum opum, quas non extruxisti, vinea & oliueta, quae non plantasti, cisternas quas non fodisti: & comederis & saturatus fueris, caue diligenter ne obliuiscaris Domini, qui eduxit te de terra Aegypti, & de domo seruitutis, Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruias. Deut. 6. Vbi animi gratitudinem non solis verbis expressam, sed operibus manifestatam exigit. Luc. 18. Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum. Gratiarum actio huius Pharisei idem tantoperè Deo displicuit, quia solis verbis & non operibus constabat. Alio modo sanctus Ioseph sui generosi animi gratitudinem ostendit; cum enim à sua domina vehementer irgeretur ut in turpem & carnalem concubitum consentiret, sic sanctus iuuenis eam astatus est. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Gen. 39. Tunc beneficia à suo domino liberaliter accepta re-**

presentata fuerunt, quibus astrictus ac detentus, nec viam nec modum inuenire potuit, quo grati animi iura constringens, in suum Dominum peccaret. Miror sanè quo vultu peccatores in suum conditorem insurgant; cum ab ipso singulis momentis singularia beneficia recipiant, vitam, conseruationem, solem, ut illuminentur, cœlum etiam, si illud adipisci velint: alia specialiora beneficia prætereo, quæ iuxta statuum diuersitatem experimur. Quibus non obstantibus effrenati peccatores in contumeliam sui creatoris quotidie peccant, forsitan quia beneficia accepta non vocitant, nec cum Iosepho in memoriam reuocant. *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Vult ergo Deus optimus ac maximus, ut colatis ab ipso beneficiis gratitudine animi occurramus, præcipue ea in bonum proximi couertendo; cuius contrarium severo ac minaci vultu conspicit, & grauissimè punit, ut ex variis scripturæ locis demonstrari potest. Ille enim, cui Deus decem millia talentorum liberaliter condonarat, quia tanti beneficii oblitus, suum conseruum debitorem rigorosè vexauit, seuerissimè puniuit. Idem constat in Dauide 2. Regum capite 12. cuius filius ex Bersabea genitus, quem vnicè diligebat, immaturâ morte meretricibus omnibus ex diuina dispositione interit, quia Dauid tot beneficiorum*

rum quæ à Deo acceperat oblitus, illis abutens, Vriam interfici curauit, vt illius vxore liberiùs frueretur. *sapientibus & insipientibus debitor sum Rom. 1.* Debitù gratitudinis præcipuè circa proximù siue sapientem siue insipientem manifestari debet, in quo nos esse filios Dei & illius discipulos aperte indicabimus. *In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Ioann. 13.* Cùm beatissima Virgo animi gratitudine omnes alias creaturas excelluerit, sicut & aliis virtutibus antecelluit, ex reuelatione Angeli cognoscens suam cognatam in senectute filium concepisse, cum festinatione properauit vt eam salutaret, quod debitum esse existimauit propter infinitam matris DEI dignitatem nouiter acceptam, cuius beneficij magnitudinem perpendens in signum gratitudinis, vt illam circa proximum ostenderet, visitauit Elisabeth. *Exurgens Maria abiit in montana.* Primum quod à Beatiss. virgine post acceptam matris Dei dignitatem effectum est, opus hoc visitationis extitit; quàm primum enim Angelus discesserat post celebratum mysterium Incarnationis, montana statim conscendens, visitauit Elisabeth, Eam non suprema Matris Dei dignitas, nec cælorum imperatricis maiestas detinuit, neque etiam cùm se totius Trinitatis Sacrarium ani-

mauertisset, post tot ac tanta mysteria, quæ ex salutatione Angeli resultarunt, iam in vtero supremum Deum, molitorum & opificum omnium continens, cuius magnitudinem vniuersa mundi machina capere non potest. *Exurgens abiit in montana, vt salutaret Elisabeth.* Hæc est magnitudo & præstantia filiorum Dei, qui iuxta dignitatem maiorem, excellentiam ac supremam fastigia, magis in propria estimatione vilescunt. Angelus Beatiss. virgini infinitam Matris Dei dignitatem offert, ipsa tamen se ancillam fatetur. Id planè sanctis & seruis Dei cõtingit, quod arboribus euenire solet. Arborea enim, dùm feracitate suâ vberiores fructus producant, & illis onustæ fecunditatem suam manifestant, eò magis ad terram vsque deprimuntur ac humiliantur. *Iustus vt palma florebit Psal. 19. S. Gregorius 19. moralium cap. 25.* hanc iustorum proprietatem in palma in qua representantur, accuratè animaduertit; palma enim iuxta radices, quæ terræ inhaerent, tenuis est ac debilis apparet: at iuxta ramos, quibus vberissimi & dulcissimi fructus insunt, fortior & crassior est, ibi suam fertilitatem & vbertatem ostendit. Sic Sancti dum magis suarum virtutum eminentiâ cælo appropinquât, & illis micat & splendent, iuxta terram in propria estimatione viliores apparêt, ac de se humiliora sentiunt, vt in Baptista

Y

& ali

& aliis sanctis comprobari potest. Eligens enim Dominus Baptistam, ut ab ipso baptizaretur, & super proprium caput manus suas imponeret, quod maximam illius dignitatem aperte indicabat; Baptista tamen ita humiliter extitit, ut vix corrigiam calcamentorum Christi dissoluere auderet. Aliud in huius seculi amatoribus contingit, ita enim quacunque dignitate evanescent, ac in sublimem efferuntur, ut vix præ superbia, altitudine, etiam ad motam scalam vel ipsis loqui, vel cum eis conversari possint. At contra iustorum vita (inquit Gregorius.) per palmam significata, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, longè magis studiosos & humiles se exhibent. Virtutum enim suarum splendorem ac fulgentissimam lucem, soli Deo & non mundo huic manifestari cupiunt. Si iuxta carnis & huius seculi vota processisset Beatissima Virgo, rationi magis consentaneum videretur, ut suam gravitatem, ac infinitam Matris Dei dignitatem ostentando dominum mansisset; id tamen non prestat, quia iusti in hoc seculo suam excellentiam ac dignitatem humilitate cooperiunt, ut soli Deo luceant & splendeant. Ad propositum notandus est pulcherrimus locus. *Pulchra ut luna. Cant. 6.* Vbi Spiritus Divinus suam sponsam pulchritudinem comparat lunam, quæ comparatio nec my-

sterio, nec difficultate caret; quia in sacris litteris non solum iustorum animæ, quæ nomine sponsæ intelliguntur, sed etiam stulti & peccatores comparantur lunæ. *Stultus ut luna. Eccles. cap. 27.* Quid ergo in luna reperitur, ut tam iustis quam peccatoribus convenienter accommodari possit? Pro huius mysterii explicatione notatu dignissimum est incrementum & decrementum lunæ. In eodem enim sui cursus termino & sine decrevit, & incrementum lucis sortitur, diversimodè tamen, maiorem vel minorem lucem à sole mendicat, dum ab ipso micantibus radiis percutitur. Si enim in oppositione sit, tunc ab ipso lucem participat ex ea parte, quæ respicit terram, & consequenter in ordine ad eam lucet & splendet, sed in ordine ad cælum, suam naturam obscuritate potitur. At quando est in sua coniunctione ad solem, è contra accidit, tunc enim ab illo lucem recipit, non ex ea parte, quæ respicit terram, sed ex illa, quæ cælo coniungitur; Ideò versus terram obscura est, in ordine tamen ad cælum splendidissimam luce corruscat, & hæc est maxima quæ in luna reperitur. Luna ergo cum cælo micat, in terra tenebrosa est, cum vero versus terram splendet, in ordine ad superiora atram caligine circumvoluit. Modò ad nostrum propositum redeuntes, comparationem Spiritus Divini

uini

uini, & mysterium latens aperiemus. Comparat enim stultos lunæ, & iustos etiam eidem appropriat, diuersimodè tamen. Nam cum amatores huius sæculi, qui in ipso sapientes reputantur, stulti sint apud Deum, lunæ comparantur ex ea parte, quâ lucem in ordine ad hæc inferiora participat; quia inter mundanos suam excellentiam ostentantes, & illâ superbientes, in hoc sæculo lucent, ac sapientes reputantur, sed coram Deo insipientes & stulti sunt, nullo diuini luminis splendore illustrati; Iusti vero, quia virtutum suarum excellentiam humilitate tegunt, ne mortalium oculis sapientes reputati, suam eminentiam ostendant, lunæ cõparantur, quando in coniunctione solis lucem ab ipso mendicant, tunc enim in ordine ad superiora splendent luce corruscant; in ordine tamen ad hæc inferiora, vbi iactantia & superbia viget, abiecti & humiles, ac sine splendore iudicantur. Ideò sponsus puritatem Beatiss. Virginis lunæ comparat. *Pulchra vt luna;* quia tot virtutibus, præcipuè infinitâ matris Dei dignitate cum splēderet, illâ mortalium oculis occultâs, solùm se ancillâ Domini fatetur: Et hodiernâ luce omnem grauitatem & mûndana iûra, quæ ex titulorum ac dignitatum præstâtia oriri solent, spernens, festinanter & properato cursu salutauit Elisabeth. *Abiit in montana cum festinatione,* Mirandum sanè est,

quòd Beatiss. Virgo, cum ita delicata foret per montana, vbi via aspera, & lapidib. obruta esse solet, ita festinãter conscendat, Vnde *tot vires tenerimæ virginis accreuerunt;* Pro huius explicacione in cœlestes orbes mentis etiã acie conuertamus; omnia eni cœlestia corpora suos naturales motus habent, ex quibus aliquatardiùs, aliqua verò aliis velociùs moventur; si tamen in ordine ad motum primi mobilis considerentur, tantâ velocitate per motum raptum primi mobilis agitantur, vt viginti quatuor horarum spatio suum cursum cõficiant. Ita similiter si Beatiss. virginem secundùm se concipiamus, eam tenerimam & delicatam inueniemus; At si primum motorem totius vniuersi, ac creaturarum molitorem, quem suis viscerib. gestabat perpendamus, non mirabimur, si tenellam virginem per môtana properantem conspiciamus. Ideò Esaias cap. 8. loquens de filio Dei in hunc mundum aduentante, sic ait. *Voca nomen eius, Accelera: spolia detrahete festina pradari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariae coram Rege Assyriorum.* Propheta sanctus Filium Dei hoc nomine vocat; *Accelera;* quia priùsq̃quam patrem aut matrem vocitare possit, fortiores Samariæ deuincet ac superabit. Vocat etiam tali titulo, quia antequam scientiã experimentalis

Y 2 patrem

patrem aut matrem agnosceret, suum amicum Baptistam etiam in vterolatentem sanctificare, & prophetæ spiritum ei communicare poterit! Quàm celeri cursu Deus noster ad sanctificationem hominis properat! *Ecce venit iste saliens in montibus, transfiliens colles. Cant. 2.* Quo suprema Maiestas tam citò festinat, saliens in montibus & transfiliens colles? Non aliud quàm ad reparationem & sanctificationem hominis executioni mandandam, idè celeriter progreditur, & eadem celeritate suam sanctissimam matrem per montana secum ducit. Sicut enim Deo iucundissimū est hominibus benefacere: ita etiam beatiss. virgini longè gratissimum; Idè Ecclesia eam collum appellat. *Collum tuum sicut monile. Cant. 1.* Quemadmodum enim collum corpus cum capite vnit ac copulat; ita Maria sanctissima peccatores cum Christo strictissimo amicitie vinculo coniungit. Imò eo ipso quòd supremam matris DEI dignitatem acceptavit, se etiam in peccatorum matrè lubentissimè insinuauit. quod aperte in sanctificatione Baptistæ cōprobatum reperimus. Quàmprimū enim Incarnationi consensit, cum festinatione in reparationem & iustificationem illius properauit. Est planè Beatissi. virgo pulcherrima illa Esther, quæ veniam pro suo populo adeptæ est; Et altera Rebecca, quæ benedictionem pro minori filio, qui

peccatorem representabat, obtinuit. Ad hoc ergò cum festinatione per montana conscendit, vt peccatores iustificaret, & suo conditori conciliaret. *Abijt cum festinatione.* His verbis proprietates quædam & conditio iustorum aperitur. Iusti enim cum sint filii Dei, propriam Dei conditionem & affectiones imitantur, sicut & mundani homines dæmoni in suis actionib⁹ assimilari cupiunt, quia per peccata in dæmonis filios adoptantur. *Quod natum est ex carne, caro est. & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ioan. 3.* Quemadmodum enim leo, aut equus aliū sibi similem in natura & affectionibus generat: ita similiter turpis & carnalis homo non nisi turpitudinem & sensualitatem generat, nequè de alijs cogitat, etiam si gaudia cœlestia illi proponantur; ad eum modum, quo, si equo præstantissima fœcula, gallinas aut perdicæ apponeret, illis spretis proprium pabulum amplecteretur, ita sensualis nihil præter turpitudinem percipit, omnia alia execratur & fastidit. *Animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt. spiritualis autem omnia dijudicat. 1. Corinth. 2.* Iusti verò & spirituales homines, cum Dei conditiones ac proprietates assequantur, ea quæ Dei sunt, hereditario iure sibi vendicant: sicut enim Deus fortis, iustus, ac mundissimus est, eadem fortitudine, iustitiâ ac munditiâ pollent. Inter alias affectiones & con-

& conditiones, quæ in Deo erga hominem animaduertimus, hæc est præcipua, quæ illius bonitatem & maximū amorem erga hominem demonstrat. Cū enim hominibus beneficia confert, non ea lento pede, sed festinanter ac prope rato cursu largitur, in puniendo verò graui ac tardissimo passu incedens, suam indignationem exequitur ac manifestat; Quod ex sacris litteris apertè comprobari potest. Cū enim primi nostri parentes peccauissent, non statim diuinam ultionem experti sunt, sed ad aurā post meridiem tardo & quasi plumbeo pede ad eos aduentauit: Eodem passu ad puniendos Sodomitas progressus est. *Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint. Gen. 18.* Quibus verbis simulat se peccata Sodomitarum nō animaduertisse, & in illorū punitione ita tardè incesit, vt prius Abrahamum & Ieremiam sollicitauerit, ne forsitan orationibus iustam vindictam impedirent. *Nec assumas pro eis laudem & orationem: Et non obsitas mihi, quia non exaudiam. Ier. 7.* Similiter in creatione vniuersi hoc apertè ostensum est; totam enim hanc mundi machinam vnico momento propter hominem molitus est; sed in illius denastatione propter hominum peccata, per multorum temporum spatia detentus fuit. *Ego sum Deus Zelotes vindicans iniquitatem patrum in filios vsque ad terti-*

am & quartam generationem. & faciens misericordiā in millia hominū, qui diligūt me. Exod. 20. Vbi misericordia diuina ad millia hominū, hoc est, ad infinitos homines, vindicta verò tantū vsque ad tertiam & quartam generationem extenditur. Verū vt hoc accuratius perpendamus, notandus est; currus ille Ezechieli propheta in diuina visione demonstratus, quē illa quatuor mysteriosa animalia versus firmamentū velocissimè traherant *cap. 2.* Sanctus Gregorius per prædictum currum secundum Dei aduentum ad iudicandos; & puniendos peccatores intelligit; qui congruè ad nostrum propositum per currum representatur: Quia currus antequam ad nos aduenerit; prius cit cum volutis rotis maximum strepitum excitat, in quo lenta & morosa punitio peccatoris demonstratur; neque enim Deus primo quasi impetu facto peccatores opprimit, sed potius vt vindictam differat, & peccatores præmoneat, strepitum excitat, vt ad se reuersi, suam punitionem effugiant. *Stridebo super eos sicut stridet plaustrum onustum feno. Amos 2.* Egregiè planè his verbis nostra doctrina exponitur ac illustratur. Rustici enim cū ex pratis redeunt, & suos currus feno implent & aduehant, lentè suis equis incedentes, stridente plaustro omnes concitant ac perturbant. Ided vindicta Dei erga peccatores cū tarda sit, rectè per

currum prius stridentem indicatur. Maiori tamē ponderatione dignum est id, quod Sanctus Propheta in pedibus illorum animalium, qui trahabant currum, animaduertit. *Et pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum, sicut planta pedis vituli. Ezech. 1.* Septuaginta Interpretes sic vertunt. *Pedes eorum pedes alati, & planta pedis eorum, sicut planta pedis vituli.* Imprimis pedes illorum vt pedes vituli, non vt equi, aut alterius velocioris animantis apparebant; vt vltionis diuinæ tarditas manifestius ostendatur, non enim veloci ac celeri cursu, sed bouis aut vituli gressibus incedens, in peccatores inuehitur. *Sicut planta pedis vituli.* Deinde non sine mysterio hos animalium pedes alatos septuaginta interpretes nuncuparunt. Forsitan quia Cherubini speciem prædicta animalia referebant, vt indicat sacra scriptura, & idem ad vituli pedes alas gestantes, suā velocitate tanquam diuinæ iustitiæ internuncii monebāt, ac indicabant tarditatem diuini iudicii, antiquæ vitæ reformatione, & vitiorum extirpatione præueniendam esse, ne forsitan diuinæ iustitiæ curru mortales deprehensi illo oppressi occumberemus. *Non sic incedit Deus cum se nostrum benefactorem ostendit, sed festinanter beneficia hominibus concedit;* Idem cum Christus Saluator noster Zacheo benefacere voluit, sic eū alloquutus est.

Zachee festinans descēde: Luc. 19. Et iudæ proditori in prodicione prope-ranti dixit. *Quod facis, fac citius. Io-ann. 13.* Ac si apertius diceret. Iudæ, etiamsi in tui Magistri venditione ita festines, ego tamen pro empti-one & redemptione tua citius pro-pero; idem Christus Redemptor nos-ter interrogatus a pontifice respon-dere noluit, ne forsitan humani ge-neris salutem diu desideratam, & ab ipso ex animo concupitam retar-daret: propterea hodiernā luce mun-dum ingrediens, festinanter officium redemptoris, & primò circa Io-annem exequitur. *Abiit cum festinatio-ne.* Ex hoc primo redēptionis nostri Saluatoris fructu, maximus Chri-sti erga Baptistam amor ortum ha-buit, in illo enim primus fructus & primitiæ redemptionis splendidissi-mè micarunt. Idem Assuerus præ-cæteris sui regni ciuitatibus Susam diligebat, & singulis annis in ipsa splendidiora cōuiuia celebrabat, nō ob aliam causam, nisi quia suo regno & principatui initium dederat. Da-uid etiam erga ciuitatem Sion, quam peculiari amoris signo suam nuncupabat, summopere afficiebatur, quia illam ante alias occuparat, idem sacram testamenti arcam in illa deposuit, vt tantis illustrata bonis, celebri haberetur. Primam ergo ciui-tatem, quam Christus in hoc sæculi regno, triumphali pompā obtinuit, hæc fuit sanctissima Baptistæ anima, idem

ideo præ cæteris dilexit & præcipuis fauoribus profecutus est. *Et salutavit Elisabeth.* Hic elucet & aperitur maxima Beatiss. Ioannis prærogatiua, & Dei erga ipsum ardentissimus amor; neq; enim solùm Beatiss. virgo, sed etiã ipse Deus, quem suis viscerib. inclusum gestabat, Baptistã visitauit. Statim atque supremus huius vniversi artifex & dominus ex cælestibus palatiis in hæc terrarum sola descendit, Ioannem etiã in vtero latentem quærit ac visitat, quod factum ardentissimum Dei amorem indicat. Si enim Rex aut Imperator ciuitatem aliquam accederet, & statim ex equo descendens quendam illius ciuitatis nobilẽ visitaret, hoc maximum amorem & fauorem manifestaret, & multò maiorem imperator ostenderet, si pedibus laborans læticam vel currum peteret, vt ipsum in propria persona salutaret. Hoc ergò Deus in fauoris & amoris indicium cum Ioanne præstitit, ex cælestibus enim palatiis descendens, per postam quasi ad illius domũ properauit vt eũ visitaret, & cum pedes illum conuenire non posset, vtero Beatissimæ virginis tanquam curru & splendidissima carruca usus est, vt sic illum salutaret. *Et exultauit in gaudio infans in vtero eius.* Quamprimùm Beatissima Virgo salutauit Elisabeth, illius, ac Verbi Diuini aduentum Baptistã perſentiens, in vtero exultauit; Ita enim effica-

cia fuerunt verba salutationis, vt secum vim & operationem diuinam afferentes, maternum vterum, & infantis etiã in vtero latentis aures penetrauerint, ac illius animam ab originali culpa emundauerint; Ideò exultat infantulus, & ad Beatissimæ Mariæ sonitum ita lepidè & gratiosè saltat, quòd Elisabeth maximo gaudio impleuerit, & ad tales exaltationis voces concitauerit. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quibus verbis Euangelista effectum indicat, qui in homine, cui remittitur culpa, reperiri debet. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Quemadmodum enim de nulla alia re magis contristandũ est quàm de culpa mortali: Ita de nulla alia magis gaudendum, quàm de reparatione diuina per gratiam, cum homo ad pristinã Dei amicitiam reuocatur. *Reliquum est vt qui habent vxores tanquam non habentes sint, & qui sicut tanquam non sicut.* 1. Cor. 7. Nulla enim rerum temporalium iactura nostrum animum perturbare & contristare debet, sed sola Dei offensa lugenda & deploranda est, vt sic gratiã diuinã per dolorem in præſenti seculo acquisitã, postea gloriã in futuro digni inueniamur. Quã mihi & vobis concedat author gratiæ & gloriæ

I E S V benedictus in omne ævum. Amen.



Sermo



Sermo tertius.

PRO SALVTATIONE
Angelica.

Celebrat hodiè nostra mater Ecclesia visitationem Beatiss. virginis, longè sanè diuersam ab ea quæ à virginib. huius tēporis fieri consuevit; ista enim non ex charitate aut animi gratitudine, sed potius ex vanitate, ad vestitus superbiam, fucatam pulchritudinem, ac capillorum ementitos colores ostendendum, fiunt. In hac igitur Beatissimæ virginis honestissima visitatione quatuor personæ introducuntur, quibus in toto vniuerso nullæ excellentiores, aut maioris autoritatis inuētæ fuerunt. Duæ priores sanctissima Maria & Elisabeth extitère, inter quas hodierna visitatio facta fuit; Maria absque vlla sæ virginitatis iactura Dei etiã præstantissima mater extitit, ex quo infinitã dignitatem & excellentiam sibi comparauit. Elisabeth verò sterilis & iam senio confecta Baptistam cōcipiens, præstantiorem nostri sæculi hominem in lucem edidit. Aliæ duæ personæ in-

fantes fuerunt, ita tamen rari & prodigiosi, vt vnus illorum nunquam infantiles mores induerit; quia ab instanti suæ conceptionis plenum ac perfectum vsum rationis tenuit; alius tamen per sex tantum menses se vt infantem gessit. In hac visitatione noua ac inaudita geruntur; isti enim infantes adhuc intra matris vterum conclusi, sibi inuicem per signa loquuntur, & puer Iesus suæ infinitæ potentie indicia manifestè ostendit, cum alium puerum & iustū, & prophetam reddat. Præterea rem nostro sæculo rarissimam in hac Salutatione inuenimus: Duæ enim illusterrime ac nobilissimæ matronæ mutuis officiis se ipsas inuitant, ac in vrbantate excedere conantur, quod nostris temporibus, quibus superbia in tantum excreuit, inauditum est. Tandem omnibus prædictis mysteriis Zacharias obmutescit, forsitan vt insinuaretur tanta esse hodierna salutationis mysteria, vt linguã humanã proclamari non possint, cœlestem ergò linguã hoc breui temporis spatio postulemus. Dicnetes, Aue Maria.

*Exurgens Maria abiit
in montana cum festinatione Luc. 1.*

EXcellentia & laudes, quæ de aliquo proferri ac prædicari solent,
suum

S. CODRATUS

MARTYR.

10. Martii.

Fuga sæculi.

Si vis habere ministeria Angelorum, fuge consortia sæculi, & tentationibus resiste Diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in DEI memoriâ delectari. S. Bern, serm. 4. in Psal. Qui habitat.

Ora pro concipientibus bona desideria, et Adm & D.

Henrico Fuge

ELOGIUM

S. CODRATI.

Adeste, & aures advertite, qui Matrem, qui ube-

ra Mattis, & sinum clamatis
molliculi : suum etiam Super-
ris lac est. Matrem CODRAT-
us in cunis amisit; neque ta-
men non molliter est educa-
tus. Etenim nube miraculosâ
implicitum Numen fovit, &
Ambrosiâ, scilicet, enutrivit
delicatum. O pluribus, Cæli,
hanc instillate, plures ut CO-
DRATOS habeamus! Nimi-
rum à cælo lætatus cælum sa-
puit, cælum spiravit CODRA-
TUS, & cæli amore, etsi medi-
cus aliorum prolongaret, su-
am ipse tamen vitam, imò
mortem, contempsit. Ecce e-
nim verberant crudelem in-
morem CODRATUM torto-
res. Aërem, non CODRATUM

verberant. Nunc minas Jason
Praefectus , nunc blanditias
ingerit & promissa. Surdus est
Martyr. Raptatur cum sociis
ad supplicii locum. Adepulum
ire sibi visi sunt ; atque ut sci-
res , quanto gaudio imbuti,
cum cantu ivère , & illo, si Ju-
dices vel Caelitum aures ro-
gâsles , longè suavissimo. Jam
verò cùm capite sunt truncati,
gaudio demum diceret exsi-
luisse. Terra quoque applau-
dens, eo in loco, quem sangui-
ne pinxerunt , fontem reddi-
dit ; sed qui Christianorum,
pro Christo mori volentium,
non pelleret , sed accenderet
sitim. *Ex Surio.*

S. CODRATE,
ora pro nobis.

ORATIO.

EXaudi quæsumus, Domi-
ne, supplicum preces, &
devoto tibi pectore famulan-
tes perpetuâ defensione cu-
stodi; ut nullis perturbationi-
bus impediti, liberam servi-
tutem tuis semper exhibea-
mus obsequiis. Per Domi-
num,

suum valorem & auctoritatem ex persona eas proclamante sortiuntur, & dum ista præstantior ac excellentior fuerit, ipsæ quoque laudes præstantiores erunt, quia, vt Hispanus Orator rectè asseruit, verba ex proferente suum valorem & auctoritatem accipiunt, ideò dicebat Seneca. *Turpe est laudari à turpibus.* Hinc Alexander cùm quadam die Achillis sepulchrum visitaret, sic exclamauit. Inuideo tibi inuictissime ac felicissime iuuenis, cùm ita fortunatus extiteris, vt viuens Patroclum amicum sortitus fueris, & post mortem ad tua egestia facinora proclamanda Homero merito potus sis. Idem de Beatiss. Baptista exclamare possum⁹, cū ita fortunatus fuerit, ut pro suis laudibus proclamandis & extollēdis totius orbis præstantioribus & maioris auctoritatis personis potius fuerit. Primus qui illius laudes proclamauit, Archangelus Gabriel fuit, idem qui felicissima Dominicę Incarnationis nūtia mundo detulit; iste postquam in essentia diuina vniuersas Baptistę prærogatiuas conspexit, Zacharię parenti suo, etiam ante Ioannis conceptionem enarrauit: Et quia Zacharias Archangelo fidem non præstitit, sic Deo permittente per nouem menses obmutuit, vt ipse incredulis prærogatiuarū Ioannis ppetud in exemplum proponeretur. Secundus qui Baptistę laudes prædicauit fuit ipse filius Dei, qui quadam die

ex professo illius laudes profundissimā quadam concione proclamauit, quod sanè maxima ponderatione dignum est, Quia Christus Saluator noster tantum triginta & tribus annis inter mortales commoratus fuit, trib⁹ verò salutis nostrę doctrinam evulgauit, his tamen laudum Baptistę obliuisci noluit, sed certam horam sibi elegit, vt S. Ioannis excellentias toti mundo denuntiaret, etiam si ad alia secretiora mysteria manifestanda in hæc terrarum sola descendisset. Nec Christus aliquando ipsi loquutus est, aut ipsius nomen vsurpauit, nisi eius personam extollens & ad cælum vsque eximiis laudibus efferens, ac tandem sermonem his verbis absoluit. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Matth. 11. Tertio qui Ioannis laudes prædicarunt, quatuor Evangelistę extiterunt, & hæc prærogatiua inter præcipuas illius excellentias annumeranda est, quòd videlicet eius historia & præclarę illius virtutes ex Euangelio colligantur, non ex aliis authoribus vel originalibus, sed ex solo Euangelio deprecanda sunt: Balsamus iste diuinus ex quatuor illius fontibus, nempe Evangelistis emanare debet, qui omnes à laudibus præcursoris Euangelii historiam exorti sunt, in quo maximam prudentiam, ex peculiari Spiritus Sancti directione manifestarunt. Domus enim præcipuæ, quæ

Z

ad

ad Principum & illustrium virorum habitationem eriguntur, semper externis, & specialiter in ingressu domus pulcherrimè elaborantur, iam erectis marmoreis columnis, Principum stematibus depictis, quia ianua, si artificiosè extruatur, totā domum illustrat & splendidissimam reddit. Nam si pro palatio Regis parua quædam ianua erigeretur, tota sanè palatii structura indecora esset, & sine vlla prorsus pulchritudine, ided magnis sumptibus iaspides, marmora, & alii maioris æstimationis lapides ex longinquis partibus aduehuntur, vt ex externa domus magnificentia & apparatu, interna illius præstantia animaduertatur. Hæc ergò ratio Evangelistas sine dubio movit, vt statim in ipso Evangeliorū aditu ac ingressu, Baptistam tanquam totius historię portam pulcherrimè elaboratam proposuerint, ac illius miraculosam conceptionem, parentes, & eorum qualitates, vitam, prædicationem, & mortem accuratè enarrauerint, vt ex mirabili huius splendidissimæ portæ structura, internæ dōus præstantiam agnosceremus; ex magnitudine enim & nobilitate servorum, ac illustri comitatu, altitudo & excellentia Domini apertè manifestatur. Ex Baptistâ ergò, quem tanquam Deum & Messiam venerabantur, Evangelii amplitudo, & illius auctoris excellentia demonstratur, ided Evangelis-

ta suam historiam à laudibus Ioannis exorsi fuerunt. Hæc sanè est vna ex præcipuis Baptistæ prerogatiuis, quòd scilicet pro suarum virtutum præconibus eisdem vtatur, quibus Christus vsus fuit. Quare in hac concione nihil ex meo adducam, solùm ea, quæ ab Evangelistis dicuntur, fideliter referam, quia illi soli huius creatura præstantiam & excellentiam depingere sciunt. Ad cuius propositum illud Alexandri Magni rectè consonat, cum publico edicto præcepit, vt nullus nisi Apelles & Lissippus eius effigiem depingere auderet: ita similiter noluit Deus, vt alius præter Evangelistas aut Spiritus Angelicos illius imaginem exprimere aut deducere tentaret, prædicatores verò cortinas tantùm auferunt, vt hæc elegantissima imago ab Angelis iam & Euangelistis depicta, in lucè prodeat. Aut ergo Euangelista: Exurgens autem Maria in diebus illis. Dies isti tempus annuntiationis indicant, cum Beatissima Maria consensu præstito, celestem Paranympum dimisit, tunc enim contemplationibus diuinis occupata, ac flexis genibus pro tanto beneficio debitas gratias rependens, quæ primùm suæ cognatæ Elisabeth recordata fuit, & quòd filium diuino munere ac miraculosè in senectute concepisset, relicta oratione statim surrexit, & cum festinatione Iudææ montana

con-

conscendit, vt illam visitaret, *Exurgens Maria &c. Myſteria, quæ his verbis continentur tanta ſunt, vt vix humana lingua attingi poſſint, ad modum enim aureæ catenæ ita connexa ſunt, vt vix diſcernere poſſimus, quodnam illorum maius & eminentius ſit. Imprimis dictum Evangeliftæ maxime admiror, ait enim virginem ſanctiſſimam cum feſtinatione montana Iudææ conſcendiſſe, cum aliàs Beatiffi. Maria lento ſemper ac graui paſſu proceſſerit, nec ſine grauiſſima cauſa ſecreta ſui oratorii ſilētia deſeruerit, modò tamen, vt Evangelifta teſtatur, clauſurâ violauit, & per montana cum feſtinatione conſcendit. Sine dubio peculiariſſimum myſterium hîc latitat, & noſtro iudicio illud erit. Nam cum Deus peccata condonare vult, quaſi per poſtam velociſſimè currit, & quia peccatum originale Ioannis delere voluit, mediâ ſuâ ſanctiſſimâ matre feſtinanter per montana properauit, & iam ita vtiſit, vt extra communem paſſum celeriter progrediretur. Feſtinationo hæc & concitatus grefſus Beatiffimæ Virginis proprietatem quandam Delphini in memoriam reuocat, de quo refert Ariſtot. lib. 9. de hiſtoria animalium. Et Plinius lib. 9. naturalis hiſtoriæ animalium. cap. 6. Quodd Delphinus eſt omnium animalium velociſſimus, acrior volucre & acrior tello, agilitate enim volucres ſuperat, & morus*

vehementiâ & impetu tellum præ excellit; Huic aquatili animali aliud terreſtre Gallipès nuncupatum directè opponitur, ita enim tardè incedit, vt vix per diem quinque, aut ſex paſſuum viâ conficiat. Hinc quidam philoſophus, cum regulas rectè viuendi ſuis diſcipulis traderet, ſic prudenter dixit. *In vltione Gallipedibus, in benefaciendo Delphinus aſimilemini.* Contrarium noſtris ſæculis euenire cernimus, quia homines in benefaciendo tardi ac pigri ſunt, in malis verò Delphinum imitantur. *Veloces pedes eorum ad eſſundendū ſanguinē. pſ. 13. Vt eleemolyſis pauperis neceſſitatibus ſubueniāt, vix vnum aut alterum nummum reperient, in aliis tamen quæ ad mundanam pompam & ſuperſtuitatem ſpectant, omnia eis ſuppetunt, ad vindictam pedes eorum velociores ſunt, quàm ad iniurias cōdonandas. Pedes enim eorū ad malum currunt & feſtinant, vt eſſundant ſanguinem. Proverb. 1. Deus noſter alio modo nobiſcum procedit, quia vt erga nos beneficus ſit, velociſſimus, in puniendo tamen tardus eſt, neque enim cum peccamus fulmina ſtatim in nos vibrat, aut fulgure conſumit, ſed penitentiam expectat, at vt bona conferat, Delphini agilitatem imitatur. Quod ex ſacris litteris grauius confirmari poteſt, *Exodi 25. Vbi præcepit Deus, vt ſuper arcam fœderis propitiatorium ſtatueretur, id eſt, locus quidam ad**

Z 2 ignoſcen-

ignoscendum & condonandum destinatus. Præcepit etiam vt ad illius latera constituerentur duo Cherubim, qui suis alis tãquam sedili quoddam ei inseruient, vt ex tali loco Sacerdoti loqueretur, & populo peccata condonare posset, quod planè hieroglyphicum quoddam fuit, quo Deus nobis apertè indicare voluit, quã velocitate & agilitate ad remittenda peccata properet; vt enim ex sacra scriptura compertum est, equi quibus Deus insidet sunt Cherubim iuxta illud. *Ascendit super Cherubim. Ps. 17. Qui meritò illi equi nùcupantur propter subtilitatem & agilitatem cogitationum, quibus præditi sunt. Et licet hoc ita sit, adhuc Deus alatos ad latera propitiatorii constitui præcepit, vt suam velocitatem in condonandis peccatis manifestaret; Ideò Deus super propitiatorium sedebat, vt clarè cõstaret, quàm promptus ac celer est ad beneficiendum & delendum hominũ peccata. Olim præcepit Deus Esaia, vt diceret Prophetis- læ quæ filium peperit. *Voca nomen eius; Accelera; detrahere, festina pradari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci. cap. 8. Hodiè hæc propheta impleta est, cùm puer lelus etiam intra materna viscera inclusus, per postam quasi ac festinanter properet, vt demoni spolia detrahat, animam scilicet Beatissimi Baptistæ, quæ per peccatum origi-**

nale sub potestate illius erat. Hodiè ergò luce antequam puer iste suum patrem ac matrem vocare possit, Damasci fortitudinem euertit, cùm Ioannis peccatum deleuerit; Et hæc est causa, quare Maria sanctissima cum festinatione montana Iudææ conscendit. *Vobiscum loquor, charissimi filii, nonne dolendum ac deplorandum maximè est, quòd Deus noster ita in iustificatione nostra properet ad peccata nostra remittenda, & quòd nos ex proposito & ex professò in nostris sceleribus detineamur, ac si Deo de nostro modo vivendi strictissimam rationem non essemus reddituri? Hoc planè maximum malum est, & Christi lachrymis, quæ super Ierusalem effusæ fuerunt, miserè lugendũ ac deplorandum. Aliqui enim peccatores existunt, qui suis sceleribus ita ex professò cohabitāt, ac si statum quendam vel matrimonii vel religionis elegissent, qui per totam vitam durat, nec nisi per mortem dissolui potest. Cernite animis carnalem peccatorem luxuriæ, ac venereis delectationibus editum prius senectute confectum, quàm lasciuia & turpitudine factum. *Nostri etiam sæculi mercatores cõtemplemini, qui si alienis bonis, quibus tanquam propriis vtuntur, spoliandi essent, cornicem imitarentur, quæ alienis plumis vestita, & ab aliis aibus quibus detraxerat spoliatã, tandem nuda remanet, præ-**

tereo

tereo nobiles iuvenes huius temporis prorsus effeminatos, qui intortis crinibus ac prolixâ cæsarie incedentes, virilem in fœmineam naturam comutarunt. Alios silentio prætermitto detractores planè ac irrifores, qui in sceleribus jam diù detenti ac volutati cœlorum cursus metuntur. O miseri Pharaones ita sceleribus vestris inhaerentes, vt neque etiam ranis vexati, vocem Moysi auscultare velitis, semper pœnitentiâ de die in diè protraquentes. *Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra* ps. 94. *Exurgens Maria abiit.* Notanda sunt illa verba *Exurgens Maria*, quæ mysteriis referta sunt, indicant enim Mariam sanctissimã ad supremam altitudinem eleuatam fuisse. Maria exurgit, & Deus ex cœlestibus palatiis descendit, ipsa in montana conscendit, & Verbum Diuinum in maternum vterum deprimitur, ita hoc perpendit sanctus Augustinus. *Tu ad liberandum suscepturus hominẽ, non horruisti virginis vterum.* Et ponderatione sanè dignissimũ est, quòd ipse gloriæ & Angelorum Rex vt hominem à culpa liberaret, ita se ipsum deiecerit, vt naturam nostram induens, virginis vterũ non horruerit. Sed mirandum non est, quia virgineus Mariæ sanctissimæ vterus cœlestis quidam paradísus erat, in terra nostra plantatus; quare si Angelorum supremus Dominus in hæc terrarum sola descensus erat, nullus

locus honestior, ac tantã maiestate dignior præparari potuit. Duo olim, quæ de altiss. Deo dicebantur, mysteriũ incarnationis creditu difficilè reddebant, imprimis quòd Deus ascendere non potest; quia si ascenderet, iam aliquid Deo altiùs reperiretur. Secundò, quòd descendere non possit; quia si descenderet, iam aliquid suæ autoritatis ac supremæ magnitudinis amitteret; hæc igitur in præfenti festiuitate conueniunt, & facillè percipiuntur. Deus enim absque vlla suæ infinitæ Maiestatis iactura in vterum virginis descendens, verus homo effectus est, ex quo postea Maria sanctissima ad infinitam Matris Dei dignitatem euecta est, & hoc insinuât relata Euangelii verba. *Exurgens Maria*, quæ in mystico sensu denotant Beatissimam virginem ante supremam Matris Dei dignitatem acceptam inter alias creaturas sedisse, postea verò in Matrem Dei exaltatã. *Exurgens Maria abiit in montana.* Id est, suprã omnes creaturas ad superiorem lineam ac montes altissimos eleuata est: Idèd forsitan Elisabeth eam beatã appellauit, quia infinita Matris Dei dignitate decorata, iam altiorem lineam & statum inter creaturas sortitur. Beata planè nuncupanda est, quæ enim maior beatitudo, quàm in veram Dei Matrem eligi & exaltari? Hanc dignitatem infinitam vocat Doctor Angelicus, quia ex Verbo Diuino ad

Z ;

quod

quod terminatur, infinitatem quantum sortitur, Et addit Doctor sanctus, meliorem matrem nec dari, nec excogitari posse, cum Filius Diuinus, quem maternitas ista respicit, omnes creaturas infinitè antecellat. Perpendite quæso modò profundam humilitatem Beatiss. Mariæ, quæ cum ad tantam dignitatem & honorem euecta esset, & illius uerterus in aula cælestem commutatus fuisset (ubi enim Rex assistit, ibi tota aula commoratur) ut constat, cum Reges paruum etiam oppidum ingrediuntur, Magnates & Principes eos comitantur, consiliarij & legati sequuntur, ubi, si opus est, grauissima regni negotia pertractant, aulici etiam splendidissimis vestibus incedentes, Regis potentiam ostentant: Ita accidisse existimandum est, cum vnigenitus Dei filius ex sinu patris in virginis utero, tanquam in cælum empyreum descendit, quem absque dubio tota cælestis curia comitata est, ibi totius orbis grauissima negotia decisa & definita sunt, Quæ omnia licet cognita fuissent à Beatiss. virgine, ita tamen humilis erât, ut exurgens cum festinatione uisitare Elisabeth. Hæc est differentia inter huius sæculi magnates & inter iustos, qui coram Deo Principes sunt. Illi enim nulli fixo fundamento nituntur, quamprimum evanescent, & superbiâ elati incommunicabiles & inhumani fiunt, sicut ille iudex, de quo meminit Lucas

cap. 26. quem, cum vidua quædam conuenisset, ut iustitiam exposceret, vix eam audire dignatus est, quia ut ille de se ipso affirmavit, nec Deum timebat, nec homines verebatur, ita iudex iste etiam parui momenti dignitate obtentâ superbiebat. Eadem superbiâ intumuit Pharaos, cum Moyses & Aaron ex parte Dei eum conuenirent in eadem postulantes, ut populum dimitteret ad sacrificandum, tunc enim elato spiritu sic eos affatus est. *Quis est Dominus ut audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum Israel, non dimittam.* Exod. 5. Ac si diceret. Neminem tanquam superiorem recognosco, ego sum supremus Dominus à nemine in meo regno dependens. *Quis est Dominus ut audiam vocem eius? Non dimittam Israel.* Huius conditionis sunt huius sæculi Magnates, superbiâ & vanitate in suum conditorem insultantes, Non sic primates & principes à Deo constituti, sicut David, qui indignum se existimans ut Saulis gener fieret, sic aiebat. *Quis sum ego, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut siam gener Regis?* 1. Reg. 18. Sanctus Propheta in hoc matrimonio cum filia Saulis contrahendo, se ipsum considerauit ac humiliter circumspexit, & dixit. *Quis sum ego, & quæ est cognatio patris mei, ut siam gener Regis?* ac si apertius diceret. Nullam in me præstantiam animaduerto ratione cuius tanto honore affici possim. Vterquè erat Rex & pharaos

rao & David. sed **S.** Propheta Dei manibus, nutu ac voluntate ad regiam dignitatem euectus fuit, idem tam humiliter de se sentiebat, ita ut sapius coram Deo, cui internæ cogitationes patent, dicere auderet. *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei* &c. Ps. 130. Quibus verbis fitebatur neque regia dignitate sublimatum, aut tot triumphorum trophæis, vel partis ab hostibus clarissimis victoriis, ita superbiam euasisse, ut suos aliquando despexerit. Hæc interna animi demissio etiam in prudentissima Abigail clarissime enituit, cui cum nunciaretur, Regem velle eam in matrimonium ducere, ipsa tanto honore indignam se existimans, humiliter respondit, se non illius sponsam, sed ancillam fore, ut pedes suorum seruorum lavaret, & propriis manibus abstergeret. Ita igitur B. Virgo, etiam si infinitam matris Dei dignitatem & excellentissimis gratiarum donis exornata esset, admodum humilem se ostendit, ut per motam cum festinatione concenderit ad seruiendum & salutandum Elisabeth, quæ Zachariæ domum ingressa, ipsa primo suam cognatam salutauit. Hoc plane factum vanitatem huius sæculi funditus evertit; Solent enim nobiles & illustres viri, vel qui in aliqua dignitate constituti sunt, ita suis titulis superbire, ut non prius aliquem salutent, quam ab illo salutentur, etiam si iuiores existant, sed ista non verum, sed confictam nobilitate dotati sunt, quia illustres viri animaduertentes,

honorem in honorante situm esse, urbanitatis officiis ceteros, præcipue seniores præcedere tenentur. *Corinthiano capite consurge*. *Leuit. 19.* Sic Beata Virgo etiam si domina, officio tamen humanitatis seniore cognatam præuenit. *Et salutauit Elisabeth.* Non quidem gentiliu more manus aut pedes osculata est, sed humanissimam salutationem eam charitatiuè salutauit. *Dominus tecum.* Quo exemplo & profana nostri temporis salutationes, & superba nobilitati faminarum ceruices deprimuntur ac humiliantur, quæ suam nobilitatem iactitantes, urbanitatis officiis præueniri volunt. *Intrauit domum Zachariæ.* Domum etiam Elisabeth ingressa est, quia domus illa ad Zachariam pertinebat, sit tamen metio solius Zachariæ, quia vir totius familiæ caput est, & ad illum deus regimen spectat. Animaduertitio tamen dignum est, quod in hac visitatione domus Zachariæ mærore simul ac gaudio impleatur; gaudio quidem ex Baptiste conceptione, & ex noua in vtero sanctificatione, tristitia vero, quia Zacharias obmutuit. Hic modus agendi aperitur, quo Deus suos amicos in hac vita tractare solet, gaudium enim cum mærore iuxta huiusmodi constitutione permiscet. In illo enim neque poena tantum, alias infernus esset, neque sola gaudia inueniuntur, cum hæc pro celesti gloria seruetur, omnia ergo in hoc sæculo permixta sunt, & sic a Deo suis amicis conferuntur, idem in domo Zachariæ in qua amici habitabant.

ma-

mala cū bonis permiscuntur. *Et factū est vt audivit salutationē Mariæ Elisabeth, exultavit in gaudio infans in vtero eius.* Verba quibus Beatissima Virgo salutavit Elisabeth ita efficacia fuerunt, vt secum Spiritum Diuinū duxerint, ac statim suam operationem sortita fuerint, etiam per materni vteri penetrationem vsque ad locū, vbi sanctis. Baptista peccato originali inuolutus detinebatur pvenierint, vbi postquā verba salutationis audivit, nouā quadā exultatione ac spiritu comotus, intra materna viscera saltare cepit. In quo impletum est id, quod ab Angelo de Ioanne prænunciatum erat, scilicet ab vtero matris suæ Spiritu Sancto replendum fore. Magnum sanè Baptiste priuilegium! Deus enim vt eum à culpa originali sanaret, non expectauit vt ab vtero matris egrederetur, sed intra materna viscera per gratiam sanctificantem à culpa originali curauit. Christus Salvator noster nostrarum animarum medicus extitit, & propter hoc in mundū venit: Hæc ergo fuit magnitudo & excellentia Baptiste, quod inter omnes infirmos primus extitit, quem Christus in hoc mundo sanauit, idè in illo præstantiam expertam suæ artis ostentauit. Si aliquis famosus & egregius medicus de nouo ad aliquam ciuitatem adventaret, & præcipuus illius ciuitatis proponeretur, vt in eo suæ artis peritiam ostenderet, absq;

dubiototis viribus eum sanare cōaretur, vt sic suum nomen celebraret, ac famam longè latèque diffunderet: Sic Christo nostrorum animorum peritissimo medico contigit. Nam cū primò hanc mundi machinam ingressus est, præcipuus inter pueros homines ei propositus fuit, vt in eo curando suæ artis peritiam manifestaret, quem sanè tanto ingenio & eruditione curauit, vt antequam hac externa luce frueretur, interna gratiæ luce potitus fuerit. Hortulani vt fructus citius maturescant, aqua calidā arborum radices irrigare solent: Beat. Ioannes fructus ac diuina arbor fuit, plantata tamen in in sterili & infæcunda terra S. Elisabeth, vt ergò vsus rationis tanquam fructus suauissimus maturesceret, Spiritus Diuini aqua sui pectoris igne calefacta, illius radices irrigandę erant, idè atbor ista ante tempus vsu rationis accelerato, vberes ac maturos fructus præbuit. Nam in eo statu beneficium sibi præstitum agnouit, quod nusquam alicui sanctorum concessum est. Periti aucupes diuersis modis aues capiunt, iam in aquis, modò in terra retibus deludunt, deinde in aère percutiunt tandem in nido deprædari solent: Sic Christus Dominus auceps diuinus Petrum & Andream in aquis cepit, cūm retia in mare mitterent, Apostulum Paulum humi deprehendit, bonum latronem in aère pendentem

tem Ioannem verò in nido deprædat-
 us est, vbi in domo Domini tâquam
 vnus ex domesticis & fidelioribus a-
 micis destinatus est, nec tamé, etiam-
 si jam vsu rationis valeret, materni
 vteri nidum de reliquit, sed ibi ex di-
 uina dispositione permansit, vt me-
 liùs rebus diuinis instrueretur, ad eũ
 modum, quo curiosi auicularum in-
 structores efficere solent, cum auic-
 ulas instruunt, in caueis enim iuxta
 alias eiusdẽ speciei reponunt, vt sic
 aliarum cantum meliùs imitentur.
Exultauit in gaudio infans in vtero meo.
 Sanctissimus Ioannes propter duo
 in vtero materno exultauit. Primò,
 quia à peccato originali liberatus fu-
 it, nihil enim in mundo iucundius
 excogitari potest, quàm pax & tran-
 quillitas animi, quâ potitur homo,
 cum à peccato liberatur: E contra in
 peccatore nulla vera lætitia reperiri
 potest, quia stimuli conscientie ita
 vrgent, vt tanquam vultures viscera
 arrodant ac deuaſtent, vt in Cain a-
 pertum fuit, qui præ matore & tristi-
 tia vix cælum intueri audebat, *Qua-
 re concidit vultus tuus? Genes. 4.* Et id
 apertè sibi accidisse testatur Prophe-
 ta sanctus, cum in peccatis detinere-
 tur. *Miser factus sum, & curuatus vs-
 que in finem, tota die contristatus in-
 grediebar. Psalm. 37.* Postèa verò cum
 gratiam postularet, eam sub nomine
 lætitiæ deprecabatur. *Redde mihi læ-
 ritiam salutaris tui. Psalm. 50.* Quia sola
 gratia animam nostram quietat, &

verâ letitiâ replet. Secundò exulta-
 uit in vtero, quia Deum nostrâ mor-
 talitate indutum, quod tantoperè
 propheta desiderabant, oculis diuino
 Spiritu illustratis aspexit. *Abraham
 exultauit vt videret diem meũ. Ioann. 8.*
 Sed non sicut sanctus Baptista Incar-
 nationis diem vidit; Iste enim per-
 spicaci visu maternum etiam vterum
 penetrans, corpus Christi in minima
 & imperceptibili fermè quantitate
 nituitus est. *Hic venit in testimonium,
 vt testimonium per hiberet de lumine,
 vt omnes crederent per illum. Ioann. ca-
 pite 1.* Vt mediâ fide charitate infor-
 mata, omnes credentes gratiam ac-
 quiramus in præſenti, & gloriam in
 futuro, quam mihi & vobis præſtare
 dignetur Iesum Christus. Amen.



NOVVS DI-
 scursus circa eandem
 festiuitatem.



Va est ista qua ascendit si-
 cut aurora consurgens,
 pulchra vt luna, electa vt
 Sol? &c. Cant. 6. Sapien-
 tissimus Rex Salomon
 hic ad litteram de Ecclesia loquitur,
 sed in mystico sensu non incongruè
 præ-

A 4

prædicta verba juxta sanctorum Patrum explicatione B. Virgini tanquã præcipuo membro Ecclesię in præsentii felicitate accommodari possunt. *Qua est ista qua ascendit quasi aurora consurgens?* Ac si apertius diceret. *Qua est ista pulcherrima virgo, quæ hodiernã luce per môtana ludæ tam celeriter ac venustè incedit? Quasi aurora consurgens?* Ad eum fermè modum conscendit, quo aurora progreditur, cū primo diluculo solis radios ac micantem splendorem prænunciat; aurorã enim aduētante, noctis tenebræ fugantur, & vicini solis aduentus apertis indicis demonstratur. Quis, inquit Bernardus, mirabiles lætissimę auroræ effectus, præcipuè cum verū tempus immet, nõ cõsiderat? omnes creaturæ illius jucundissimo aspectu reuiuiscunt, terrestria animalia exultant, & per colles ac valles cursitando internã hilaritatem manifestãt, auiculæ etiam garritu suauissimo aëra cõcrepãtes, modulorũ varietate suauissimum cõcentum excitãt, prata viuentia diuersis florib. decorata rident, ac odorum fragrãtiã omnium animos recreant & delectant, tandem omnes creaturæ auroræ gratulãtur. *Quasi aurora consurgens.* Ita sanè B. virgo cum montana ludæ conscendit, tanquam altera aurora fulgentissima, totum vniuersum nouo gaudio & tripudio impleuit, vt insinuauit Propheta Dauid. *Lætentur celi, & exultet terra. Psal. 95. Flumina plaudent manu, simul montes*

exultabunt à conspectu Domini. Psal. 97. Quibus verbis Propheta sanctus vniuersalem omnium creaturarum lætitiã ostēdit. *Pulchra vt Luna.* Imò pulchrior lunã nuncupanda est: Quia nullo vnquam tempore in illa aliquale culpæ decrementum inuentũ est, sed gratiæ & virtutum maxima incremēta, quib. omnes simul sanctos, ac beatos Angelos infinito quasi intervallo superauit. *Et rectè quidẽ illius pulchritudo lunæ comparatur;* Quia iste plãeta inter alios, terræ proximior est, ex cuius influentia variã utilitates plantis & arboribus accrescũt. Sic ex Beatiss. virgine, quia nobis proxima est, inter nos, & ex nostris nata, varia commoda, utilitates & maiora beneficia suã intercessione parata, singulis momentis experimur. *Electa vt Sol.* Sol inter ceteros planetas primatum tenet, & est quasi principium lucis, à quo reliqui illuminantur, illustrantur ac nouã lætitiã perfunduntur, idèd in medio eorum ab authore naturæ constitutus est, vt illius virtus & influentia ad omnes extendatur. In hæc etiam inferiora vis & efficacia solis deriuatur, vt corpori effectus in lucem prodeant, quare meritò pater viuentium appellatur. Sic ergò B. Virgo, quæ solis iustitiæ mater extitit, tãquam sol fulgentissimus à Deo electa est, à quo tantã gratiæ lucem sortita fuit, vt inter omnes creaturas, & Dei opera primum locum sibi vendicans, in omnes suã pulchri-

pulchritudinis ac eximii splendoris radiis diffundat, medium etiam locum inter Deum & creaturas obtinet, quia, vt inquit Damascenus, supra se solū Deum habet & infra se quidquid non est Deus. De hac ergo pulcherrima & sanctissima Virgine ait nostrum Euangelium. *Exurgens abiit cum festinatione.* Communis sententia philosophorum est, quod si corpora caelestia non mouerentur, statim uiuentium generationes cessarent, quia tunc sol, qui generationum pater est, immobilis persisteret. *Sol & homo generant hominem.* Sol est quasi terra maritus, illius namq; calore & influentiā terra fecundatur, vt maturos fructus producat. Inter alios titulos, qui propriis Beatissimæ Virgini attribui solent, vnus est, & maiori proprietate illi competens, cū cælum nuncupatur. Quia sicut cælum peregrinatum impressiōnum incapax est: Ita hoc empyreum ac crystallinum cælum, Maria nempe sanctissima, nihil terrenum admisit, à quo in gratia & amore distino retardaretur, vt semper sine termino cresceret. Et quemadmodum ex sententia Arist. 2. De gen. textu. 20. cælum ex natura sua non est in-
corruptibile, sed solūm quasi ab extrinseco, quia contrario caret: Ita etiam hæc caelestis Angelorum Regina non erat ex propria natura impeccabilis, sed ex gratia diuina, à qua sanctificata fuit, eo modo, quo possibile erat, &

congruebat, vt purissima & mundissima habitatio Dei existeret. Et sicut cælum suo continuo motu terram fecundat: ita Maria sanctissima, quæ spirituale cælū est, suā intercessione terram nostram fecundat, animabus etenim nostris in necessitatibus præcipuè spiritualib. subsidia abundantissima præstat. Quemadmodum etiam potentia in præsentia suorum obiectōrū magis ad proprias operationes excitantur. V. g. visus in colorum præsentia, gustus, cū suauiores cibi proponuntur, auditus, cū concentus & musica percipitur; Et si hoc ita est, verum etiam erit pauperis miseriam, diuitis liberalitatem excitare. Quid ergo hodiernā luce cælum hoc splendidissimum per motum raptum ita festinanter per Iudææ montana duxit, nisi spiritualis Baptistæ necessitas? per culpam enim originalem ligatus Ioannes intra materna viscera detinebatur, idē Maria Sanctissima intra mundissimum vterum authorem gratia gestans, festinanter properat, vt per suam vocem, quā salutauit Elisabeth, tanquā per aquæ diuinæ ductum Baptista à culpa originali liberetur, & consequenter iustificetur. Exultauit in gaudio infans in vtero meo. *Luce capite 1.* Statim atque Baptista vocem Virginis audiuit, intra vterum exultauit. Fuit Sanctissima Maria quodammodō instrumentum con-
iunctum Diuinitatis, quæ per la-

bia & salutationem Mariæ gratiam Joanni communicauit. Et quemadmodum cessante motu cœli, nulla generatio in his inferioribus exerceri potest: Ita similiter sine motu & uisitatione Beatiss. Virginis, quæ cœlum est perlucidum & crystallinum, anima Ioannis sterilis & sine gratiæ fructu permaneret; Olim cum Saul à malo spiritu vexabatur, David tollebat citharam, & percutiebat manu suâ, & resocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus. 1. Reg. cap. 16. Vbi factum hodiernum propriè explicatur. Nam Christus Redemptor noster & uerus Dauid hodiè aliam citharam longè præstantiorem tulit, nempe purissimam Virginem, & manu suâ percutiens, uerba salutationis suauissimè resonantia protulit, quibus peccatum originale Baptistæ, quod erat illius malus spiritus, fugauit. Et resocillabatur Saul. Tunc infans à peccati uinculis solutus, præ gaudio exultauit in utero materno. Exultauit in gaudio infans in utero meo. Auctori huius gratias agens, & Virgini etiam tanquam instrumento, quo medio tantum bonum illi communicatum fuit. Hodiè verificatur id, quod Spiritus Sanctus nomine Beatiss. Virginis decantat Eccles. 24. Ego sicut aqua ductus exiui de paradiso: Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. O sanctissima & purissima Virgo, ex quonam

paradiso egressa es ad hortum plantationum irrigandum? Non ex alio planè quàm ex tui cubiculi & oratorii secretissimo silentio, ubi diuinis ac profundissimis contemplationibus circa mysterium Incarnationis detenta eras, ad uisitationem hodiernam egressa es. Ex hoc ergò silentii loco tanquam aquæ ductus, & aquæ crystallinæ fons perennis, & inexhaustus ad hortum, & illius plantas irrigandas oritur. Hortus iste sanctissima Elisabeth fuit, priores uerò plantæ pulcherrimæ, quæ diuinæ gratiæ pluuiâ floruerunt, potentis sanctissimi Baptistæ exiterunt; omnes enim cœlesti pluuiâ, quæ ex hoc fonte emanauit, illustratæ ac recreatæ fuerunt, quod apertè constat ex medicorum doctrina. Creatura enim dum est in matris utero, ab ea nutritur, alitur ac conseruatur, & ad illius motum mouetur: Cum ergò Beata Elisabeth uirgine eam salutate, Spiritu Sancto repleta fuerit, Baptista etiam ad motum ipsius, id est, nouam infusionem gratiæ exultauit in utero; Quia sanctissimi infantis intellectus fidei cognitione illustratus fuit, & illius uoluntas amore diuino inflammata, memoria diuinis beneficiis gratissima, ac illius anima gratiâ diuinâ decorata fuit. Quod in sensu mystico Beatissima Virgo his uerbis insinuauit. Inebriabo prati mei fructus. Mirabilis planè exaggeratio, quæ indicat se quodam modo

modò suum filium inebriasse, vt filius sua abundantia, charitate, & infinito amore sanctificatione Baptiste operaretur, ad quod præstandum Beatissima Virgo tam à proprio filio, quàm Spiritus Sancto edocta, montana Iudææ cum festinatione confcédit, quia ad hoc venit lux vera, Christus scilicet in mundum, vt dissoluat opera diaboli atq; ipsum devastet & destruat, *Nunc princeps huius mundi eicietur foras. Ioannis 12.* Cuius sanctissima Maria verum instrumentum extitit. Mirandum tamen est, quod hodiè Beatissima Virgo, cum matris, vt inquit Ambrosius, nostræ vitæ exemplar sit, & omnium virtutum disciplina, orationem & contemplationem relinquat, vt hoc officium pietatis erga Ioannem exerceat, præcipuè cum mysterium Incarnationis, cuius profundissimâ meditatione tenebatur, inter omnia excellentissimum ac supremum sit, in cuius consideratione Spiritus Angelici, etiam superioris Hierarchie hærent & stupent. Mirari tamen desistemus, si perpendamus verissimâ doctrinam, quam virorum spiritualium animis firmiter affixam esse vellem. Qui enim oratione aut contemplationem omittit, vt necessitati spirituali proximi subueniat, non ideò Deum relinquit, cui per ardentem contemplationem inhærebat, sed tantùm exercitia & manus commutat, vt vtraque, & actiua &

contemplatiuâ vitâ præemineat. Ita Apostolus Paulus, qui suam conuersationem non in terra, sed in cœlo sitam esse asseuerabat. *Nostri conuersatio in cœlis est. Philip. 3.* Non ideò proximorû necessitates prætermittebat, imò ita se astrictum proximo fatebatur, vt assereret. *Cupio anathema esse pro fratribus meis. Rom. 9.* *Nam etsi Evangelizauero, non est mihi gloria 1. Cor. 9.* Moyses etiam cum in summitate montis Sinai colloquii diuinis detineretur, ex monte descendit, vt populi idolatriam impediret. Quod apertè illa mysteriosa Ezechielis animalia, quibus iusti repræsentabatur, iuxta communem sanctorû Patrum intelligentiam, indicârunt, quæ vndique cõtemplationis oculis plena erant, alas etiam habebant, vt ex terra volatu celeri diuinis considerationibus vsq; ad astra conscenderent. Notat tamen textus diuinus, sub illorum animalium alis duas hominis manus extitisse, quæ ipsas alas sustentabant. *Et manus hominis sub penis eorum in quatuor partibus. cap. 1. Ezech.* Quibus ostendebatur iustum primò in vita actiua & operibus charitatis exercendum, quibus contemplationis pennæ in altum erigantur. Nec existimandum est actiuam vitâ contemplatiuam impedire, sed potius iuuare, vt alæ contemplationis altius eleuetur idèd sub penis animalium manus hominis visebantur, quibus nitentur alæ, vt constaret manifestè

contemplatiuam vitam actiuæ inni-
titanquam fundamento. Animad-
uersione tamen dignissimum est in
uisione Ezechielis, quod manus, quæ
sub sanctorum animalium alis existe-
bant, non vrsi, leonis, aut lupi es-
sent, sed hominis. Et manus hominis
sub pennis eorum. Per manus sub alis
existentes, opera charitatis contem-
plationi coniuncta intelliguntur.
Sunt aliqui qui cum D. Paulo contem-
plationibus ad tertium usque cæ-
lum conscendunt, sed si eorum ma-
nus attentè conspiciamus, non ho-
minis, sed cati sunt, quibus proximi
honorem & famam lacerant, & to-
taliter auferunt, vel potius vrsi, aut
tigridis, vnico enim aggressu paupe-
rem & pusillum ad vltimas angusti-
as redigunt. Quid de nostri sæculi
mercatoribus proferam, qui sinistra
rotarium gestant, & contemplati-
onibus vacant dexterâ verò manu vl-
nâ vtentes, toties emptores decipi-
unt, quoties mensuram replicent.
Manus istæ nō humana, sed leonina
aut lupina sunt, & quantūcūq; in
altum contemplationib. eleuentur,
semper sanguine plena sunt, & sum-
moperè Deo displicent, vt ipse per E-
saïam his verbis apertè indicauit. Cū
extenderitis manus vestras, avertam
oculos meos à vobis: & cū multipli-
caueritis orationem, non exaudiam:
manus enim vestra sanguine plena sunt.
cap. I. At Beatissima virgo contem-
plationi, opera ardentissimæ chari-

tatis copulauit, idè ex suo oratorio,
vbi diuinis considerationibus vaca-
bat, in montana conscendit vt visi-
taret Elisabeth. Abijt in montana cum
festinatione. Admirandum planè ex-
emplum ad cohibendam fæmina-
rum libertatem, quæ in plateis de-
morantur, & in publico cum viris
turpes etiam sermones miscent, idè
facilè suam honestatem prosterunt;
vt contigit Thamar sorori Absolon,
quæ à Principe Amon oppressa fuit.
Maria verò sanctissima etiam per
montana, vbi virorum conuersatio
rara est, cum festinatione conscen-
dit. Et si hoc à secularibus fæminis
obseruandum est, potiori sanè iure à
religiosis, quæ claustram ingrediun-
tur, obseruari debet, mortuæ enim
mundo, virorum conuersationem
tanquam venenum mortiferum ef-
fugere tenentur. Sed proh dolor a-
liquæ inueniuntur, quæ in nouita-
tu angelicam vitam ducebant, po-
stea verò cū in virtute crescere de-
berent, habenas vitæ religiosæ la-
xant, & vanitati ac eloquentiæ sæc-
ulari student, vt in sæcularium con-
uersatione discretæ ac prudentes in-
ueniantur, quibus cum Paulo ad Ga-
latas 3. dicere possumus, Cum Spiritu
caperitis, nunc carne consummemini?
Vbi est antiqua illa obseruantia, vi-
gili, & ieiunia crebra, quibus aliæ
religiosæ ad virtutem & religionem
excitabantur? Qui nutriebantur in
croceis, amplexati sunt stercorea. Thre-

uorum 4.

notum 4. Inter regiam virtutis purpuram, generosum animum ad virtutem, inter disciplinas continuas, quibus diuinus amor manifestebatur? *Amplexati sunt stercora.* Conuersationes nempè leues, turpia colloquia, amatoria verba, spiritualis dilectionis velo circumtectæ, epistolæ, &c. Adolescentibus etiam loquor, qui liberius vanis conuersationibus vacant, & mutuo conspectu delectantur, verba principis Apostolorum perpendant, vt, in quo periculo versentur, agnoscant. 2. Petri 2. *Iustum Loth oppressum a nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit, aspectu enim & auditu iustus erat habitans apud eos: qui de die in diem animam iusti iniquis operationibus cruciabant.* Vbi Apostolus Petrus honestatem iusti Loth iam senis, ad solam visus & auditus custodiam reuocat. Quid ergò de illis, qui nec sancti, nec tamè mutua colloquia & conspectum euitant, censendum est? *Exultauit infans in utero meo.* Solare horologium nunquam cessat, quia interna acus magnetem tetigit, ratione cuius in fixam cæli stellam

semper tendit. Hęc fixa stella Deus est, idèd noster animus, præcipuè si diuinæ prædestinationis magnetem tetigerit, nunquam quiescit vsque ad supræmæ beatitudinis consequutionem. *Fecisti nos Domine ad te, & inquirerum est cor nostrum, donec reuertamur ad te S. August.* Ita diuinus Baptista fixam stellam, quæ est lux vera illuminans omnem hominem uentem in hunc mundum, agnoscebat. *Exultauit in utero.* Continuo motu in ipsam tendit; Et duo isti planetæ, Christus & Ioannes se inuicem intentis luminibus conspexerunt, & conuenerunt. Astrologi referunt, quòd si aliquando duo planetæ beneuoli aspectus in cælo conueniant, & inter se coniungantur, mirabiles influentias in inferioribus causant. Hodiernâ luce duo planetæ iucundissimi aspectus inter se conuenère, diuinus nempè sol iustitiæ Christus, & matutina stella Baptista scilicet, felicissima & abundantissima gratiæ tempora nobis promittunt, &c.



DE PV-



DE PURIFICATIONE
BEATISSIMAE MARIAE
VIRGINIS.

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.

NON oritur soletiam in-
eunte vere pulchrior &
splendidior in gremio
auroræ, atque hodiernâ
purificationis luce Sol
Iustitiæ splendidissimus in suæ ma-
tris, quæ iucundissima aurora est,
gremio oritur. Hinc difficultas & ti-
mor concionatoribus enascitur, ne
forfitan in præsentî festiuitate defi-
ciant, & eisdem, quod pullis aquilæ
contingat, cùm intentis oculis solē
intueri non possunt; Aquila enim su-
os pullos ex nido deiicit, neque ut fi-
lios agnoscit, si eorum visus radius
solarib. hebetatur. Idem meritò con-
cionatores timere possumus, cùm
apertum sit, nos perspicaci aquilæ vi-
su solem iustitiæ intueri non posse.
Duo tamen meum animū excitant,
vt solem istum splendidissimum in

auroræ brachiis quiescentem con-
spiciam. Primum est promissio diui-
na, Deus enim suis prædicatoribus
os & sapientiam promisit. *Dabo illis os
& sapientiam Proverbior: cap. 10.* Licet
ergo visus noster ad micantes solus
radios percipiendos ex se debilis sit,
diuinâ tamen sapientiâ illustratus,
eos aliquid attingere poterit. Se-
cundum est: Sol etenim iustitiæ in
Mariæ Sanctissimæ auroræ fulgentis-
simæ brachiis constitutus, licet splen-
didissimè eluceat, velo tamen nostræ
mortalitatis tegitur, & consequenter
nostris oculis accommodatur, vt eum
mentis acie consequi possimus; ad
eum fermè modum, quo olim filij
Israël faciem Moysi ex se radios emit-
tentem conspiciabant, cùm velo ali-
quo operiebatur. Hæc omnia meum
animum attraxerūt, vt in tanta festi-
vitate

vitae verba proferte auferem. Spiritus Diuinus nostram linguam moueat & efficacia verba conferat, vt vestra corda commoueam, quod Virginis Mariae interuentu impetabo. Dicamus Ave Maria &c.

Postquam impleti sunt

dies purgationis Mariae

Luc. 2. cap.

Rodolphus antiquissimus Doctor in Sermone huius festiuitatis quatuor mysteria perpendit, quae nobis etiam accuratè poterantur. *Pura purificatur: Deus offertur: Redemptor redimitur: Et quod senex iam moriturus gratulatur.* Perpendamus, quæso, primum mysterium. *Pura purificatur.* Id est, purificationis legibus subicitur. Beatissima Virgo hodiernâ die duas leges impleuit, & ad nullam earum tenebatur. Primam olim in lege veteri statutam impleuit, quâ decernebatur, vt mulier quæ suscepto semine masculum peperisset, triginta tribus diebus maneret in sanguine purificationis suae, nec sanctum tangeret, aut sanctuarium ingrederetur, donec dies purificationis implerentur. *Leuitici capite 12.* Ad hanc legem non erat adstricta sanctissima Maria, quia non ex virili semine, sed mystico spiramine conceperat. Aliâ lege decretum erat, vt omnes primo-

geniti, qui per carnis corruptionem ex materno utero egressi fuissent, Deo in templo offerrentur, & quinque siclis, siue monetis redimeretur, nisi aliâs essent ex tribu Leui, isti enim perpetuò in templo permansurierant. Neque hac lege tenebatur Beatissima Virgo, quia non propriae carnis corruptione peperit, cum ante partum, & in partu, & post partum virgo extiterit. Si ergo sacratissima & piissima Maria eodem legum tenore, ab eisdem exempta erat, quare legibus purificationis subditur, ac si purificatione indigeret? Respondet optimè Bernardus in Sermone huius diei. *Verè Beata Virgo non tibi opus est purificatione, sed nunquid filio opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tanquam vna illarum, quia sic est filius tuus in medio puerorum.* Ac si diceret, si filius propter bonum exemplum, sine vlla circumcisionis necessitate se circumcidi permisit, esto inter mulieres tanquam vna illarum, quia sic est filius tuus in medio puerorum. Ipsum præcipuè in humilitate imiteris, vt sicut se aliis pueris adæquauit, ita & tu aliis fœminis adæqueris; Et quem admodum ipsæ purificantur, ita & tu, etiam si purificatione non egeas. In omnibus fermè Maria sanctissima suo filio similima extitit, in cuius creatione ita se gessit Deus, quem admodum & artifex in formatione annuli se gerit, cum illi vult pretiosum lapidem affigere; in efformati-

Bb

one enim

one enim illius semper pretiosum lapidē cōspicit, vt iuxta illius normam sedem in annulo conficiat; si lapis est rotūdus, rotūdū etiam fundamentum efficit, si quadratus, quadratum etiam locum parat, itaq; eadem figura quæ in lapide reperitur, eadē etiā in annulo relucet. Volens ergō sanctissimū Triados lapidem illum pretiosum, Verbū scilicet Diuinū, sic enim vocatur in sacris literis, *Lapidē, quem reprobauerunt adificantes*, Psal. 117. nostræ naturæ cōmunicare & artificiosè affigere, purissimū totius vniuersi aurū inquisiuit, nempe sanctissimā Virginem, in qua nulla vnquā terrena cogitatio inuenta est. In eo igitur instanti, in quo tota Trinitas sanctissima hanc pulcherrimam creaturam elaborauit, oculos ad Christum affixos tenuit, vnde tanta similitudo inter Christum & suā sanctissimā Matrem orta fuit, vt eadē, quæ de Christo dicuntur, de Beatissimā Virgine efferantur. Quare si ipse inter filios hominum pulcherrimus extitit. *In quē desiderant Angeli prospicere*, 1. *Petri* 1. Ipsa etiam speciosissima fuit, quā sic extollit Spiritus S. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Et si filius tantā puritate nitet, vt ipsa puritas dici merito possit, Maria etiam sanctissima purissima est. Licet ergō inter ipsam & filium infinita distantia sit, cum filius sit verus Deus, & ipsa pura creatura, inter se tamen maximam pportionem seruant; Idēd *Cantic.* 1. & 4. Volens spōsus signū aliqui-

bus suam spōsam indicare, hæc signū designauit. *Oculi tui columbarū*. Spōsa verò suam charissimum sponsum sic alloquuta est. *Oculi tui sicut colūba*. Vbi apertè insinuatur in spōso & spōsa eosdem columbæ oculos reperiri, & consequenter inter sponsum & spon-sam, inter lapidem & annulū, maximam similitudinē versari: Si ergō ita conueniunt, in humilitate etiam assimilentur. *Esto inter mulieres tanquam vna illarū, quia sic est filius tuus in medio puerorū*. Christus Saluator noster cum primò suam personam manifestauit, in Iordanem descendit, vt à Ioanē baptizaretur, qui tantam Redemptoris humilitatē admirās, dixit. *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* *Matth.* 3. Ac si diceret, Ipsa cælorum munditia, ille qui omnibus puritatem confert, & sordes peccatorum delet, à me per baptismum ablui debet? Tunc Christus Saluator Ioanni respondit. *Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam*. Quemadmodum ergō prima Christi manifestatio per baptismum facta fuit, ita prima manifestatio Beatissimæ Virginis post partum, per purificationem effecta est. Et si Christus, qui est splendor Patris, in cuius conspectu cælestia corpora impura videntur, à Ioanē baptizari petit: Maria etiam, quæ totius munditiæ speculum crystallinum existit, legem purificationis implet, in quibus inter matrem & Filium Diuinum maxima similitudo elucet.

glucescit. Discursum nostrum insinua-
uit sanctus Ildesphus Archiepi-
scopus Toletanus, in sermone quo-
dam huius festiuitatis, his verbis.
*Intemerata Dei genitrix, qua se no-
verat nihil legi debere, humilitatis ta-
men gratiâ legale voluit exequi præce-
ptum, adimplens illud sapientia. Quan-
tò maior es, humilia te in omnibus, &
coram Deo inuenies gratiam, cap. 3. Quæ
doctrina omnibus totius mundi Ita-
tibus necessaria est, sed præcipuè
à spiritualibus & scrupulosis ma-
ximè obseruanda, qui dum diuinis
fauoribus ac beneficiis magis abund-
ant, humiliiores esse debent, nisi
bona omnia acquisita amittere ve-
lint. Ad cuius ponderationem il-
la Canticorum verba notanda sunt,
quæ hoc intentum accuratè manife-
stant ac probant. Murenulas aureas fa-
ciemus tibi, vermiculatas argento. Cant.
capite 1. Voluit sponsus suam cha-
rissimam spon.sam splendidissimè ex-
ornare, quod ne ipsa insciâ præsta-
ret, his verbis illam monuit. Mu-
renulas aureas faciemus tibi vermicu-
latas argento. Novus planè modus
exornandi sponsam. Quare aureæ
murenulæ sponsæ vermibus argen-
teis elaborantur? aurum enim ma-
ioris æstimationis est quàm argen-
tum, ad quid ergò aurum vermibus
decoratur? Hic mysterium supra in-
sinuat magis aperitur; Nam inter
maiora beneficia, quæ à Deo confe-*

runtur, inter præcipua hoc annu-
mandum est, cum videlicet supra do-
na & beneficia à Deo nobis libe-
raliter collata, propriæ miseriæ ver-
mem ponimus. Vermis humilita-
tem demonstrat, vt constat ex illis
nostri Saluatoris verbis ex profunda
humilitate ortis. *Ego sum vermis &
non homo. Psalmo 21. Quòd ergò spon-
sus supra aureas sponsæ murenulas
vermes constituat, non aliud indi-
cat, nisi humilitatem supra omnia
dona diuina elaborandam esse, quæ
omnes virtutes miro artificio ac ve-
nustate decorantur. Altiùs ista re-
petamus, charissimi filii, quia ex hu-
ius penetratione tota nostra perfe-
ctio dependet. Diuersos sanè effe-
ctus in eadem materia causant præ-
stantissima virtus humilitatis, & exi-
tiosum superbiæ vitium: Superbia
enim diuinæ misericordiæ auro, no-
stræ miseriæ vermem obducit, hu-
militas verò super aurum vermes ex-
truit, vt pulchriùs elaboretur: Su-
perbia, torquem beneficiis diuinis
superponit, humilitas verò murenu-
las, Origines ad nostrum propositum
explicat illa verba. *In labore homi-
num non sunt, & cum hominibus non
flagellabuntur. Idèd tenuit eos super-
bia. Psalmo 72. Et Cajetanus sic
accuratè vertit. Idèd torques illo-
rum superba. Id est, superbia in ip-
sis torquem elaborauit, quo collum
cingatur, diuinà verò misericor-**

diâ tanquam filo vtuntur, vt torques perficiatur, humilitas autem ex donis ac beneficiis diuinis, murenulas conficit. *Murenulas aureas faciemus tibi. &c.* Sed quæ differentia est inter torquem & murenulas? In multis quidem differunt. Imprimis torques collum erigit, murenulæ verò ex auriculis pendent, & si magnæ sint, caput humiliant ac deprimunt. Superbi ergò multitudine beneficiorum erecto collo incedunt, & alios despicietes in altum eriguntur. *Ided tenuit eos superbia.* Iustus verò beneficiis diuinis magis in propria æstimatione vilescit. Secundò differunt, quia torques colli defectus operit, ne exterius appareant, murenulæ verò deformitatem aurium non tegunt, cum auriculas non operiant. Superbus igitur cœlesti fauore & beneficiis acceptis, proprios defectus occultare studet, ided nõ humiliatur, quia motiua humilitatis obrepta sunt. Iustus tamen cum donis diuinis magis abundat, humilior est, quia beneficiis diuinis propriæ miseræ vermem non abscondit, non torquem, vt defectus lateant, sed murenulas argento vermiculatas conficit, quæ ex auribus pendentes illi ad aurem loquuntur ac monent, vt propriæ imbecillitatis recordetur, & quòd ex suis viribus nihil sine gratiâ diuinâ potest, nec valet, quare iuxta multitudinem donorum propriæ vilitatis cognitio crescit, & consequenter su-

per aurum non torquem sed argenteos vermes elaborat. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Hæc doctrina in Beatissima Virgine ad viuam expressa reperitur, in qua humilitas meliùs quàm in cæteris creaturis in heroico gradu splenduit. Cùm enim Angelus illustrissimis titulis eam salutasset, gratiâ plenam appellans, & supremam matris DEI dignitatem prænuncians, ipsa tamen supra prædictos titulos honorificetissimos, humilitatis vermem appoluit. *Ecce ancilla Domini, &c. Luca 1.* Dum DEVS magis eam exaltabat, ipsa de se viliùs sentiebat, quod in ipsa Filii DEI conceptione compertum fuit, ita enim se deiecit, vt propriæ dignitatis quasi oblita, montana Iudææ sine comitatu conscenderit, vt suam cognatam Elisabeth salutaret; quæ tantam humilitatē admirata dixit. *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Luca cap. 1.* Sed non ided Beatissima Maria officia charitatis & humilitatis omisit, quin potiùs per aliquod tempus cum sua cognata commorata est, vt omnia obsequia & seruitia præstaret. Et hodiernâ luce cum suum filium absque virili semine & corruptione peperisset, & consequenter legibus purificationis non teneretur, ita tamen se humiliavit, vt cum cæteris sceminis legem purificationis impleuerit. Secundum mysterium huius festi-

uita

nitatis est, quia, ut perpendit Rodolphus; Deus offertur: Ipsa inquam Verbi Divini persona, quæ nostram humanitatē assumpsit, hodiè per manus sanctissimæ Virginis offertur. In hoc mysterio duo ponderanda sunt; primò huius sacrificii magnitudo. Secundò Dei erga homines intensissimus amor. Si huius sacrificii magnitudinem attentè perpendamus, notandam planè differentiam inter hoc & alia antiquæ legis sacrificia reperiemus. Deus noster semper sacrificia desideravit, ac voluit ut homines ei sacrificia offerrent, quæ signa quædam sunt pacis & obedientiæ proprio creatori debita. Quamprimùm Deus nostros primos parentes creavit, & in paradiso voluptatis constituit, eis liberam facultatem concessit, ut ex fructibus omnium arborum gustarent, solùm unam arborem sub pœna mortis prohibuit. Quòd si à mescopū & finem huius præcepti petatis, quate Deus fructū huius arboris prohibuerit. Respondeo in hac prohibitione hoc motivo eū ductū fuisse, nempe ut nostri primi parentes opportunā occasionem offerendi sacrificium habuissent, fructum enim vetitæ arboris conspicientes; ac esum illius exoptantes, hoc desiderium in sacrificium offerre possent, si ex Dei amore & obedientia promptam ad obediendum voluntatem indicarent. In

sacrificiis etiam Abel & Cain appetè conspici potest, quo affectu Deus erga sacrificia feratur. Bonitas enim & iustitia Abel, ex qua in sacris litteris commendatur, & ruina ac nequitia Cain in sacrificiis manifesta fuerunt, quæ tam in lege naturali, quàm in scripta cōtinuata fuerunt. In lege tamen gratiæ sacrificium quod offertur, est ipse Deus nostrā mortalitate indutus, qui hodiè Mariæ sanctissimæ purissimis manibus Patri æterno immolatur. Vbi notanda est differentia inter hoc sacrificium & alia quæ olim in lege antiqua offerebantur. Ista enim ex intentione suam bonitatem mendicabant, in tantum enim sacrificium Deo gratum & acceptum erat, in quantum rectā intentione immolabatur, neque enim Deus carnibus taurorum delectatur, aut hircorū sanguinem bibit, ut ipse per Prophetam testatur. *Nunquid carnes taurorum manducabo, aut sanguinem hircorum potabo? Psalm. 49.* Quòd si hæc sacrificia postulabat, non propter ipsa petebat, sed præcipuè, ut simul cum eis nostra corda duceret, & ad se alliceret. Sacrificium tamen hodiernum non ex intentione offerentis, sed ex se suam præstantiam & valorem sortitur, imò intentioni bonitatem communicat, quia Deus ipse in hoc sacrificio immolatur. In aliis sacrificiis primò Deus ad offerentis intentionem

nem, postea ad rem oblatam attendebat. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Genesis 4.* Quia sacrificii bonitas ex offerentis bonitate pendebat. Sed in hodierno sacrificio prius Pater Aeternus sacrificium, quam offerentem respicit; quia oblatum sacrificium est Christus Dominus, offerens verò Beatissima Virgo, & cum Deo multò magis Filius Diuinus, quam Mater placeat, ita etià & sacrificium, quam offerens. Quare videtur mihi, quòd hodiernà die Beatissimi. Virgo sic Patrè Aeternum alloquuta est. *Respice in faciem Christi tui. Psal. 83.* vt Pater Diuinus potius ad rem oblatam, quam ad offerentem oculos conuerteret. Secundò ponderandus est in hoc sacrificio imensus amor, quo Deus erga hominem afficiebatur, & desiderium ardentissimum, quo cor diuinum ardebat, vt pro hominibus pateretur, cum in tam tenera aetate per manus Mariæ sanctissimæ suo Patri offeratur. Nostro sanè iudicio hoc sacrificium dulcissimi infantis, non aliud mihi videtur, quam representatio quædam alterius sacrificii cruenti, quod idem Iesus, cum triginta annorum fuerit, suo Patri Diuino in cruce offeret, modò verò sanctissimus Iesus in sua infantia hac representatione delectatur, & se ipsum quasi pro hominibus patientem considerat, & in futuris exercet. Ad hoc rectè per-

pendendum reuoco in memoriam id, quod pueris contingere solet, cum ad aliquam religionem afficiuntur, vix enim quinqueñiū impleuerunt, & ita matrem vexant, ac continuis lacrimis exagitant, vt non desistant quovsq; etiam in tenera aetate illius religionis habitu eos induat. Cum verò puer se religioso habitu vestitū intuetur, ad omnes domesticos tantà hilaritate accurrat, & ita nouis vestibus superbit, ac si regiam dignitatem, aut Tiaram Pontificiam accepisset. Rogo, charissimi auditores, estne puer iste verus religiosus? minimè, solum enim religiosam personam effingit, ac id, quod euolutis aliquibus annis euenturum est, repræsentat. Eadem consideratione in præsentī oblatione vtī possumus, vt corda nostra magis in huius sanctissimi infantis amorem incalescant. Dulcissimus igitur Iesus, cum ab instanti suæ cōceptionis omnia, quæ pro hominibus passurus erat, cognosceret, ita nos dilexit, vt post suam natiuitatem nihil aliud, quam pro hominibus pati & mori desideraret, singula etiam momenta, & horas pro annis computabat, & sine dubio hoc ardens desiderium parentibus innotuit. Dùm ergò Beatiss. Virgo sui filii voluntatem cognouisset, vt in representatione futuræ passionis delectaretur ac occuparetur, hodiernà luce repræ-

præsentatione venturæ passionis induit eum, in templum ducens, quo indicauit aliquando in montem caluariz ducendū fore. Et cum ad templum peruenisset, in manus sacerdotis Simonis deposuit, quo demonstrauit suo tēpore in brachijs crucis cōstituendum, vt ibi hoc sacrificium consumaretur. Tandē pro quinque monetis suum filium à sacerdote redemit; quā repræsentatione proditionem ludæ manifestauit, qui cum esset sacerdos, nostrum saluatorem pro triginta denarijs venditurus erat. His repræsentationibus puer Iesus summoperè recreabatur, quia sibi præ nimio desiderio hæc omnia, & proditionem & venditionem Iudæ iam adesse videbatur, imò, & turpissimam passionem, quam sibi vt præsentē effingebat: tanto propter hominē patiendī desiderio tenebatur, in quo suum amorē imensum erga homines apertis iudicijs demonstrauit. Hæc sunt, Charissimi filii, nostri saluatoris etiam ab inuēte ætate desideria. Quis ergò vestrū tam durus & frigidus erit, qui tanti amoris igne non inflammetur? Quis suā recreationem & gaudiū suum in inlaboribus pro Christo tolerandis non constituet? Cum passionis & mortis dies sit nostri redemptoris recreatio, si passio amarissima & mors crudelissima pro omnium hominū salute & amore, dies est sponsationis & lætitiæ cordis sui, quare mo-

lestiæ huius vitæ, ceteræ, pœnitentiæ, paupertas, mortificatio &c. non hilariter & libenti animo accipienda sunt? Et si Christus Saluator noster, cum non patitur, saltem in suæ mortis figura & repræsentatione occupatur; quare etiam Christianus, iam quod pro Christo de facto non patitur, in repræsentatione tamen passionis nostri Saluatoris aliquod temporis spatia non infumet? Apostolus Paulus tam sedulò Christum imitabatur, & tam ardentem pati pro ipso desiderabat, vt si aliquando de facto pro ipso non pateretur, necessarium erat, vt Deus aliquam suæ passionis repræsentationem ante illius oculos proponeret. Ad cuius confirmationem notandum est egregium sacræ scripturæ testimonium ex Actibus Apostolorum. Cum Apostolus Hierosolymam tenderet, Cesarëam peruenit, & cum ibi moraretur, quidam Propheta Agabus nomine ad eundem aduentauit, qui Paulum conueniens, cinctorium quo præinctus erat, abstulit, & eodem his verbis illius pedes ac manus ligauit. *Hæc dicit Spiritus Sanctus. Virum cuius est Zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent eum in manus gentium. Actor. cap. 21.* Mirandum planè est, quod Spiritus Diuinus, qui afflictorum consolator & leuamen est, sic Paulum tot laboribus & angustijs iam antea ab alijs plurimum vexatum, constringat, &

no

nouas angustias & vincula prænunciat, conuenientiùs videtur, si nihil Apostolo ex his, quæ Hierosolymis eventura essent, prædiceret. Optimè tamen à Spiritu Diuino præmonitus est Apostolus Paulus; Sciebat enim consolator spiritus, quòd sicut carnales homines in representatiõe lasciuia amoris & suarum vanitatum delectantur: ita etiã Paulum in suæ passionis ac tormentorum representatione recreari. Quemadmodum etiam sponsus maximo afficitur gaudio, cum suæ sponse imaginem inuuetur: Ita Apostolus duri carceris ac vinculorum imagine lætabatur. Et si Christus ita suam passionem exoptabat, vt ante ipsam necessarium erat aliquod ipsius exemplar proponere: Ita Paulus tanto desiderio pro Christo pati exoptabat, vt dum non patiebatur, necessariũ esset vt spiritus Sanctus Prophetã mitteret, qui illius manus ac pedes ligaret, ac passiones, vincula & squalentem carcerem prædiceret, vt sic in læticia cordis sui Hierosolymam veniret. Tertium mysterium huius festiuitatis est. Redemptor redimitur. Ipse qui est totius generis humani Redemptor, hodie tã vili pretio suæ sanctissimæ matri venditur, vt ei pro quinque siclis seu monetis cõcedatur. Notate, charissimi filii, quàm paruo pretio Deus donetur nobis. Hic apertè verificatur id quod Deus per Esaiam dixit cap 55. *Omnes sitientes venite ad*

aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite emite absq; argento & absque vlla commutatione vinum & lac. Quibus verbis Deus homines invitat ad vitalem aquã hauriendam, quæ sitim extinguit & eos qui nõ habent pecunias etiam ad conuiuium vocat, vt fermè gratis emant & comedant vinũ & lac. In hoc loco Esaiæ, duplex Dei proprietas insinuat. Prima & quæ in iustis elucet, est; Deus enim iustis multò plura & maiora bona confert, quàm promittit. Secunda est, nam ea quæ confert, tam vili pretio donat, vt ferè pro nihilo etiam propriam personam concedat, vt in hodierna oblatione constat, in qua Christus Dominus pro quinque monetis suæ sanctissimæ matri veditus fuit, ait ergò propheta Esaias. *Omnes sitientes venite ad aquas &c emite & comedite.* Perpendamus, quæso, modum istum loquendi Prophetæ. *Emite & comedite.* Videtur enim peregrinus & non cohærens cum invitatione. Nam si Deus ad aquas bibendas invitat, quomodo subiungit, *Emite & comedite?* aquæ enim non comeduntur, sed bibuntur. Quare ergò Deus primò ad aquas inuitat, & postea dicit, *Emite & comedite?* &c. Hic prima Dei conditio & proprietas aperitur; bona enim quæ promisit abundanter largitur, multò planè plura quàm hominib. promisit, ad solas aquas inuitat, postea v erò non solam

Solam aquam, sed optimum cibum, æternum nempè gloriæ pondus liberali manu porrigit. *Conuiuium pinguium, pinguium medullatorum. Esai. 25.* Ad dit deindè Propheta. *Venite emite absq; argento vinum & lac.* Vbi eadem Dei conditio manifestatur, conuiuium enim tantum primâ fronte aquâ promittebat, in exequutione tamen vinum & lac continet. Deinde in prædictis Esaiæ verbis non sine mysterio de aqua, vino & lacte mentio fit: Aqua sitim extinguit, vinum cor hominis lætificat & confortat, lac verò somnum causat, vt constat, cum illa fortissima mulier Zizaram interfecit, prius haurtum lactis porrexit, quo ita somno sopitus fuit, vt clauo illius caput terebrare potuerit. Cum ergo insinuat Esaias Deû justis aquâ, vinum & lac conferre, maximum iustorum præmium manifestat, Nam qui Deum adipiscitur, nec sitit, cum Deus sit fons aquæ viæ quæ totâ sitim extinguit; nec cõtristatur, quia vinum Angelorum bibit, quod totum hominem recreat & confortat, suauissimè tandem quiescit, quia lac diuinum hausit, quo dormiens iustus & conquiescens, ea facillè consequitur, quæ à peccatoribus, etiam si cõtinuis laboribus vexentur, inueniri nõ possunt. Quod Propheta psal. 126. accuratè his verbis indicauit. *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* vbi insinuat peccatorum vigilias e-

tiam antelucanas, vanas p̄fusus esse & nullius momenti, vt Eutimius rectè notauit, vocem priorem *Vanum* cæteris connectens. *Cum dederit dilectis suis somnum. Psal. 126.* Hic secunda Dei conditio & proprietates aperitur, iustis enim ita gratis confertur, vt in ipsa pace & quiete eum inueniât, idè hodiernâ die tam vili prætio redimitur, vt constat quàm liberaliter & gratis hominibus conferatur. Vltimum huius celebritatis mysteriû est. *Quod senex iam moriturus gratulatur.* Sanctus enim Simeon iam morti proximus, cum puerum Iesum & suam sanctissimam matrem templum Sanctum Ierusalem ingredientibus, intuitus est, cum duplicem illâ columbâ orarum virentis oliuæ gestantem conspexit, absq; dubio summo sui cordis gaudio exultauit, præcipuè cum esset iustus & sanctus, & redemptionem Israel expectaret, *Iustus & timoratus.* Optima sanè attributa pro senè longâ iam ætate confecto, iustus erat & timoratus, ac per reuelationem diuinâ agnoscebat; *Non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Notanda sunt illa verba *non visurum se mortem &c.* Priusquam sanctus Simeon moreretur, mortem ipsam aspexit, idè non inter mortuos, sed inter viuos annumerandus est, ille planè Deo moritur, qui priusquam mortem aspiciat, vltimum diem claudit, De Basilisco referunt philosophi, quòd si primò hominem aspiciat, suo aspe-

Cc

Et ho-

Et hominem interimat, si verò prius ab homine videatur, basiliscus perit & humano visu necatur. Idem in spiritali morte contingit, quam si quis attentè prævideat, mortem ipsam superat ac deuincit, è contra verò si impuisà morte discedat. Sanctus Simeò mortem priùs aspexit, idè cum Christo vixit, illius desideria impleta fuerunt, & propriis oculis desideratum cunctis gentib. intuitus est, ac tandem cygnus ille, ante obitum ipsam mortè prænuncians, dulciter cantare cæpit. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Postquam Christum vidit, non amplius vità appetiit, oculi enim qui Iesum aliquando conspexerunt, nullo modo ad terrena perspicienda aperiri debet. Beatissimi, ergò & sanctissima Virgo in brachiis Simeonis Patri Eterno filium offert, qui tantum munus libèter acceptans, ex manib. sancti Sacerdotis accepit, & ita suis oculis placuit, vt ppter illud totum hominù genus ad antiquam amicitiam reuocauerit. O dulcissime Iesu, amor & desiderium nostrum, spei & securitatis firmissima columna, te intra nostra brachia & corda, sicut sanctus Simeò, validè compressum tenere vellemus, vt semper Patri Eterno offerremus. Propheta Daniel cap. 7. Sic ait. *Et ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu eius obtulerunt eum.* Vbi insinuatur, Dei Filium per-

petuò suos electos Patri Diuino præsentare. & ipsos eundem Dei Filium suo patri offerre & immolare. Si vos ergò, filii charissimi, spiritalia bona à Deo certò impetrare velitis, semper dulcissimum Iesum tanquam thesaurum in fititum ac munus pretiosissimum offeratis: Hoc cibo libenter vescitur senex Isaac, quo Iacob benedictionem, aliàs sibi indebitam, consequitur, ne igitur in illius conspectu vacui appareatis, semper vobiscum vestrum Saluatorem, siue ad merendum, siue satisfaciendum deferatis, sic cœlestem Ierusalem cum sancto Simeone & Beatiss. Maria ingredi poteritis, in præsentì vita per gratiam, & in futura per gloriam, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen.



Sermo secundus.

PRO SALVTATIONE
Angelica.

Odìe dies est exultationis & lætitiæ, præcipuè tamen pro pauperibus, cum amicitia Dei & illius beneficia erga hominem aperte manifestentur. Hodìe via securissima aperitur, vt in nostris necessitatibus efficax remedium inueniamus. Qui in hoc sæculo pauperes sunt,

res sunt, & simul morbo laborant, in maximis angustiis constituti sunt; quia pauper, si benè valeat, proprio sudore ea, quæ necessaria sunt ad vitam honestè degendâ, lucrari potest, & si infirmus sit, & necessariavitæ possideat, effugium & leuâmen aliquod habebit: At si omninò pauper & infirmus est, miserriam vitâ ducet, & vndique extremis angustiis opprimetur. Qui in tantis miseriis versantur, præcipuis festiuitatib, iuxta templorum limina residere solent, vt à ditioribus personis templa visitantibus, elemosynam acquirant, vt se sustentare possint, ibi clamorib, excitatis suam miseriam manifestant, vulnera, & infirmitates ostendunt, vt sic quantumuis rigentia corda ad commiserationem comoueant. Omnes nos, charissimi auditores, pauperes & infirmus sumus: primum affirmat Paulus 2. ad Corinth. 3. *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Quæ enim maior paupertas excogitari potest, cum nullus nostrum ex se, nec dum cogitationem aliquâ elicere possit? Nullo alio Apostolus nostram paupertatem magis extollere ac exprimere potuit, quàm asserendo, nec vnam solâ cogitationem à nobis, quasi ex nobis emanare posse, nisi diuino auxilio nitamur, quasi per modum elemosynæ à Deo medicato. Quodd autem infirmi simus, idem Apostolus insinuat. *Nos infirmi sumus in illo.* 2. Cor. 13. Vbi loquitur de præcipua hominis ægitudine, quæ est

peccatum, Si ergò pauperes & infirmus sumus, ad quam anchorâ cõfugiemus? Dicam vobis apertè; hodiernâ enim luce gloria Imperatrix, ingentibus diuitiis ditata, templum ingreditur, & suis manibus totum cælorum thesaurû gestat. Ad portâ igitur templi, tanquam pauperes & infirmi festinanter accurramus, ibi nostra ignorantia vulnera manifestemus, & à cælorum Regina Spiritus Sancti gratiam pro elemosyna mendicemus, quam, vt pro nobis libetius postulet, Angelicâ oratione salutemus eam. Dicentes, Aue Maria.

Postquam impleti sunt dies purgationis Maria.

Luc. 2, cap.

IN hac iucundissima purificationis die, Pater Æternus & Beatiss. Virgo tabernâ mercatoris, & celebres nundinas instituunt, nò tamen quascunque merces vendendas exponunt, sed solum infinitum thesaurum sanctissimæ Trinitatis, Filium nempe Diuinum, què hodiè parentes eius in templum inferunt, vt in tam celebri loco nundinæ & contractus mercaturæ, celebretur. *Tulerunt illû in Ierusalem vt sisterent eû Domino.* Hic purissima Virgo suarum mercium iura persoluit, ac officialib, aperuit, vt in suis registris merces notarét, Et licet ipsa comunib, illiº regni iurib, non teneretur, eû primogenitû sine corruptione

Ec 2 pepe-

peperisset; Quia omne masculinum adaperiens Vuluam, sanctū Domino vocabitur, noluit tamen se vt virginem & incorruptā ostentare, ne mercatores ex hoc ansam sumerent, ad tam imensos thesauros hoc motiuo descenderos, quia videlicet, nō iuxta regni iura venditioni ac emptioni exponerentur. Sanctiss. ergō Maria & sanctus Ioseph mercimonie præcium primò designant, ac taxam vocitant, nō quidem triginta argenteos, iuxta Principum sacerdotū obligationem, quibus primogeniti eorū redimebantur, sed par turturū, aut duos pullos columbarū, ne forsitan pauperes propter summitatem pretii conuerterentur ac excusentur, se Iesum emere non posse, turtures, aut duo columbarum pulli sufficiunt, & si ista desint, dulcissimus Iesus solis suspiriis, ac ardentibus desiderii comparari potest. Harū merciorū, & infiniti thesauri procuratores & præcones fuerunt sanctus sacerdos Simeon & Anna Prophetissa. *Et venit Simeō in spiritu in templū. Et Anna Prophetissa, qua non discedebat de templo, ambo tantæ æstimationis margaritam eximiis laudib extollūt, vt mercatores erga illam afficiantur. Tandem sanctus Simeon in manus accepit, vt toti vniuerso visendam proponeret. Et ipse accepit eum in vlnas suas. Non sine mysterio ait Euangelista tantum thesaurum in vlnas accepisse, vbi brachia sancti sacerdotis vlnas vocat, vt denotaret, dulcissimum. Iesum ho-*

minibus per vlnas & mensuram vendi, vt vnusquisque de nostro Salvatore accipiat id, quod sibi placitum fuerit. His ingentibus diuitiis triumphat sanctus senex, & repente prophetizat, ac dulcia carmina in laudem & honorem nostri Redemptoris componit. *Et benedixit Deum & dixit. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuū in pace. &c* Tria sunt, quæ homines allicere solent, vt ea sibi emant, quæ in aliqua taberna mercatoria venduntur. Primum est. Quando ea, quæ venduntur, ipsis necessaria sunt. Secundum: cum merces aliàs magni pretii & æstimationis vili pretio venduntur. Tertiū maximè emptores allicit ipsius venditoris bona gratia, & expedita voluntas ad merces sine molestia, & commodè expediendas: Aliqui mercatores sunt, qui suo sale ac lepore omnes ad se trahunt ad emendū etiam ea, quæ non ad eā necessaria sunt. Hodiernā luce, charissimi filii, Beatiss. Virgo & æternus Pater nos ad nundinas vocant, vt infiniti valoris thesaurum, dulcissimum nempe Iesum emamus. *In quo sunt omnes thesauri sapientia & scientia Dei.* Tria igitur nostros animos allicere debent, vt tam imensos thesauros nobis comparemus. Primum est: mercium necessitas; Quia id quod venditur, est noster saluator & Redemptor Iesus Christus, qui magis nobis necessarius est ad vitam gratiæ conseruandam quam

quàm cibus ad alendam vitam corpoream. Ita asserit sanctus Amphilochius Iconiæ Episcopus in oratione à se edita de Anna Prophetissa. Nul-
lus est, inquit sanctus Episcopus, qui Christo non indigeat. Virtutibus, vt vitia superent, omninò necessarius est. Fidei imprimis, vt maiorem auctoritatem sortiat. Nam Saluatoris nostri hodiernâ præsentatione quodammodò extollitur, & per gravissimorum testium comprobationem, quales fuerunt Simeon & Anna, magis exaltatur. Spes etiam roboratur: si enim Christus in tam tenera ætate pro nostris peccatis offerretur, meritò expectare possumus, eundem labentibus annis, cum iam ætate profecerit, pro nostris sceleribus Patri æterno immolandum esse. Deinde charitas nostri Saluatoris apertè manifestatur, cum à sacerdote Hebræo pro duobus pullis columbarum se vendi permittat, quod apertum indicium est, ita Christum nos diligere, quòd à nobis, pro bonis tantum desiderii, si alia desint, emi se permittat. Omnes deniq; peccatores Christo indigent: superbi quidem, quia eum ita humilem considerantes, vt leges etiam, ad quas non tenebatur, adimpleuerit, superbia eorù cõprimetur, humilitas verò exaltabitur: Avari, quia liberalitatem virginis intuètes, quâ sui vteri thesaurum, & cum eo omnia quæ possidet, Patri æterno offert, auaritia conculcabitur & dei-

cietur. Sensuales & impudici, cum hodiè in remediù ipsorù puritatis ideè & viua exemplaria, puriss. virgo, castissimus Ioseph, ac tẽperantiẽ imagines, Simeon & Anna in templo cõpareant. Inuidi etiã: quia sanctis. Maria nõ solum bona nostra nõ appetit, sed potiù imensos celorù thesauros sub p̄prios filio cõprehenfos, liberaliter comunicat. Iracundi: quorum effrenata audacia, ac insanus furor statim cõprimitur, si in patientissimũ Iesum, & Virginẽ mitissimã mentes & corda convertãt, cum hodiè noster Saluator tãquã agnus ad tẽplum ducatur, & patietèr sui venditionẽ ferat, Maria verò sanctissima Simeonis p̄phetiam libenter auscultet. *Et tuã ipsius animã pertransibit gladius.* Deinde pigri & in legum diuinarum obseruantia negligentes nostro Saluatore indigent, vt eorum pigritia ac vecordia cõfundatur, cum Rex & Regina Angelorum, etiam leges diuinas, quib. nullo modo astringebãtur, tam diligenter persoluant. Potatores deniq; ac intemperantes heluones vètri suo ac veneri nati, ex vniuersa Ecclesia Catholica relegantur, & vi ac efficacità ieiuniorum & orationum Annæ Prophetissæ in exilium mittuntur. *Qua non discedebat de templo ieiuniis & orationibus seruans die ac nocte.* Si ergò dulcissimus Iesus omnibus nobis necessarius est, & pro omnibus in templo venditioni exponitur, justum planè & æquissimum est, vt omnes nostrum

Saluatorem emamus. Secundum, quod nostrum animum excitare debet, vt tantum thesaurum nobis comparemus, vilum pretie est, quo immensi valoris merces à Maria & Iosepho taxantur. *Par turturū, aut duos pullos columbarum.* Pro pari turturum, aut duobꝯ pullis columbarum dulcissimus Iesus in remedium peccatorum redimitur, vt omnes, etiam ad extremā paupertatem redacti, infinitum cœlestis aulæ thesaurum sibi comparare possint. Perpendamus quælo charissimi filii, ad nostram ædificationem huius oblationis taxatum pretium. *Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Quare columbarum pulli, vel par turturum, & non eorum pulli pro pretio designantur? Circa primum mirabilis columbarum proprietates animaduertenda est, ita enim fecundæ sunt, vt singulis mensibus ova pariant, foueant, ac in lucem pullos emittant; Pullis ergo columbarum Deus constituit seipsum nobis exhibere, hoc planè motiuo, vt nos in perfectione instruat ac doceat, quâ ratione ad virtutis culmen pertingere debeamus. Aliqui inter christianos reperiuntur, qui facile spiritum salutis concipiunt, sed eadem facilitate parturiunt, sæpè devotione feruent, & in diuinis incallescunt, postea verò breui temporis decursu in spiritualibus exercitiis laesescunt; Non his dulcissimus Iesus venditur, columbas postulat, quæ

semper fructum benedictionis emittant. Ad huius confirmationem notandus est accuratus locus sacre scripturæ. *Et videns Iesus fici arborem vnâ secus viâ, venit ad eam & nihil inuenit in ea: nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est cōrinuè ficulnea.* *Matt. 21. cap.* Sanctus Augustinus & sanctus Ioannes Chryostomus aduertunt, Christum Dominum hâc accessisse arborem, vt fructum quæreret, non quia ignorasset fructibus carere, sed vt motiuum sumeret ad mysterium aperiendum. Idem notavit Theophilactꝯ super istum locum; cum ergo non inuenisset in fico fructus, statim arbori maledixit. *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Quod, si ex sancto Marco mensem ac diem huius exquiramus, manifestè inueniemus, tunc nondum tempus fuisse, vt illa arbor fructus produceret. *Non enim erat tempus ficorum cap. 11.* inquit Marcus; Quia, vt colligitur ex computatione Evangelistarum, hoc factum est vndecimo martij. Quare ergo Christus Saluator noster fici arborem maledixit eo tēpore, quo nō solūm arbores fructibus carent, sed etiam foliis? Omnia enim hyemali tempore frigidibus rigent, & suam pristinam venustatem ac pulchritudinem deplorant. Rationem huius reddit Hieronymus in explicatione huius loci. Inquit enim, Christum ided illam arborem male-

maledixisse, vt mysteriosè differentiã indicaret inter hominem & alias arbores, quæ in hortis plantantur: istę enim non semper, sed destinato tempore fructus proferunt; homo verò semper, siue hyberno, siue estiuo tempore frondib. & fructib. abundare debet, nisi diuinam indignationem incurtere velit. Si Christus illi arbori maledixit, quia fructus non habebat, quid de aliis efficiet, quæ non solum bonis fructibus carent, sed malis & nociuis, nempe turpitudine, scandalo publico, latrociniis ac rapinis, iniustitiis, & aliis fermè innumeris peccatorum generib. referatę sūt? Id plane eis eueniet, q. aliis accidisse legim. Nam si sint publica peccata, quæ pusillos offendat, & ruinę occasionem præbeat, terra aperietur, & infernalib. flammis consumetur; Si turpia & inhonesta, immaturā morte rapiuntur: Si peccata inobediencię fuerint, grauissimè punientur, vt in inobediente Ablalone aperte constat, qui cum parentis exercitum effugeret, propriis criminibus inter cælum & terram appensus, miserimè interiit; Quia filium inobedientem neque terra, neque cælum sustinere possunt, idè hoc mortis genere. & hactā confossus occubuit. *Parturiturum, aut duos pullos columbarū.* Aliud mysterium investigandum est circa taxatum pretium pro nostri Saluatoris emptione. Quare par turturum à Beatiss. Virgine & Sanctiss.

Iosepho & non pulli eorum, p. pretio designatur? Mysterium huius inueniemus, si ad constitutionem pullo- rum turturum attendamus, sunt enim leuissimi capitis, idèd homines, qui citò credunt, & ad quamcunque auram mutantur, nostro idiomate pullorum turturis nomine designantur *Tortolicos*. Licet ergò Deus homines tanquā pullos columbarū, quoad simplicitatem velit, non tamen leues, sed maturo iudicio præditos, modestiã & grauitate præstātes. Multi passim reperiuntur, qui propter vnum vel alterum humanitatis verbum, quod ex ore Principis acceperūt, iam præfecturas, Episcopatus, vel totius principatus regimen sibi imaginantur, quod leuitatis iudiciū præcipuè in fæminis apparet, quæ, si fauores Principis persentiāt, ita intumescunt, vt vix audiri, aut tolerari possint. Alii his leuiore reperiuntur, qui suorum maiorum magnalia, stemmata, pro sapię antiquitatem, singulis horis & momentis iactant, nec de aliis rebus conuersantur, aut loqui sciunt. Hoc planè maximam animi leuitatem, & capitis imbecillitatem demonstrat; præcipuè in aliquibus, qui ad tantam paupertatem redacti sunt, vt philosophorum more his discursib. & cōtemplationibus alantur; Idèd Deus non turturum pullos, q. leuitatem iudicāt, sed turtures, p. pretio exposcit, vt nos ipsū pro vili emere possemus

Pi-

Pierius notandam turturū proprietatem designat, ex qua secundam rationem reddemus, quare turtures pro oblatione admittebantur, vt infatū^o redimeretur. Turtures, inquit Pierius, cum sponsum amittunt, nunquam virentibus ramis insident, sed præ mærore aliarum avium societatem effugiunt, & quasi sequestrati solitariam vitam ducunt. Petit ergo Deus, charissimi filii, vt, si nostrarū animarū sponsum propter nostra scelera amissum iterum invenire ac recuperare velimus, tanquam turtures incedamus, qui non in iucundissimis arborib. aut virentibus ramis resident, sed deserta loca conueniūt, vbi cum luctu & mærore pristinum statum deplorant. Quæ cum ita sint, quomodo spōsum inueniēt, qui omnem diligentiam & conatum in pompa & apparatu sæculari, in vestitiū splendore constituunt? Si nostra corda ex absentia gratiæ & charitatis rigent; quomodo Deū inueniemus in huius sæculi deliciis, vanitatibus, superfluitate vestium, quib. nostrum corpus ita variis coloribus, ac si non in hiberno tempore per culpam, sed in vere, cum prata ridet & amantissimè florent, constitutū esset? Audite, quæso, quæ ratione sanctissima Regina Ester suū spōsum quæsierit, cum in quadam afflictione constituta existimauit à se discessisse. *Cumquæ deposuisset vestes regias, stertibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro*

*vnguētis variis cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliavit ieiuniis: omniaque loca, in quibus antea latari consueuerat, crinium laceratione cōpleuit. cap. 14. Diligenti planè ac solerti curâ Deum inquisiuit, vestes enim Regias deposuit, purpuram abiecit, coronam spreuit, sceptrum calcavit, & iuxta internum animi dolorē vestes induit, ac aspero cilicio membra contexit, præciosa vnguenta, quibus suum caput vngere solebat, in cinerem commutauit, corpus ieiuniis maceravit, crines etiam, qui suo splendore radios solis obscurabāt, laceravit, & per palatium sparsit: sic sanctissima Regina Deum quæsiuit, & idē statim inuenit. Neque enim in delectationibus aut delitiis, conuiujs, vel musicorum conuentu, opulentia & vanitate huius mundi, sed in nuditate, paupertate spiritus, in cilicio & cinere reperitur. Et hæc sanè ratio est, quare sponsa, cum suum sponsum quæsiuit, non inuenit. Diu sponsus ad ianuas sponsæ, verbis amore flammatis pulsauerat. *Aperi mihi soror mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinnati mei guttis noctium. Quæ cum se excusasset. Expoliaui metunica mea, quomodo induat illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Canticorum capite quinto. Tandem surrexit sponsa cooperta forsitan præcioso pallio, vt aperiret dilecto suo, non tamen sponsum inuenit: properauit**

citi-

citiùs vt per plateas quæreret, & in ciuitatis custodes incidens ab eis vulnerata fuit, custodes verò muro- rum ab ea pallium abstulerunt. Quare Sponsa suum sponsum tam sollicitè per uicos & plateas quærens non inuenit, sed potiùs in latrones incidit, qui eam vulnerârunt, ac propriis uestibus exuerunt? Ratio hu- ius fuit, quia Deum pretiosis de- nudata uestibus non quæsiuit, nec loco earum lachrymis, cilicio & mortificatione cooperta fuit, sed pal- lium induit, quod sine dubio alicu- ius æstimationis erat, aliàs non tan- tà violentiâ, vulneribus etiam infli- ctis, illo spoliata fuisset. Si hoc ita est; quomodo nos pretiosis ornati uestibus, quæ nostram vanitatem & superbiam demòstrant, sponsum in- uenire poterimus? Tertium & vl- timum, quod nostrum animum allie- cere debet, vt Christû emamus, mer- catoris gratia & affabilitas est, vt mer- ces commodè nobis comparemus; merces enim per manus Beatiss. Vir- nis expediuntur, quæ ita nobis vti- les & liberales sunt, vt cum diuinis coniunctæ, perpetuam pacem inter Deû & homines conciliauerint. Ve- rum nos homines ita viles & ingrati sumus, & nullius fermè substantiæ ac- momèti, vt prædictas merces indies vilescere permittamus, quod non ex defectu mercaturæ, sed ex nostra im- probitate ortum habet, cum merces tanti pretii & æstimationis, ita no-

bis viles & necessarias, & pro nihi- lo fermè taxatas, & manibus San- ctiss. Mariæ liberaliter oblatas emere nolimus. Idèd meritò conqueritur & lamentatur Deus per Isaiam cap. 59. *Et vidit quia non est vir, & a- poriatu est, quia nò est qui occurrat, ac si apertiùs diceret. Vidit Deus nul- lum esse inter mortales, qui cælestes thesauros emere vellet. Et aporiatus est. Hoc Verbum Aprior græcum est, & quoad significationem illius variant Doctores, S. Irenæus mar- tyr asserit afflictionem & angustiam indicare, & sumit metaphorâ ab eo, qui cordis angustia premitur, & præ afflictioe spiritus vix respirare potest, quia poris caret, per quos internam spiritus afflictionem foras emittat, quare existimat hoc verbum aprior deriuari ab aporos, quod significat *Sine poris*. Sic ergò Irenæus hæc ver- ba explicat, *vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat*. Id est, animaduertit Deus hominum ingratiuidiem, & aporiatus est, hoc est, ad extremas cordis angustias de- ductus est, quia nec poros, nec viam aliquam reperire potest, per quam cordis molestiæ & internæ spiritus afflictiones exhalentur, homines enim ita beneficii diuinis ingrati sunt, vt Dei merces & infinitos mi- sericordiæ diuinæ thesauros, quos tanto labore in terram detulit, sper- nant ac negligent. Sanctus Hierony- mus affirmat, quod illud verbum *a-*
Dd *porior**

porior miseriam & paupertatem indicat, & ita *Aporiatus est*, idem valet, atque *pauper factus est*. Eandē explanationem sequuntur S. Ioannes Chrysoſtomus, S. Ambrosius, & eam confirmant ex illis verbis Apostoli. 2. Corinth. 4. *Aporiamur, sed non destituimur*. Id est, inopiam patimur, sed non idēdē prae fame morimur. Senſus ergō illorum verborum iuxta interpretationem Hieronymi iste erit. *Aporiatus est, quia non est qui occurrat*. Hoc est, depauperatus & ad vltimā miseriam redactus est, *quia non est qui occurrat*; hoc est, quia nullus illius merces etiam vili pretio comparare vult. Mirandum sanē est, quōd Deus omnium creaturarum supremus Dominus ad tantā paupertatem deuenit. Potestne Deus, inquit Hieronymus, inopiā pati, aut depauperari? Respondet Sanctus Doctor, Deum ad tantā paupertatem deuenisse, quia suae merces & infinitae diuitiae, quas ex caelestibus palatiis secū duxit, nō expediuntur, *quia non est qui occurrat*, nullus ex sua taberna mercatoria aliquid emit, idēdē illius merces vilescunt, & ipse ad extremam paupertatem redigitur. Quod hac accommodata similitudine rectē explicari potest: sapiūs enim evenire solet, vt ditissimus mercator domum suam omnium mercium genere refertam habeat, & si ab illo interrogem⁹ qualiter contractus & negotia succedant, respondere solet; omnia adversam fortunam cōitari, addit etiam se de-

pauperatū esse ac omnino miserū. Quōd si iterū instemus interrogando, cur se pauperem appellet, cū sua domus omnib. mercibus etiam pretiosissimis abundet; respondebit eā esse suae iacturā ac perditionis causam, quia nihil venditur, & contractus ac mercaturae silent. Sic igitur Esaias Deum depingit. *Vidit quia non est vir, & aporiatus est*. Deus enim in sua Ecclesia nundinas, ac mercatoriam domum instituit, in qua aeternos thesauros venditioni & emptioni exposuit, & *aporiatus est*, id est, extremē pauper est. Quōd si interrogetis, quomodo pauper esse potest, qui aeternis diuitiis abundat? Respondet Esaias, *Quia nō est qui occurrat*, merces enim non expediuntur, nullus mercatoriam domū accedit, contractus silent. Et si à sancto Propheta Esaiā iterum rationem huius diligentius exquiramus, ita ait. *Et vidit Dominus quia non est vir*: optimā rationem reddit, quia videlicet videt Deus se non habere virū, qui sua negotia sollicitet, vt caelestes thesauri venundentur. Desunt iam Dauides qui causam diuinā defendant, non inuenitur alter Simeon iustus & timoratus, qui Dei thesauros & diuitias praedicet; *Hic venit in Spiritu in templū, & caelestes thesauros in vlnas accipiens, ac praconis munus agens, totius vniuersi oculis, pposuit. Ante faciem omnium populorum*. Idēdē S. Euangelista hominem, quasi per antonomasiam appellauit, *Ecce homo erat in iherusalem*; Quia dum S. Simeon

in vi-

in uinis erat, Deus hominē ac uirum
 præstantissimū habuit, qui peccato-
 res ad misericordiæ diuinę fōtem ad-
 duceret. *Expectans consolatione Israel.*
 Ipse ardentissimo desiderio aduentū
 nostri Saluatoris in mundū desidera-
 uit, ut per illi⁹ euulgationem omnib.
 innotesceret, consolationem Israël
 præsentem esse. Miror sanè quòd pec-
 catores tam imēsos thesauros, & tā-
 ti valoris merces ita negligent ac de-
 spiciāt, cū aliās ea quæ Deo in præ-
 tium conferuntur, iterum in nostram
 utilitatem cedant. Amittuntur nē,
 charissimi filii, ea quæ Deo nostro do-
 nantur, aut pro sua comōditate & v-
 tilitate retinet? neutrum planè, o-
 mnia enim quæ illi offeruntur, in in-
 tegrum & in nostrum comōdum sta-
 tim reddit, solū illa euanescent &
 pereunt, quæ carni & dæmoni conce-
 duntur. Multæ planè virgines suam
 venustatem ac pulchritudinem cum
 summa laude cōseruāssent, si eā non
 mundo & carni, sed soli Deo conse-
 crāssent, variæ etiam infirmitates im-
 pedirentur modò, si optima corporis
 constitutio, ac membrorum elegan-
 tia soli Deo in obsequium dicaretur,
 præclarissimę tandem familiæ magis
 nostris sæculis niterent, & splendi-
 dissimè inter cæteras micarent, si in
 Dei, & non in dæmonis manibus con-
 stituerentur, ea enim quæ ipsi confe-
 runtur, quasi in lucrum nostrū acce-
 ptat, nostra quidem bona libenter ac-
 cipit, nō tamē vt consumat, sed vt nos

ab illorū amore separet: Deindè eadē,
 & multa alia maioris æstimationis
 bona, affluenter confert; Idè hodie-
 nā luce Beatiss. Virgo suum Filiū Deo
 offert, vt daret hostiam Deo, & iterum
 à sacerdote ei traditur, vt constet, De-
 um non retinere quæ ipsi à nobis do-
 nantur, sed potius quasi in nostrum
 lucrum recipit, vt postea in nostrum
 comōdum & utilitatē referat, Vnde
 etiam sanctissi. Maria duos turtures
 offert, vt christum emat, scit enim se
 non ad auari mercatoris tabernā ac-
 cedere, vt merces cōparet, sed ad li-
 beralissimi mercatoris domum, qui
 ea, quæ centum valent, pro nullo fer-
 mē, aut vilissimo pretio donat, Chri-
 stum enim verum Deum & hominē
 pro duobus pullis columbarum rede-
 mit, Ex quo colligi apertè potest, qua-
 liter Deus ad nostrum comōdum at-
 tendat, cū tanti pretii & æstima-
 tionis merces tam vili pretio vendi-
 tet, quod nostrum Euangelium ma-
 nifestè indicat. Quare enim hortus
 conclusus ita diligenter clausurā ser-
 vat, & illa quæ templum est Spiritus
 Sancti ab ingressū templi abstinet, &
 cū sit ipsa sanctitas & puritas, leges
 purificationis custodit ac obseruat?
 Nō planè ppter aliam causam, quàm
 ob nostrum comōdum & utilitatem,
 ne coram Deo imūdi & sordidi cō-
 pareamus. Quare etiam quadraginta
 dierū spatio ea purificatur, quæ nullo
 vnquam tempore immunda fuit, si d
 sole & stellis splēdidior exiit? Idè

Dd 2

id ef-

id effectū est, vt peccatores animadvertant, suorum peccatorum purificationem non segniter & vna vel altera die tractandum fore, sed longo temporis spatio sapius repetenda, vt tanquam Naaman Cyrus, à suorum scelerū lepra sapius mundetur. Quare Mater & Filius tam solerti curā Moysi leges ad vnguem obseruant? Non ob aliud nisi vt nos Euangelii leges seruemus, quæ in præstantia ita antiquas excellunt, sicut lux tenebras superat. Quare tandem Beatissima Virgo dulcissimum IESVM in templum infert? vt nos nunquam sine nostro Salvatore templum ingrediamur. Perpendite quæso diligenter, quomodo Maria sanctissima puerum Iesum in brachia magni sacerdotis Simeonis reponat, ipse verò Patri Æterno pro peccatoribus offerat, vt ex hoc addiscamus, quâ ratione sacerdotū patrociniū vtendum nobis sit, præcipuè in Sacrosancto sacrificio Missæ, vbi dulcissimus Iesus pro nostra reconciliatione Patri Æterno immolatur; ab ipso postulandum est, vt pro nobis Christum offerat, sine cuius meritis nullus coram Diuina Majestate comparere potest. Et dum sacerdos proorat, ex imo pectore suspiria & gemitus ac lachrymas effundas, id enim turtures hodiè in sacrificium oblatis, manifestant, quia isti loco musicæ ac suauissimi concentus, quem aliæ aues excitare solent, ge-

munt ac miserè conqueruntur. Ex sancto Simeone iustitiam & sanctitatem depromite, & cum ipso imensas ac debitas gratias Deo rependite; Quia misericorditer voluit, vt tali tempore nasceremur, quo non solum nostris brachiis puerum Iesum deferre possemus, sed etiam ore sumere, & visceribus gestare, cum per sacram communionem ex manibus sacerdotis accipimus. Quod si Poëta fueris, & carmina componere didiceris, in honorem nostri Saluatoris ad imitationem sancti Simeonis proferas. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace;* vt sic vester intellectus Diuino Spiritu illustrat⁹, in hac vita Deum per viam fidem agnoscat, & in alia per visionem intueatur, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus. Amen.



Sermo Tertius.

PRO SALVTATIONE
Angelica.



QVEM AD MODVM illi qui vela ventis dare volunt ac maria nauigare, priusquam sua vela explicent & euoluant, cæleste auxilium implorant, vt prospere

1036

roac secundo vento ad destinatum portū perueniant. Ita similiter cūm immensum pelagus ac mare profundissimum laudum ac prerogatiuarum Beatiffi, Virginis hodiernā purificationis die aggredi velimus, antequam lingue & ingeniorū vela expandamus, nostrarum virium imbecillitatem fatentes, corda nostra coram Deo humiliter dejiciamus, vt diuinę gratię ac sapientię lux nobis illuceat. Quis enim justē de Deo sine illius adiutorio loqui poterit? aut quis Dei, aut eius sanctissimę Matris excellentias dignē enarrare valebit, nisi in tam longa nauigatione, & immenso laudū pelago suauissima Spiritus Diuini aura perflēt? Hanc Marię sanctissimę interuentu postulemus Dicendo Aue Maria.

Postquam impleti sunt dies purgationis Marię.

Luc. 2. cap.

Inpręsenti celebritate, chariffimi filii, cūm Beatissima Virgo suo filio comitata templum Ierusalem ingressa est, Summus prępotensque Dominus suum verbum impleuit, quod per Aggeum Prophetam suo populo prędixerat, templum nempe per Esdrā & alius socios reedificatum, excellentiā, pręstantiā & maiestate templum à Salomone extructum, & per Nabu-

chodonosor deuastatū, lōgo interuallo superaturum esse. Quod vt clariū intelligatur, pręsupponendum est tanquam certum, quodd templum Salomonis, aliud ab Esdra & Principe Zorobabel extructum, postquam ex captiuitate Babylonis redierunt, in multis excelluerit; Quia, etiāsi ad solas templi Salomonis diuitias, & ad alterius paupertatem oculos conuertamus, ex hoc euidenter constare poterit, maiestas & excellentia primī, quā secundum, excelebat: De hoc enim templo à Zorobabel erecto dicit scriptura, ex impolito lapide extructū fuisse. *Erat de lapide impolito Esd. 5.* Salomonis verò templum ex lapidibus perpolitis, magni pretii & æstimationis, & auro coopertis ædificatum est. *Nihilq̄, erat in templo quod nō auro tegetetur. 3. Reg. 6. cap.* Et maxime planē illius gloriam exaltat, quodd ingenio & arte omnium mortalium sapientissimi, Salomonis scilicet elaboratum fuerit. Vnde fabrica illa inter omnes, quę in toto vniuerso erectę sunt, maiorem gloriam consequuta est; in cuius comparatione septem mundi miracula, muri Babylonię, Ægypti pyramides, Iouis, Olympii, & Dianę templa, Carię Mausolia, Romę amphiteatra &c. nullum fermē splendorem aut gloriam continent. Et vt huius templi inæstimabiles diuitias pręteream, cūm solum thuribula ex auro purissimo confecta ad septuaginta millia pertingerent:

Dd 3

rent:

rent. Ex alto capite illius præstantiâ proferam, quod non ingratum fore existimo, cum sit argumentum Diui Chrysoſtomi contra Judaizantes fui temporis. Imprimis hoc excellentiſſimum templum à Salomone ædificatum ſecundum ſuperabat; quia gloria Domini, vt conſtat ex 8. cap. 3. lib. Regum, in illud deſcendebat. Cui addendum eſt id quod aliqui in lingua ſancta periti obſeruârunt, nempe Salomonis templum tantę capacitatis fuiſſe, vt intra ſe totum regnũ Iſraël caperet, & quamcũq; hominum multitudinẽ cõprehenderet, neque ynquam locus deerat, etiamſi magnus eſſet tam mulierum, quàm virorum accuſus. Secunda excellentia eſt, quia in hoc primo templo arca fœderis poſita erat, non verò in ſecundo. Vt enim ex Propheta Ieremia colligitur, arca teſtamenti in templo Salomonis fuit vſque ad tempora Nabuchodonofor, poſteà verò Propheta diuino ſpiritu illuſtratus, Chaldæorum aduentum prævidens, eam extraxit, & in culmen montis Abarim detulit, ibique iuxta ſepulchrum & corpus Moysi collocauit, vbi ſimul cum illius corpore latet. Ex quo aperte conſtat, arcam fœderis non fuiſſe in ſecundo templo, quod Princeps Zorobabel, & Eſdras cum ſociis ædificârunt. Tertia excellentia fuit, in primo enim templo omnes Sacerdotes oleo ſancto, quod in hunc finem à

ſancto Rege Dauid delatum erat, inungebantur: At in ſecundo templo ſacerdotes neque vncti, neque conſecrati erant. Quarta excellentia erat; Nam in priori templo ex propitiatorio, quod ex ſolido & puriſſimo auro conſectum erat, Deus in grauioribus & arduis negotiis, in quibus conſulebatur, reſponſum dabat. Et vocabatur propitiatorium, quia ibi orationibus ſummi ſacerdotis DEVS placabatur, & per Angelum ſummo ſacerdoti reſpondebat, vt ſuo nomine peccata populo condonaret. Hoc ergò beneficium maximum, quod Deus ſuo populo conferebat, à tempore erectionis tabernaculi, & deinde per mille annos continuatum fuit; in ſecundo templo deſuit, nunquam enim ex Dei ore aliquod reſponſum acceperunt; neque ſacerdotes, neque alii, qui illud templum frequentabant. Quinta excellentia erit, quia in primo templo ſignum apertum erat amicitie & reconciliationis diuinæ; cum enim populus DEO gratus & acceptus erat, ex lapidibus pretioſis quibus ſummi ſacerdotis veſtes pulcherrimè exornabantur peculiaris quidam ſplendor emanabat, quo filii Iſraël iudicabant, iam ſe Deum amicum & propitium habere; in ſecundo verò templo nunquam ſimilis ſplendor emicuit. Tandem vt vno verbo concludam, omnes prædictæ

dictæ excellentiæ in posteriori templo defuerunt. Postquam verò filii Israël ex captiuitate Babylonis regressi sunt, & secundum templum ædificatum est, illi qui iuniores erant, nec prioris templi magnificentiam aspexerant, præ gaudio & exultatione gestiebant cùm sui templi maiestatem & pulchritudinem intuerentur: Seniores verò, qui Salomonis templum viderant, huius nouiter templi erecti paupertatem cõtemplantes, si cum alio conferretur, nimiam tristitiã afficiebantur, templi antiqui opulentiam, thesauros, magnificentiam & apparatus, quo Deus colebatur, in memoriam reuocantes, quia impossibile iudicabant, quod hoc templum ad prioris gloriam & supremam maiestatem reduci posset, ided animis deficiebant, & nimio mærore deiciebantur, cùm sui Dei cultum, & templum ad inferiorem statum deuenisse animaduertent, suprema tamẽ Diuina Maiestas consolabatur illos per Prophetam Aggæum his verbis. *Ad huc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes: ET VENIET DESIDERATVS cunctis gentibus; Et implebo domum istam gloria. Magna erit gloria domus istius novissima plusquam prima; Et in loco isto dabo pacem. capite 2.* Ac si diceret. Nonnẽ excellentias, quibus primum templum à Sa-

lomone erectum, secundum excellere videtur? Diligenter animaduertistis, ego tamen hoc secundum ita illustrabo, vt in gloria, magnificentia & apparatu aliud longè antecellat, nolite animũ vestrũ nimiam tristitiã deicere. *Magna erit gloria domus istius novissima, plusquã prima; Templum enĩ à Salomone ædificatũ umbra tantum & figura erit domus istius novissima, à Principe Zorobabel & Esdra elaborata. Hodiẽ hæc promissio diuina impleta est, cùm Beatissima Virgo dulcissimum Iesum in templum infert, & excellentiæ antiqui templi Salomonis, hodiernã luce deuincuntur ac superantur. Quia si gloria Domini in Salomonis templum descendebat, & peculiari quodam miraculo illud intra se omnes tribus Israël cõprehendere & cõtinere poterat, hĩc in secundo templo, & in brachiis Mariæ sanctissime ipsa Dei gloria personaliter inuenitur, Verbum nempe Diuinum, quod Apostolus Paulus splendorem gloriæ appellat. *Qui cùm sit splendor gloriæ. Heb. 1.* Et Propheta Dauid Regẽ gloriæ nuncupauit. *Quis est iste Rex gloriæ? Psalm. 23.* In quo mirabiliora manifestat Deus, quã in antiquo templo Salomonis, etiãsi omnes totius vniversi creaturas caperet, quia, vt inquit Esaias. *Omnes gentes quasi non sint, existunt coram illo. cap. 40.* Et si in priori tẽplo arca testamenti tribus illis reliquiis exornata reposita erat;*

taerat; In hoc secundo vera fæderis arca, cuius altera tantùm umbra & figura erat, reperitur, præstantioribus reliquiis decorata. Nam in se realiter continet diuinæ virtutis virgam tantę virtutis & efficaciz, vt totum hominum genus à dura dæmonis seruitute liberare possit; continet etiam cæleste manna, panem viuum ac vitalem, omnium ciborum saporem & substantiam retinens, vt S. Fræciscus cum Deo colloquens dicere solebat. *Deus meus & omnia.* Tandem hæc verissima fæderis arca cistam diuinis thesauris refertam continet, & in templum infert, Verbū, inquā, Diuinum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, & non præcisè legis tabulæ, sed ipse legislator, qui leges condidit, & proprio digito scripsit, ac pretiosissimo sanguine firmavit & stabiliiuit. Habet etiam hoc secundum templum tertiam alterius excellentiam, & in superiori & eminentiori gradu: Si enim in templo Salomonis sacerdotes oleo sancto vngebantur, hodiè Christus Dominus supremus Rex, & Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech, Spiritus Diuini gratiã vnctus, hoc secundum templum ingreditur, idem enim significat Christus, atque Spiritus Diuini gratiã vnctus, de quo dixit Propheta psal. 44. *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo latitiæ &c.* Et ex hac Christi appellatione filii Ecclesiæ gloriosissimum christiano-

rum titulum vsurpant, quo nullus neq; in cælo, neq; in terra, excellentior excogitari potest. Sed jam quid de quarta excellentia proferā, de respōsis videlicet & oraculis, quæ in aureo propitiatorio, quo antiqui testamēti arca operiebatur, filiis Israhel conferri solebant? Ista enim silentio præteriri nō possunt, si mysteriū hodiernæ festiuitatis oculis fidei attentè conspiciamus, cū in hoc templo Zorobabel simul inueniantur vera arca fæderis, quæ est Maria sanctissima, & aureum propitiatoriū, quod est Christus Dominus, de quo Euangelista Ioannes cap. 2. expressè asserit. *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Est què propitiatorium aureum propter diuinitatem, quam aurum demonstrat, vt sponsa indicat loquens de sui sponsi capite. *Caput illius aurum optimum. Cant. 5.* Advertamus modò diligenter huius veri propitiatorii respōsa, talia enim & tam admiranda fuerūt, vt S. Lucas dicat, omnium animos in maximam admirationem rapuisse, quia diuinā sapientiā & veritate referta erant. Imò si Theologicè loquendum est, ipsum verum propitiatorium, erat etiam diuinum respōsum, quo Deus sua secreta nobis in tēpore manifestauit, vt inquit S. Paulus: *Nonisimè loquutus est nobis in Filio. Heb. 1.* Per quem ad omnia petita & interrogata sapientissimè respōdit, cuius doctrinam ex mandato Dei audire & auscultare tenemur.

Ipsius

Ipsam audite. Ioann. 1. quia est æterni Patris viux vocis oraculū, per quod & Spiritum Sanctum omnem veritatem edocuit. Ille vos docebit omnem veritatem. Ioan. 14. Cap. Quinto & vltimo quodd ad fulgentem splendorem summi Sacerdotis attinet, cum pretiosi lapides, quibus illius vestes elaboratæ erant, insignū diuinæ reconciliationis splendidissimè micabāt, nulla potest esse comparatio inter antiquum Salomonis templū & secundum nouiter ædificatum, cum ipse splendor gloriæ Christus Saluator noster in ipso fuerit, vt leges purificationis impleter, quem cum primū iustus Simeon aspexit, lumen gentium appellauit. Lumen ad revelationē gentium. Et Malachias solem splendidissimum vocat. Orietur vobis timentibus nomen meū sol iustitia Cap. 4. Quod si in vestes & faciē illius in monte thabor trāfigurati mentis aciem convertamus, nihil nisi micatē splendore intuebimur. Splenduit facies eius sicut sol. Matt. 17. Hac igitur iucundissima die, quā B. Virgo suum filium in templum intulit, vt eum à sacerdote redimeret, templum Sanctum Ierusalem nouiter ædificatum, infinito quodam excessu antiquum Salomonis templum, diuitiis, gloriā, magnificentiā & apparatu superauit, & consequenter diuina promissa fidelissimè impleta fuerunt. Quæ cum ita sint, ad Evangelij literam propiūs ac-

cedamus. Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ &c. Quare solus Lucas ætatem Christi computat hoc in præsentī Evangelio, & in circumcissione. Postquam dies octo &c & post apparitionem in templo, sic scribit. Cum esset annorū duodecim Luc. 2. Et in baptismo. Cum esset triginta annorum. Luc. 3. Pro huius intelligentia notandum est, quod sanctus Evangelista Lucas significatur per vitulum, qui olim offerebatur in sacrificium, & sic in suo Evangelio à principio vsque in finem de sacerdote Christi agit, à templo suum Evangelium exordiens. Cum esset Zacharias in tēplo. cap. 1 Et tādē sic absoluit Erant in tēplo semper laudātes. Notatu tamen dignissimum est, quodd nostri Saluatoris Sacerdotium alia excelluit; Quia Christus Redemptor noster simul fuit Sacerdos & hostia, vt constat ad Galatas. 2. Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me. Et ad Ephesios Cap. 5. Tradidit semetipsum pronobis oblationē & hostiam Deo in odorem suauitatis. Et si diligenter sacram scripturā evoluerē velimus, apertē inueniemus, non de quocunque sacrificio dici illud oblatum esse Deo in odorem suauitatis, idē nī soli holocausto attribuitur, quod totū comburebatur & cōsumebatur in odorem ac honorem Dei; Idē dicitur de Christo traditum fuisse pronobis, & oblatum Patri Diuino in odorem suauitatis; quia totum vsque

E c ad

ad mortem tanquam holocaustum Deo obtulit, & hæc etiam est causa, quare in cruce, quâdo vltimū Spiritū exhalauit, illa mystertosa verba protulit, *Consumatum est*. Quibus indicauit se totum per omnes actiones vsque ad turpissimam mortem immolatum fuisse. Verūm, quam ratione se morti subiecit, vt per modum holocausti pro nostra reconciliatione Patri æterno offerretur? Noluit planè morti violenter illata seipsū subicere, sed mortē quasi naturalem propriā voluntate acceptatam, per dies, menses & annos, vsq; ad virilitatem diuisam passus est: Ided Evangelista Lucas illius dies in præsentī Evangelio enumerat. *Postquam impleti sunt dies*; vt constaret illius mortem nō ex arbitrio & beneplacito hominum, sed illius voluntate à pueritia electam fuisse, Christus Saluator noster, & verus Sacerdos in hunc mundum aduenit, vt in sacrificium & holocaustum Deo pro nostris peccatis offerretur, noluit tamen, vt sua passio & mors ex hominum beneplacito penderet, vt patet in phariseis, qui sepius illius mortem tentârunt, nunquam tamen, vsque ad tempus ab ipso & æterno Patre destinatum, exequenti sunt; sed eam, annorum, ætatum & temporum diversitatū subicere voluit, ut hac ratione quoscunque homines ad sui amorem magis magisque alliceret, & fortius adstringeret.

Hoc Sanctus Augustinus libr. de peccatorū meritis & reminiscencia his verbis notauit, *Christus nasci voluit subiectus temporum mutationi, vt ad mortem veniret illa caro senescendo, venire enim non posset, si iuuenis non fuisset &c. vt sic morte suâ mundū redimeret*. Voluit ergo noster Saluator suam passionem temporum mutatione metiri, vt ipsa tempora suam vitam paulatim cōlumerent. Qudd acutè tetigisse videtur Sanctus Lucas, cūm dicit, *Postquam impleti sunt dies &c.* Vbi infantis ætatem enumerat, vt constet illius dies, etiam si æternus sit, numerari, ætatem labi, ac tandem ad mortem ex Patris obedientia, & propter hominum redemptionem properare. Et addit Sanctus Doctor libr. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. quodd tempore, à quo viuere incipimus, ipsa mors in nostram vitam nouum ius & possessionem accipit, vt colligitur ex illo Gen. cap. 2. *In quocunq; die comederis, morte morieris*; in eodem enim puncto, quo nostri primi parentes ex arbore uetita comederunt, mors illorum uitæ momenta mensurauit, ac suam iurisdictionem in omnes mortales extendit; ided statim atque homines viuere incipiunt, ad mortem etiam concitato cursu properant, & dum magis viuunt, citius ad mortem appropinquāt. Vt ergo Sanctus Evangelista Lucas significaret ac intimaret nobis omnibus quod

quod Christus non solum venit, ut in sacrificium offerretur, sed etiam, ut singulis diebus aliquam suae vitae partem amittens, ad mortem pro nostra salute subeundam properaret, ideò dulcissimi infantis dies in Evangelio enumeravit, consequenter etiam insinuavit, quo desiderio noster Saluator remedium & libertatem hominum exoptavit, cum nec longum vitae terminum, nec grandæviam aetatem expectet, ut pro hominum salute moriatur; sed potius ab ineunte aetate mori incipiat, & in ipsa primæ natiuitatis Dei, quæ in Bethlehem natus est, suae vitae dies velocissimè prætereant, & ad finem vitae properent, in quo desideria nostri Redemptoris apertis indicis manifestantur, vellet enim pro nobis statim mori, ut illa verba Lucæ indicant. *Baptisimo habeo baptizari & quomodo confingor, donec perficiatur? cap. 12.* Ideò non expectavit mortem post lögam vitam transactam, sed in ipso suae aetatis ac sanctæ juventutis flore pro peccatoribus occubuit. Quod insinuatur in titulo psalmi 21. *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? Qui sic inscribitur. In finem pro susceptione marutina.* In alia versione sic legitur. *In finem pro cerva marutina, vel aurora.* In prædicto psalmo agit Propheta Sanctus de Christi morte & passione, & juxta versionem allatam, compositus fuit pro cerva matutina, Cervus est animal

ita sincerum, ut etiam si venator eum aspiciat, qui contra eum sagittam emittit, non propterea statim fugit, sed diu expectat quasi sibi persuadens, nullum esse, qui contra se aliquid tentet: Ita in redemptione generis humani nostro Salvatore contigisse videtur, cum enim Pater æternus suæ iræ arcum propter nostra scelera contra ipsum extendens, cruci affixisset, Christus tamen, ac si nihil in suam personam fieret, sic Patrem Diuinum affatus est. *Deus Deus me respice in me, quare me dereliquisti?* Præterea cervus nunquam febre laborat, quin potius illius carnes à febre liberant & præservant: Ita etiam solus Christus febrem concupiscentiæ pati non potuit, & sola ipsius caro ab omni peccati febre libera extirpit. Deinde cervus natiuo quodam odio ac intestino bello in serpentes invehitur: Sic Christus dæmonem serpentem antiquum maximo odio prosequutus est; unde in Genesi, ubi legitur, *Ipsa conteret caput tuum, capite. 3.* Alii sic legunt. *Ipsa conteret caput tuum;* ad denotandum maximum Christi odium erga dæmonem, qui ibi nomine serpentis significatur. Tandem, ut ad nostrum scopum propius accedam, cervus, cum in ætate à venatore vulneratur, & canes eum insequantur, ardoribus solis exustus, & nimia defagitatione confectus, summam aviditatem fœtes aquarum desiderat, ut calorem & sitim extinguat, & refrigerium aliquo experiatur;

E e 2 mirum

mirum tamen esset si cervus primo mane, cum nec sol viget, nec continuâ cursitatione membra incensa sunt, crystallinæ aquæ fontem appeteret, hoc planè maximam illius sitim indicaret. Talem ergò sitim, charissimi auditores, Christus Redemptor noster pro salute nostra perpessus est, quia antequam cervus iste divinus à canibus vexaretur. *Circum-dederunt me canes multi. Psalm 21.* et à venatoribus ac persequutorib⁹ insidias pateretur, & antequam jaculatorium arcum sibi imminentem conspiceret, & à solis ardoribus incenderetur, tam ardentissimo moriendi amore diuinum illud pectus æstuebat, & ita sitiebat, quòd lingua iam faucibus adhaereret, vt ipse testatur. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhaesit faucibus meis. Psal. 21.* Mirandum sanè est, quòd Christus Saluator noster primo suæ vitæ diluculo mortem eligat, & viuendo paulatim moriatur; Hoc maximum nostræ redemptionis desiderium demonstrat, quod vt indicaret Euangelista, dies, & horas ac momenta vitæ eius designat, vt animaduertamus, quòd eo modo, quo tempora & dies Christi labuntur, ipsa etiam vita ad mortem pro nostra reparatione concitato cursu properat. Sed quomodo, charissimi auditores, tantum nostri Salvatoris amorem dignè persoluemus, ac gratis beneficiis compensabimus? amor tam immensus non

alio quàm mutuo amore compensabitur; *Magnes amoris amor.* Miseria tamen nostrorum temporum declamanda & deploranda est, homines enim grati animi officia ingratitude persolvunt, nec vindictam diuinam pertimescunt, vt in Saule erga Dauidem compertum fuit, *Humiliabit illos, qui est ante sacula. Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum. Psalm 54.* Loquitur hic Propheta sanctus de ingratitude Saulis, & dicit. *Non enim est illis commutatio.* Id est, pro beneficiis acceptis retributio. Meritò conqueritur David de Saulis ingratitude, quia cum sepiùs vitam suam pro illo, & suis exposuisset: primò, cum in iuuentute gigantem prostrauit ac decapitauit; secundò, cum in variis occasionibus contra Philistæos maximo suæ vitæ periculo pro ipso bellum gessit, deindè cum eius vitæ pepercit, cum aliàs ipsum, habità etiam licentiâ Dei, vt aliqui sanctorum Patrum affirmant, interficere potuisset, tam ingratas tamen pro acceptis beneficiis extitit, vt diebus ac noctibus ipsum insequeretur, ita vt David fugitivus, & extra propriam patriam exul inter feras & syluestria animalia moraretur, idèd dicit. *Non est illis commutatio.* Maiora beneficia verus David hominibus contulit, quia non solùm se periculo vitæ exposuit, sed de facto pro nostra salute, vt nos vitam haberemus, turpissimam mortem passus est; *Non est illis*

illis

illis commutatio, & non timuerunt Deum. Peccatores tamen tantum beneficium animi ingratitude rependunt, imò singulis diebus suum benefactorem offendunt. Hodie sua scelera fatentur, sequenti verò die in eadem & grauiora prolabantur, vt alter Saul, qui sæpiùs cum Dauide amicitiam contraxit, postea verò in illum vehemètiùs insurrexit. Timenda tamen est vindicta diuina, forsitan eisdem suppliciiis, quibus Saul, in alio sæculo punientur. *Humiliauit illos, qui est ante secula.* Idèd beneficiis diuinis, quæ singulis momentis experimur, gratitudine animi, sanctè & piè viuendo occurramus, vt in hac vita gratiâ & familiaritate diuinâ participes effecti, gloriâ etiam in alia nunquam interitura vita perfruemur, quam mihi & vobis præstare dignetur IESUS CHRISTUS, Amen.



M O R A L I S
Discursus eiusdem
festiuitatis.

Postquam impleti sunt dies purgationis Maria, secundum legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt steterent eum Domino, sicut scriptum

est in lege Domini. Luc. 2. cap. Hodierne purificationis exemplo, charissimi filii, inanis huius sæculi gloria, honor, pompa, vani atque falsi tituli funditùs euertuntur. Diuersâ planè viâ atquè nos Maria sanctissima, & eius Filius sacratissimus incedunt, & diuersum modum agendi seruant. Nos enim cùm peccatores esse velimus, nolumus tamen inter peccatores annumerari, nec tales apparere, dulcissimus Iesus & eius sanctissima mater peccatores quidem esse nolunt, volunt tamen inter peccatores computari, neq; vt tales comparere dedignantur. Dulcissimus enim Iesus post octo dies legibus circumcisionis, quæ signum erat peccatorum, se subiecit; & Beatissima Maria leges purificationis, quæ pro immundis late erant, fidelissimè impleuit, cùm aliàs sine corruptione ac immunditia omni peperisset, in puritate solem, & vniuersas firmamenti stellas longè antecellens. In puritate ergò & vitæ nitore talem matrem & Filium imitemini: & pudeat vos, quòd tam sordidi & abominabiles peccatores sitis, saltem ita peccata effugiatis, sicut ipsam peccatorum effigiem detestamini: maiori odio peccatum, quàm infernum prosequi tenemur, cùm omnia inferni tormenta in malitia & grauitate excedat, & potius mors acerbissima, quàm offensa contra Deum, qui est infinitum & immensum bonum, eligenda & amplecten-

plectenda est: in modo etiam agendi cum Deo, Mariæ sanctissimi. Dei Matris & omnium Angelorum Regina vestigia ac mores sectemur; hodiè enim, licet tenuem oblationem pro infantis redemptione Sacerdoti præsentet, duos nempè turtures, aut pullos columbarum, eam tamè oblationem, non nudam, sed cum infantulo divino simul obtulit, vt sic in valore & æstimatione in infinitum excresceret Sic peccatores nõ nudas orationes, ieiunia, eleemosynas, & huius vitæ molestias Deo offerre debêt, quia ex se parùm valent, nisi cum nostri Saluatoris operibus conjungantur, ex quibus valore accipiūt, vt digna oblatio & sacrificium Patri Æterno imoletur. Esau primogenitus filius Isaac tanto odio prosequabatur suum fratrem Iacob, quia primò benedictionem acceperat, & jus primogeniture illi præripuerat, quod apud se firmiter decreuerit eum interficere, quo sine omnibus modis suum minorem fratrem insequutus est, vt injuriã sibi illatam vindicaret. Cùm ergò Iacob intentionem & animũ sui fratris agnouisset, viã & modũ excogitauit, quo amicitia sui fratris conciliaret; munera enim, quæ pectora quãtumuis rigétia, emollire solent, sapius per suos famulos trãsmisit: jam ducentas capras, modò quadraginta vaccas, aliã occasione viginti camelos, tandem multa alia munera magni pretii & æstima-

tionis trãsmisit, quæ omnia despexit Esau, nec illius animum ataxerunt, vt suum fratrem ad suã familiaritatem admitteret: neq; Lia omnib. suis filiis stipata, etiam ad pedes illi⁹ se prouoluerit, sufficiens fuit, vt Esau suum minorem fratrem in suam gratiam reciperet: At postquam pulcherrimam Rachelem suis brachiis Iosephum deferentem, atq; ad illius pedes prostratã conspexit, ita Rachele oblatio sibi pla. uit, vt fratri suo in signum reconciliationis & amicitie obuiam occurrerit, & effusis lachrymis eum fuerit osculatus, vt Sacra Scriptura refert. *Currens Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum: stringensquè collum eius, & osculans flevit &c. Genesis capite 33.* Summo enim gaudio & lætitiã cordis sui ei occurrens, strictissimis amplexibus internum amorem & familiaritatem firmavit, & continuã lachrymarum effusione, fraterno ac sincero amore amplexatus est eum. Ad nostrum igitur propositum, accedens tanto odio Deus noster hominem propter violationem præcepti psequutus est, ita contra nostrum primum parentem iratus & concitatus fuit, vt eum in aternã damnationem destinaverit. *Et armabit creaturam ad ultionem. Sap. capite. 5.* Vt ex illo justam vindictam sumeret, perpetuò vexaret, & ab aterna beatitudine, ad quam creatus fuit, deturbaret ac deiceret: Tanta fuit illius miseria, & omnium

et omnium, quæ ab illo deriuati sunt, infelicitas, vt nullus pro injuria contra Deum commissa, ad æqualitatem, & ex toto rigore iustitiæ satisfacere potuerit. Sacrificia quidem obtulit Abel, quæ Deo gratissima fuerunt, holocausta coram Deo præsentauit Abraham, varia sacrificia immolauit etiam Melchisedech: Noe etiam sacrificia obtulit, non tamen ita Deo accepta erant, nec tanti pretii & æstimationis, vt illatam iniuriam ad æqualitatem compensarent, nec ita Deo placuerunt, vt dicere possimus, quod *Occurrit Dominus obviam fratri suo, & amplexatus est eum.* Hac tamen purificationis die omnes mortales exultent, & quamcunque tristitiam & mærorem expellant; *Quia, postquam consumati sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino.* Tale ac tam sublime munus Patri Æterno ex parte hominum oblatum est, ita illi acceptum, ac tanti valoris ad offensam ex toto rigore iustitiæ compensandam, vt ipse apertè dicat. *In loco isto dabo pacem, & inimicitia & lites antiquæ perpetuè dirimentur.* Ita Deo placuit pulcherrima Rachel, Maria inquam sanctissima, deferens suis brachiis dulcissimum Iesum, & aded illius viscera commota fuerunt, quod *occurrens fratri suo, amplexatus est eum.* Licet enim variæ muneræ ei oblata

fuisent, Lia etiam suis filiis stipata, quæ legem veterem cum omnibus suis sacrificiis & holocaustis repræsentabat, ista tamen illius animum nondum omninò pacatum ac tranquillum reddiderant: Postquam vero Maria sanctissima, tanquam altera Rachel coram Patre Diuino suum filium, & Redemptorem & Salvatorem nostrum præsentauit, ira & concitatus contra peccatores furor compressus fuit. *Quamprimùm hæc felicissima Abigail, Beatissima Maria coram Patre Æterno in genua procubuit, sic dicens. Suscipe benedictionem, quam attuli tibi. Genesis. capite 33.* Id est, Omnipotens & æterne Pater, omni honore venerande, oblationem hodiernam, quam ancilla tua offert, grato animo & voluntate accepta, justissimum contra filios Adæ furorem compescas; licet enim maximo supplicio digni sint, potiùs tamen ex stultitia & ignorantia, quàm ex malitia peccarunt. *Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo. 1. Regum capite 25.* Nè ad hominem & merita illius oculos conuertas, nequè irâ & furorè in illum exequaris, jam fragilitatem & stultitiam hominis agnoscis. *Et stultitia est cum eo. Quapropter suscipe benedictionem hanc. 1. Reg. 25.* Id est, oblationem & munus

munus quod hodiernâ die offero, erit sine dubio tuâ Diuinâ Maiestati gratissimū, ex parte mea id & totius humani generis præsentio, certissimè scio ita hoc munus placiturum, vt existimem omnem furorem, iram & tristitiam, in gaudium & iucunditatem conuertendam. *Suscipe, suscipe benedictionem hanc.* Quis in toto vniuerso tam durus & obstinatus esset, etiam si grauissimas iniurias passus fuisset, qui, si à tam pulcherrima regina, stella ac luce splendidissima rogaretur, vt illatis iniuriis parceret, non statim annueret, tristitiam, & omnem animi molestiam depelleret ac longius fugaret? præcipue si munus aliquod infiniti valoris offerret, quicumque nostro iudicio, etiam si intensissimo odio conflagraret, iniuriam dimitteret. Si ergò hoc in creaturis contingit, multò magis de Deo existimandum est, cùm illius misericordia infinita sit. Absque dubio tanto munere & oblatione per manus sanctissimæ Virginis oblato placatus fuit, & in loco nostro dedit pacem, & iustitiæ sceptrum deprimens, occurrens amplexatus est peccatorem, & illius collum in signum amicitiae & fœderis sempiterni constrinxit; pulcherrimæ etiam Racheli in occursum venit, & illius infinitam oblatione acceptans & amplectens, sic eam affatus est. *Benedicta tu, quæ prohibuisti me hodiè ne irem ad sanguinem & c. 1. Reg. 25. Dilecta sponsa &*

columba mea benedictionem meam accipe, omnem enim iram & furorem meum contra filios Adæ, quos propter culpam ad mortem æternam destinaueram, mitigasti, nullus impunitus abiret, si tale munus non obtulisses. *Andiui vocē tuā & honorificavi faciem tuā. 1. Reg. 25* fiat id quod postulas. Petis vt iusta contra homines indignatio cesset, ego eos ad pristinam amicitiam reuoco, peccata etiā, quæ inter me & inter illos diuisionem fecerant, & antiquam familiaritatem dissoluerant, lubeti animo condono: justum enim est & rationi consonū, vt tali mediatrici, quæ tam efficacib. mediis pro hominibus intercedit, nihil denegetur. Quid nõ pro meo filio præstabo, quem hodiè ad conciliandam pro hominibus gratiam, mihi præsentas? Tandè sacratissima Virgo dulcissimum Iesum in brachia sancti Simeonis deposuit, & duos pullos columbarum iuxta statutum legis, pro suo filio sacerdoti obtulit. *Et accepit eum Simeon in vlnas suas, & benedixit Deum. Luca 2.* Vix verbis exprimi, aut mente concipi potest, quo gaudio, & lætitiâ spiritali perfusus fuerit iustus & timoratus Simeõ, cùm dulcissimum infantem in vlnas suas accepit; in extasi planè præ admiratione & mentis eleuatione raptus fuit, in suis brachiis Redemptorem Israël in infantili forma conspiciens: Et absque dubio cùm dulcissimum Iesum ex manibus Beatiss. Virginis accepta-

acceptaret, dulcissimis verbis sic eam alloquutus est. Comple desiderium meum. *ô* inter benedictas benedicta, & præbe mihi infantem pulcherrimum, & totius vniuersi Redemptorem, vt Saluatorem Israël intentis luminibus intuear; quia ex Spiritus Sancti infallibili reuelatione ac promissione certus sum, me non visurum mortem, nisi prius videam Christum Domini. *O* supremum & infinitum bonum meum dulcissime Iesu! *Nunc latus moriar, quia vidi faciem tuam. Genesis cap. 46.* Ad hæc usque tempora nimio dolore & tristitiâ confectus, molestissimam vitam duxi, modò verò, cùm desideratum cunctis gentibus contempserim, ac propriis manibus tenui, felicissimè discedā. *Non dimittā te, nisi benedixeris mihi. Gen. 32.* Et immensis tuis diuitiis meus animus ditatus fuerit, immensas gratias protantis ac tam supremis beneficiis vniuerso hominum generi collatis refero: Letus iam moriar, quia meum desiderium, & beneficia mihi promissa collata sunt, nihil ampliùs in hoc sæculo expectare vellem. *Dimittite me, iam enim ascendit aurora. Genes. 32. cap.* Non diu huius vitæ tenebræ durabunt, Sol enim iustitiæ toti vniuerso manifestatus est. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Sanctus & iustus senex Simeon animaduertens, imò & cognoscens dulcissimum Iesum,

quem manibus tenebat, vitæ ac mortis authorem esse, non ampliùs mortem timet; Antequam vitæ authorem & victorem mortis vidisset, mortem timebat, nec ex hac vita migrare desiderabat, postquam verò Christum, qui est vita æterna, propriis oculis conspexit, omnem timorem excutiens, ardentissimo desiderio mortem appetebat. *Nunc dimittis seruum tuum Domine. Qui longam nauigationem conficere decreuit, non tamen sua negotia expediuit, nec necessaria sibi comparauit, semper sibi persuadet, naues ex portu solui ac vela ventis dari ad nauigationem conficiendam, idè cùm recordatur se imparatū discessurum, maximo dolore & tristitiâ afficitur: Qui verò sua expediunt, & necessaria sibi præpararunt, discessum auidissimè expectant, & celerem naucleri diligentiā, vt tarditatem concipiunt. Omnes ex portu huius mortalitatis vitæ ad aliam æternam necessariò discessuri sumus, longa sanè & periculosa nauigatio, qui suæ conscientiæ & animæ negotia neglexerunt, & in peccatis persistunt, nec debita solverunt, aut iniurias condonarunt, nec de negotiis ad propriam salutem summè necessariis tractarunt, in perpetuo timore ac tremore vitam agunt, existimantes singulis momentis ex portu naues esse solvendas, & cùm se imparatos omnino considerent ac aspiciant, disces-*

ff

sum

sum tremebundi expectant: iusti vero, quia semper parati sunt, & suæ vitæ modum piè ac sanctè ordinârunt, ita mortem despiciunt, vt singulis momentis eam expectent, ac dicant. *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* Quis ita mortem memoria tenuit atque sanctus Hieronymus, & quis magis eam despexit? In illius imaginem oculos conuertamus, illumquè in horrido deserto situm, perfulsum lachrymis, acriter duro lapide suum pectus percutientem, effigie mortis ac vivâ illius representatione re creatum intuebimur, in tam dura enim ac aspera pœnitentia, quâ vix pellis ossibus hærebat, memoriâ mortis delectatus, eam despiciebat. Sancti mortis recordatione delectantur, & libenter p̄ Christo, qui pro illis mortuus est, vitam cum morte commutât, nolunt ex timore mortis verâ vitam amittere, imò perpetuò crebris suspitiis ex imo pectore deductis, ad illam

verbis iusti Simeonis aspirant. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Sanctus Basiliius hæc verba explicans, inquit. Quòd si iustorum voces attentè auscultemus, iusti semper gemunt, quia in hac vita detinentur: Cùm enim duplex vita, alia in hoc sæculo, & alia in futuro destinata sit, vnio verò ac nexus huius vitæ cum futura sit mors, quâ mediante æternam vitam assequuntur, ideo mortem avidissimè expectant, vt illam vitam sine fine duraturam adipisci possint, in qua sine morte viuunt, sine tenebris splendidissimè lucent, sine vlla vnquam tristitia lætantur, tandem vbi summum beatorum bonum, suprema lætitia & gaudium cum imensa suæ magnitudinis & maiestatis gloria inuenitur, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus.

Amen.

* *



DE AS-



DE ASSUMPTIONE
BEATISSIMAE MARIAE
VIRGINIS.

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.



Eleberrima fuit illa festiuitas, quam Rex Ezechias ad immolationem agni paschalis instituit in Ierusalem, de qua Sacra Scriptura refert. *Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis filii David Regis Israël in ea vrbe non fuerat. Paralip. capite. 30.* Hodiè ergò, charissimi filii, cum gloriosissima semper Virgo Maria ex miserissimo huius sæculi Egypto, confusione ac Babylonia, postquam antiqui serpentis caput confregit, mundanas delicias contempsit, & primæ mulieris damnare parauit, vt immarcessibiles æterna gloriæ coronas ex manu iu-

dicis & sponsi sui capesceret, ad cælestia palatia euolauit. Hodiè exilium pro patria, mortem pro vita, merorem & tristitiam pro gaudiis sempiternis, labores, lachrymas ac molestias huius vitæ perpetuo gaudio, quiete ac tranquillitate commutauit. Tandem Angelicis choris & beatorum spirituum exercitu comitata, paradysum cælestem summâ maiestate & gloriâ penetrauit. Meritò hodiernâ festiuitate verba citata proferre possumus. *Factaque est grandis celebritas in Ierusalem, qualis à diebus Salomonis filii David Regis Israël in ea vrbe non fuerat.* Tãta enim & tam insignis festiuitas in cælesti Ierusalem celebrata est, cum æthereum thalamum

Ff 2 ascendit,

ascendit, vt à diebus, quibus verus Salomon cœlestia regna conscendit, nulla major celebritas, aut cœlestium spirituum comitatus nullo vsquam tempore visus fuerit. Imò nostro iudicio maiori pompâ & solemnitate in cœlesti illa Ierusalem recepta fuit Beatissima Virgo, quàm Christus Redemptor noster. Cùm enim Rex ciuitatem aliquam ingreditur, nobiles tantum ac Principes occurrunt, postea verò cùm Regina ingreditur, non solum nobiles & Principes ei obuiam veniunt, sed etiam ipse Rex vniuersâ aulâ comitatus in occursum procedit. Quis non dicet comitatum istum esse primo solemniosem ac multò celebriorem? nam cùm Christus cœlestia palatia conscendit, à cœlestibus aulicis & principibus receptus fuit: At cùm Beatiss. Maria assumpta fuit, non solum spiritus Angelici, sancti Patriarchæ, & alia sanctorum animæ, sed ipse etiam æternæ gloriæ Rex illius ingressum celebrauit, & si omnes aulæ cœlestis Principes in cœlesti patria ita hodiè exultant, æquum est, vt nos omnes in terra nostra iucundissimis lætitiæ signis exultemus, & vt hoc breui tēporis spatio laudes Beatissimæ Virginis dignè proferamus, illius interuentu gratiam Spiritus Diuini postulemus, dicentes Aue Maria,

* *

Intrauit Iesus in quodam castellum, & mulier quadam Martha nomine &c.

Luc. 10. cap.

CIRCA præsens Euangelium, quod nostra mater Ecclesia in sensu mystico hodiernæ festiuitati accommodauit, licet multa adducere & tractare possem, notatu tamen dignissima est differentia, quam sancti Patres & Doctores Ecclesiæ constituunt inter has duas sorores, Martham & Mariam, duo videlicet virtutum genera, actiuam & contemplatiuam vitam, in quibus sancti, dum in hac lachrymarum valle viuunt, exercentur, vt sic aperte cōspiciamus, quàm diligenter Beatissima Virgo in vtraque vita versata fuerit, & consequenter quàm dignè promerita fuerit præmia, quæ ei hodiè liberali manu à suo Filio conferuntur. Duplex igitur vita in prædictis sororibus demonstratur: In Martha, quæ valdè sollicita fuit erga personam Christi nostri Redemptoris, vt ei cibum pararet, vita actiua significatur; In Maria verò, quæ sedens secus pedes Domini, illius verbum auscultabat, & spiritali quadâ quiete & animi tranquillitate, diuinâ ipsius conuersatione fruebatur, vita contemplatiua representatur; Vtraque vita religiosa & sancta est, ac præla-

præclaris laudibus extollenda. Contemplatiui, vt à vita contemplatiua exordium sumam, in cœlestibus, & diuinis occupantur, dulcissimis sui charissimi sponsi amplexibus fruuntur, clarissimis oculis illius pulchritudinem intuentur, sui creatoris ardentissimo amore accenduntur, ac tandem, licet in terris morentur, eorū tamen conuersatio in cœlis est. Ita verò his exercitiis delectantur, & erga illa tanto amoris pondere feruntur, tantamquæ suauitatem & dulcedinē diuinus sponfus spargit, vt eius amore inebriati, & extra se cōstituti, post illum currant, vt in canticis canticorum dicitur. *In odorem vnguentorum tuorum curremus. capite. 1.* vt ex vi & efficacia amoris in suū sponsum trāsformentur. Et hæc forsità ratio erit, quare in canticis anima iusti, qui diuinis cōtemplationibus vacat, *spōsa* nuncupetur. *Quemadmodum enim sponsa dum noui matrimonii amor fervet, nihil nisi de suo sponso cogitat, & vix ab ipso mentis oculos separat: Sic anima iusti diuinis meditationibus dedita, ita sui sponsi amoribus tenetur, vt nihil aliud quærat, & in nullo alio, quàm in suo sponso delectetur, in illum quæ per amorem aded commutatur, vt nihil nisi sponsum sapiat, ad eum modum, quo pomum aureū, quod melle decoquitur, aut saccaro conditur, ita saporē mellis & saccari depromit, vt vix aliqualem propriæ naturæ saporem*

retineat: Non dissimiliter anima iusti, quæ continuis contemplationibus de Deo, & cum Deo agit, non peccatoris affectiones, sed Dei ipsius veluti proprietates tenet. Quod vt clariùs exemplis perspiciamus, Apostolum Paulum diuinis contemplationibus, in Deum transformatum, sic de se loquentem, audiamus. *Vivo autē, iam non ego: vivit verò in me Christus. Galat. 2.* Ac si apertius diceret, Charissimi fratres, nō in me antiqui hominis, blasphemi, peccatoris, Ecclesiæ persecutoris affectiones queratis, licet enim modò idem ipse appaream, nō tamen eadem quæ olim, vitā viuo, sed viuit in me Christ⁹, quem plusquam me diligo. Diuinæ cōtemplationes, quibus cum Deo familiariter agebat, ita in Christū eū transformarant, vt non aliā quàm Christi vitā viueret. Sacra Scriptura, cū successione Adæ mentionem facit, affirmat Deum loco iusti Abel alium filium Seth nomine concessisse Adæ, qui alium genuit Enos nuncupatum, de quo refert Sacra Scriptura, quòd fuit primus qui invocauit nomen Domini. *Iste capit invocare nomen Domini. Genes. 4. cap.* Id est, orationis & contemplationis munus primò exercuit. Aliqui ex antiquioribus Sacræ Scripturæ interpretibus, sic istum locum vertunt. *Iste capit inuocari nomine Dei: Quæ interpretatio vitam contemplatiuam maximè exornat & exaltat, Enos enim*

enim, quia primò orationibus & contemplationibus diuinis vacauit, tam honorifico titulo decorari meruit. Et meritò sanè, quia primò orationis & cõtèplationis munus inuenit, quo non solùm cõtèplantis mens gaudet & delectatur, sed etiam illius voluntas ita amore diuino inflàmatur, vt totus homo in Deum transformetur, & Deus appareat. Verum, licet Maria tantis laudibus digna sit, Martha tamen tantorù meritorum præstantiã splendet, vt ipsi Deus iuxta misericordiã opera, quibus seipsam exercet, cœlorum regnum in vltima residentia promittat. Pro cuius ponderatione Sanctus Petrus Chrysológus super illa verba. *Venite benedicti Patris mei &c. Matthæi 24.* accuratè & acutè obseruauit, Deum pro conferènda gloria, tantùm operum misericordiã, & non aliarum virtutum, in quibus sancti splendidissimè micârunt, mentionem fecisse. *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, sitiui, & dedistis mihi bibere:* quod maximè actiuam vitam exaltat. Neque enim mortem innocentis Abel in memoriam reuocauit, aut quòd Noe mundum conseruauerit; vel Abrahami fidem, quòd Moyses legem tulerit, aut quòd Petrus primus post Christum crucem ascenderit, sola Marthæ exercitia ante oculos proponit. *Esuriui, & dedistis mihi manducare &c.* Vt apertè constet, quanti **D E V S** vitam actiuam æstimet. Quod

etiã Deus per prophetam his verbis suo populo intimauit. *Hac est requies mea, reficite lassum, & hoc est refrigerium meum. Esai. 28. cap.* Ac si apertius Ibraëlitis diceret. Vultis-
nè manifestè cognoscere, in quo mea recreatio & quies sita sit? *Reficite lassum, hoc est refrigerium meum.* Quibus verbis insinuat, opera misericordiã esse vnum ex præcipuis sacrificiis, quæ magis ipsi placent, & illius furorè contrà peccatores efficacius cõprimût. Cuius indicium est, quia, quoties nostra vulgata varia sacrificia refert, in quib. multa animalia mactabãtur, & igne cõsumebãtur, semper addit *in odore suauitatis*, vt ostendat odorem illorù sacrificiorum summoperè Deo placuisse. Xante Pagninus, & alii in hebræa lingua peritissimi, sic iuxta hebræã versionem prædicta verba vertût. *In odorem quietis.* Quã versione denotatur, odorem illorum sacrificiorum cor diuinum quietum ac tranquillum reddidisse. Vtitur hïc Sacra Scriptura pulcherrimã metaphorã; Cùm enim aliquis nimiam cholera & irã accensus est, si aromatum aut florum odorem percipiat, suauitate odoris quiescit, & ira paulatim comprimitur ac fugatur; cùm ergò nostra peccata tam malam odorem ex se emittant, ita Deum ad iustam iram & vindictã cõmouent, vt eum ad actualè punitionè alliciãt & invitent. Erant tamen in lege veteri

veteri aliqua sacrificia destinata ad placandum Deum, quib⁹ peccatores humiliter fatebatur, se esse ppter scelera comissa morte dignos, in cui⁹ significatione super arā cōburebantur animalia, quæ in sacrificiū Deo offerbantur: His sacrificiis, quibus peccatores cor contritum & humiliatū manifestabant, placabatur Deus, & suis misericordie visceribus utens, illis ignoscebat; fumus verò, qui ex illorum animalium combustione emanabat, odor quietis vocabatur, quia per illum cor diuinum irā & furore in peccatores concitatum, quiescebat. Modò verba Elaiæ clariùs intelligentur, *Hæc requies mea, respicite lassum*. Id est, hoc misericordie opus ad vitam actiuam spectans, vnū ex præcipuis sacrificiis est, quo cor diuinum sedatur, & peccatores ad pristinam Dei amicitiam revocantur. Hoc optimè intellexit Diuus Paulus, cū dixit ad Hebræos scribens. *Beneficentia autem, & cōmunio nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* cap. 13. In alia versione sic legitur. *Propitiator enim est Deus*. Ac si apertius diceret. Si Deum vobis propitium habere vultis, antiquæ legis cruenta sacrificia omitte, & vobis invicem fraternā charitatem seruantes, benefacite, hæc enim vera sacrificia, holocausta, & hostiæ pacificæ sunt, quibus Deus nobis propitius fit. Neque solum verbis, sed etiam operibus hanc

doctrinam demonstrat Corinthiis Apostolus, quib. latè labores enumerans, subdit hæc verba. *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthii, cor nostrū dilatū est.* 2. Cor. 6. Quib. suæ charitatis amplitudinem ostendit, tanta enim erat, vt omnes intra se compræhenderet. Notatu tamen dignissima sūt illa verba. *Os meum patet ad vos, ô Corinthii*, quæ maximā Apostoli charitatem erga proximos indicant. Et vtitur elegantissimā metaphorā ad manifestandum ardorem charitatis, quo suus animus æstuabat. *Quemadmodū enim illi, qui nimio calore incensi sunt, aperto & inhiante ore aërem attrahunt, vt refrigerium aliquod experiatur: Ita Apostolus Paulus tanto animorum Zelo, & tam ardenti amore desflagabat, vt nequē continuum prædicationis officium, nec labores hoc motiuo perpessi, aut carceres, vel reliquæ tribulationes sufficientes fuerint, ad internum amoris ignem extinguendum, vel saltim minuendum. Ided Apostolus Paulus aperto ore incedere videbatur, quo internam & imēnsam salutis animarum sitim manifestabat, vt relata verba insinuant, *Os nostrum patet ad vos*. Non ergò ita Mariā diuinis cōtemplationib. ac cælestib⁹ mysteriis occupatā extollere debem⁹, vt Marthā operib. charitatis, & aliis humanitatis officii circa personā Christi detentā despiciamus, cū Deus Marthæ p operib. imarcescibiles eterne gloriæ glo-*

gloriæ & beatitudinis coronas promittat. Verum silectionem Euāgelicā attentè perlustremus, manifestè reperiemus, Martham & Mariam sorores germanas fuisse, & consequenter vtraque vita actiua & contemplatiua germanā coniunctione, in eadem iusti anima inueniri debent: Quia non solum contemplationi, sed etiam actioni, quæ in operibus miseribus misericordiæ elucet, studendum est; licet enim contemplatio, quā cum Deo familiariter agimus, vitā actiuā, quæ circa homines exercetur, altior & eminentior sit, nihilominus tāen actiua vita in præcepto est, contemplatiua verò in consilio, hæc magis voluntaria, illa magis necessaria, hæc magis refrigerat & delectat, illa proximorum salutis magis proficua & vtilis est: Hæc pulcherrima est, sicut Rachel, sterilis tamen sicut Lya, illa licet non tantā pulchritudine decorata sit, est tamen magis fecunda, & tanquā altera Lya plures filios operibus misericordiæ genitos quotidie parit. Ecclesiasticus Sanctū virum Oniam & in illo alios viros perfectos laudibus extollens, sic ait, *Sicut oliua pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens in accipiendo ipsum stolam gloriæ.* 50. Cap. Quasi diceret, Ita se gessit Onias in corona gloriæ consequenda, ac si oliua pullulans, & altissimus cypressus foret. Hanc comparisonem Spiritus Diuini, quæ mysteriosa est,

diligenter perpendamus. Nullus est, qui differentiam oliuæ & cypressi non agnoscat: oliua enim licet parua & humilis sit, est tamen arbor fecundissima & vtilissima, è contra verò cypressus arbor sterilis est, sed altissima, quæ duo viris perfectis optimè conueniunt. Isti enim contemplationis altitudine cælestia cōscēdunt, & vt fratrib. suis charitatiuè subueniant, se ipsos deprimūt & humiliant, diuinis meditationibus cum spiritibus Angelicis conuersantur, & operibus charitatis cum hominibus agunt: Nam licet altissima cypressi sint, oliuam etiam paruam & humilem imitantur, ex se misericordiæ oleum emittentes. In Libro Iudicum refertur, quòd Deus tempore quo popul. Israel miserrima cuiusdā tyrani captiuitate tenebatur, quendam virum insignem & doctissimū nomine Aod suscitauit, qui *Vtraque manu pro dextera vtebatur.* Cap. 3. Id est. sinistra ac si dexterā esset. Sanctus Gregorius super istum locum animaduertit, virum istum perfectorum hominum imaginem pre se ferre, qui a què bene sinistra atque dexterā vti possunt, hoc est, ita in vita actiua, atq; in contemplatiua versati sunt, æquè in deserto, atque in ciuitate morantur, in solitudine & in honestorum virorum consortio, cum Deo & cum hominibus colloquantur. Sunt planè ambidexteri, inquit Gregorius, vtraq; manu tanquam

tanquã dexterã vtentes, & æqualipõ-
dere in actiua & contemplatiua vi-
ta præstantes. Hanc christianam ve-
ritatem Philofophus moralis libro
2. de finibus assequutus est. cùm af-
feruit, ita hominem ad operan-
dum & contemplandum à natvra
institutum esse, sicut equus ad cur-
rendum, & bos ad arandum, &
canis ad indagandum, in quo Dei
immortalis naturã imitatur. Quem-
admodum enim Deus non solum in
proprie essentia contemplatione,
sed etiam in creaturis producendis
& conferuandis occupatur, neque e-
nim purè actiuus, aut contempla-
tiuus est, sed vtrumque munus am-
pectitur: Ita homo, qui inter creatu-
ras materiales expressius Dei natu-
ram imitatur, in vtroque officio ex-
tremus esse debet. Hæc doctrina,
licet omnibus hominibus congruat,
specialiter tamen Evangelicis Do-
ctoribus, prælatiis & pastoribus, qui
curam animarum habent, siue Eccle-
siastici, siue seculares sint, competere
debet, ipsis Prophetã Dauid his verbis
loquitur. *Si dormiatis inter medios cle-
ros, penna columba deargentata: &
posteriora dorsi eius in pallore auri*
Psal. 67. Ac si apertius eis diceret. Vul-
tisne, vt Ecclesia vobis commissa
tanquam speciosissima colüba pen-
nis per fidẽ deargentatis, & per cha-
ritatem deauratis, illa sæ semper con-
teruetur? hoc igitur medio conse-
quemini. *Si dormiatis inter medios*

cleros, hoc est, *inter duas sortes, siue*
vt S. Hieronymus vertit, inter medios
terminos, caelestia scilicet & tempo-
ralia. Qui ergò animarum pastor
est, ita contemplationibus in cæ-
lestibus commorari debet, vt ter-
renam ovium curam non negli-
gat, & ita circa suum ovile occupa-
ri debet, vt propter illud Deum
non omitat; quandoque mentis
oculis pulchritudinem diuinam in-
tueri potest, quãdoque verò corpo-
reis ovium necessitatib; prospicere &
providere tenetur; modò caelesti cõ-
centu & suavissimã musicã. quã spõ-
sus contemplatiuorũ animos de-
lectat, recreari & gaudere, potest,
postea verò balatus ovium. quæ for-
sitam præ corporea & spirituli fa-
me lacescunt & pereunt auscul-
tare debet: Iam diuinis colloquiis
dulciss. aliquamdiu detineri potest,
deinde verò sibilosæ prædicatio-
nis convocare tenetur, ne forsi-
tam extra virtutis caulam inter vs-
pres & spinas remorentur. Tan-
dem aliquando caelesti contempla-
tionis cibo pasci potest, postea ve-
rò doctrinã contemplatã verbo &
exemplo suum gregem pascere te-
netur. Cùm ergò Ecclesiæ pastores
sic inceserint, sibi certò persuade-
ant, *Penna colüba deargentata*, quòd
anima ipsi commissa pulcherrimæ
columbæ erunt, penni per fidem
deargentatis, exornatæ, & fulgen-
tissimo charitatis auro splendidissimè

Gg

mi-

micabant. Ad cuius maiorem comprobationē Christū nostrum saluatorem, qui totius sanctitatis exemplar fuit, in nocte passionis orantem contemplerur, qui, licet suo æterno Patri preces funderet, non tamen suas oves, tres scilicet discipulos, quos secum habebat, neglexit, oratione enim finitā eos visitans, de periculo, in quo versabantur, admonuit, qui cū iterum contemplationi & orationi incumberet, post eam secundo eos visitauit, & admonuit vt vigilarent & orarent, nè forsitan in tentationem aliquam inciderent. Tandē toties, quoties flexis sanctissimis genibus orauit, suos discipulos visitauit, hoc sanē motiuo, vt prælati innotesceret, Deum non esse propter oves deserendū, neq; è contra, sed inter duos terminos & sortes mediam viam esse tenendam, ita vt Martha & Maria per vitæ actiuæ & contemplatiuæ exercitium, summā charitate, in eadē iusti anima cōnectantur. Iam tempus oratio postulat, vt diligenter examinemus, qualiter hæc duo Martha & Mariæ officia in Beatissima Virgine cōuenerint. Nullus tamen erit tam hebeti ingenio præditus, qui nõ clarè perspiciat, quomodo Sanctissima Maria multò meliùs, quàm Martha Christum receperit. Quia Martha in domum suam, Maria verò Sanctissima intra propria viscera recepit; Martha breui temporis spatio, Maria verò sa-

cratissima per nouem menses suo vtero cōcluserit, imò vsque ad crucem & sepulchrum comitata est. Martha externo cibo, & forsitan in foro empto Christum invitauit, & hospitio excepit, Maria verò Sanctissima nõ pretiosè, externo alimento, sed proprio lacte ex suis purissimis vberibus expresso aluit ac sustentauit. Martha sollicita fuit in cibis cōdendis, vt honestè talem hospitem tractaret, Maria verò de fuga in Egyptū sollicita fuit, vt dulcissimum infantem à furore & tyrannide Herodis liberaret. Martha in domesticis negotiis circa frequens ministerium turbata fuit; Maria sacratissima in grauioribus negotiis turbata fuit; Quia suum filiū in custodiā missum, ad columnam ligatum, sputo & saluiis defædatum, verberibus exceptum, ac tandem cruci affixum contempexit. Ex quibus omnibus apertè constat multò meliùs Beatissimam Virginem officium Martha exercuisse, imò & in charitatis operibus erga personam Christi, superasse. Nequè solū charitatis officia, in quibus vita actiuā splendet, erga suum filiū exercuit, sed etiā erga pauperes, in quibus dulcis, Iesus illi representabatur, interno pietatis affectu & operibus ducebatur. Ad propositum Nizephorus Callistus vir grauissimus, quem tota Ecclesia magni æstimat, quia aliquas veritates in lucem eruit, quæ iam ppetuæ obliuioni traditæ

tradite erant, libr. 2. Historie Eccle-
 stasticæ cap. 21, refert; Beatissimam
 Mariam in die sui transitus omni-
 bus Apostolis, qui speciali miraculo
 in vnū conuenerant, comitatam, su-
 per humilem & pauperem lectum
 iacuisse, quæ Euangelistam Ioannem
 ad se vocans, ipsi & aliis præcepit,
 vt duas tunicas, quas tanquam cœ-
 lestes omnium suarum diuitiarum
 thesauros relinquebat, vicinis vi-
 duis, quæ cum illa speciali amore &
 deuotione egerant, donarent. Mar-
 tha ergo fuit sacratissima Virgo, cū
 etiam sui sanctissimi transitus tem-
 pore misericordiæ opera exercuerit.
 Quis verò humanâ linguâ explicare
 poterit, quàm benè & exactè sacra-
 tissima Virgo Mariæ Magdalenzæ of-
 ficiū præstiterit? Christi verba, iu-
 xta illius pedes sedens, auscultauerit,
 & in sua sanctissima anima hos-
 pitio exceperit? Sanctus Augustinus
 loquens de Beatissima Virgine,
 sic ait. *Materna propinquitas nihil
 Mariæ profuisset, nisi feliciter in corde
 quàm in carne gestasset.* Quibus verbis
 insinuat Sanctus Augustinus, Mari-
 am sanctissimâ potiùs animâ, quàm
 corpore, nostro Saluatori hospitium
 præbuisse. Quod vt meliùs intelli-
 gatur, illas virtutes designare libet,
 quæ nostras animas præparant, vt
 in dignas Dei habitationes destinen-
 tur. Prima est fides viuua per charita-
 tem formata, de qua dicit Aposto-
 lus Paulus. *Christum habitare per
 fidem in cordibus nostris Ephes. 3. cap.*

Hæc in eminentissimo gradu in Be-
 atissima Virgine reperta fuit, vt
 constat ex verbis Elisabeth; inter a-
 lias enim prærogatiuas, quas in ipsa
 laudauit, præcipuè fidem extulit.
*Beata qua credidisti, quoniam perfici-
 entur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.
 Luc. 1. cap.* Castitas etiam dignam
 habitationem Deo præparat, idèd
 Sanctus Laurentius tyranno dixit.
*Castè & piè viuentes templum sunt
 Spiritus Sancti.* In quo igitur præ-
 stantiori modo castitas enituit at-
 què in Beatissima Virgine? De hac
 inquit Simeon Methaphrastes, i-
 psam fuisse primam, quæ votum ca-
 stitatis emisit, propter quam cau-
 sam Virgo virginum nuncupari me-
 ruit. Præterea humilitas honestis-
 simum hospitium Deo exhibet, vt
 Pater Diuinus per Isaiam indicauit.
*Ad quem autem respiciam, nisi ad pau-
 perculū & contritum Spiritu cap. 66.*
 Quis autè tam humilis extitit sicut
 sacratissima Maria? Hæc etiam in-
 finitâ matris Dei dignitate decorata,
 nihilominus se tantùm ancillam
 Domini fassa est, *Ecce ancilla Domi-
 ni &c.* Deinde charitas hæc præro-
 gatiuâ inter cæteras virtutes splen-
 det, idèd de charitate specialiter di-
 xit Euangelista Ioannes. *Deus chari-
 tas est. 1. cap. 4.* quia per charitatè ani-
 mam iusti peculiari quadam ratio-
 ne inhabitat. Quis tamen tantam
 charitatem habuit sicut Maria san-
 ctissima? quæ cū gratiâ plenâ ex-
 titisset, plenâ etiâ extitit charitate,

quia iuxta gratiæ mensuram & pondus, charitas nobis confertur: Ita Maria sanctiss. non solum Christum vt Deum; sed etiam vt Filium vnigenitum dilexit, in quo & gratuitus charitatis amor, & naturalis splenduit. Tãdem sanctitas & puritas conscientiæ animam exornant, vt mundissima Dei habitatio existat, vt insinuauit Propheta Dauid *Domum tuam Domine decet sanctitudo, in longitudinem dierũ. ps. 92.* Quæ ergo maior sanctitas & conscientiæ puritas in aliqua pura creatura excogitari potest, quam illa, quæ in Beatissima Maria splendidissimè micuit? siquidem nunquam nec vnus venialis peccati cogitationem admisit, idè Sanctus Augustinus dicebat. *O Mater Dei, sicut in prima fœmina abundauit delictum, ita in te superabundauit gratia; & idè super omnes ignara delicti eras.* Sed quare in huius rei comprobatione detineor? Omnes planè virtutes animam Mariæ sanctiss. exornant, vt cælestis spõsi thalamus existat. Quid enim deesse poterit illi, quã Æternus Pater in filiam, Filius in matrem, & Spiritus Sanctus in charissimam spõsam acceptat? quã Spiritus Angelici & cælestes virtutes Reginã & Dominam, ac omnes creaturæ rationales tanquam supremam imperatricem agnoscunt & venerantur? Antiquissimus Dositius affirmat, olim fuisse virginem quandam pulcherrimam à Diis maximè dilectam, quam vnus-

quisque singularibus donis ditauit; Pallas ei sapientiam contulit, Venus pulchritudinem, Apollo musicam, Mercurius eloquentiam impertitus est, & idè hęc virgo Pandora nuncupata est, id est, ab omnib. Diis donata, vel ditata, quia ab eis peculiaribus donis ditata fuit. Ista verò licet figmenta pœtica sint, accuratè tamen sanctiss. Virginis magnitudinem explicant, ipsa enim à tribus diuinis personis excellentissima dona recepit; à Patre Diuino eximiam & singularem fortitudinem, à Filio intellectus illustrationem ad cælestia profundis penetranda, & à Spiritu Diuino ardentissimam charitatem, vt sic Spiritus Diuini, & totius sanctiss. Trinitatis templum ingentibus diuitiis ditaretur. Beatissima igitur Maria non solum corporaliter, sicut Martha, Christum hospitio excepit, sed præcipuè sicut Maria Magdalena, spiritualiter corde & animo honestissimam habitationem præparauit. Si tam fideliter officium Marthæ & Mariæ præstitit, & vtramque vitam actiuam & contemplatiuam eminentissimo modo complexa est, quibus præmiis hodierna suæ assumptionis luce in cælestibus palatiis à supremo indice coronabitur? Quis, inquit Bernardus, saltim cogitare poterit, quæ gloria & maiestate ex hoc sæculo ad cælestia gaudia euolauit? Qua deuotione & affectu ei æthereus equitatus occurrit? Quibus læ-

bus lætitiæ signis Spiritus Angelici interna gaudia manifestarunt? Cùm Dei matrem & cœlorum Reginam suarum virtutum præmia capescentem conspexerunt? Quo gaudio sanctæ virgines exultarunt, vbi Virginum Reginam viderunt? Quid de confessoribus proferam, cùm suæ vitæ & totius sanctitatis exemplar propriis oculis cernerent? Quid de martyribus, cùm suorū laborū ac passioſum comitem & plusquam martyrem intuerentur? Quid de Prophetis, cùm omnia quæ de ipsa diuino Spiritu prædixerāt, ad amissim impleta cōspicerent? Quid tandem de Patriarchis dicam, cùm gloriam, pompam, & maiestatem considerarent, qua eorum filia à ciuibus cœlestibus in beatorum patria recepta est? Vix verbis exprimi potest, quibus laudum canticis cœlorum Regina suum regnum occupauit. Quando fortissima Judith, postquam Holofernem generalem ducem Assyriorum decapitauit, & Iudaicum populum liberauit, iterum in ciuitatem reuersa est, omnes ciues, seniores & sacerdotes, illi fortitudinem extollentes, his vocibus ei occurrerunt. *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificètia populi nostri &c. Judith cap. 15.* Eisdem & iucundioribus lætitiæ canticis cœlestes illi aulici Mariæ sanctiss, eorū ciuitate ingredienti in occursum uenerunt. *Tu lætitia Israël &c.* cùm non solum Bethulię ciues, sed totū genus

humanum à dura dæmōis seruitute medio nostro Salvatore Iesu Christo liberauerit; Præstantioribus sanè & gloriosioribus titulis ab aulicis patriæ cœlestis, quàm Judith recepta fuit. Tu lætitia Israël, nostræ reparationis causa, vitæ inuentrix; Tu nostræ salutis mater, stella Iacob, ex qua radius splendidissimus ortus est, quo totus orbis illustratus fuit; Tu Spiritus Diuini templum, in quo per nouem menses vniuersa hominum salus commorata est: Tu thronus Salomonis, illius domus Regia, Regis cœlorum thalamus, vbi suam magnificentiam ostentauit: Tu hortus conclusus & fons signatus, quod soli sponso cœlesti patuit. Tu gloria Israël, & lætitia cœlestis Ierusalem, totius populi & omnium beatorum honorificètia; Idè in vera gaudia ingredi, & thronum à tuo vnigenito filio tantā pompā & magnificentiā præparatum occupa. Talibus titulis ac laudum canticis Virgo sanctissima siderea palatia occupauit. Magno, pinde gaudio, lætitia, stupore & admiratione beati circumfusi fuerunt, eam intuentes, in quam spem suam collocauerant, de qua tot ac tanta prædixerant, & quæ tanta bona mundo attulerat. Ad cuius ponderationem animaduersione dignissimum est id, quod Vbertinus author grauis de Dionysio Areopagita Apostoli Pauli discipulo refert, tanto enim desiderio videndi Beatissimam

Virginem ante illius obitum tenebatur, vt hac de causa relicta Græciâ in Iudæam ad Euangelistâ Ioannem venerit, ab illo instanter petiit, vt sibi eam dignaretur ostendere, quæ à sanctissima Trinitate in matrè Dei electa fuerat. Sanctus Euangelista Ioannes, vt Dionysii desiderium impleret, eum secum ducens, in cubiculum, vbi sanctissima Virgo morabatur, introduxit, vbi eam immensâ claritate & splendore, ac Angelis stipatam conspiciens, illius maiestatem & pulchritudinem admirans, præ stupore & admiratione extra se, & quasi mortuus in terram corruit, & postea ad se reuersus, sic exclamavit, Si ex ratione naturali, & ex diuina fide mihi non cõstaret, aliam esse Deitatem & Diuinitatem, a pertè faterer non aliam esse Deitatem, nisi hanc, quæ in Maria sacratissima relucet. Si ergò Angelorum Regina, cùm adhuc esset in carne mortali, tantam sui admiratiõem causauit, quãtam ad dexteram sui vnigeniti filii sedens, immenso gloriæ splendore circumdatâ, excitabit? Si aliquibus spiritibus Angelicis comitata diuinum Dionysium in tantam admirationem rapuit, quid, quæso, accidet, cùm nouem Angelorum choris stipata sit? Id non verbis exprimi, sed solâ mente considerari potest. Sed aliquis vestrum forsitan dicet, nostram concionem potiùs ad Mariæ sanctissimæ gloriã extollendam, &

ad caelestium ciuium gaudia exponenda, quàm ad nostram vtilitatem, qui à caelestibus deliciis peregrinamur, spectare. Quid nobis Beatissimæ Virginis assumptio pdest? Multum sanè, charissimi filii: Quemadmodum enim ascensio nostri Saluatoris ad ætherea regna, maximè nobis profuit, vt mediatorem apud Patrem haberemus: Ita etiam multum nostra interest, quòd Regina Angelorum ad cœlestia regna tantâ gloriâ & maiestate assumpta fuerit, vt aduocatam apud ipsius vnigenitum filium habeamus, vt sicut Christus Redemptor noster ostium & mediũ est, per quod apud Patrem nostra negotia expedienda sunt: Ita etiam ipsa ianua sit, vt cum filio nostræ salutis negotia expediãtur. Deinde cùm Maria sanctissima mater misericordiæ sit, pro nobis semper intercedit, & cùm etiam æterni iudicis mater existat, omnia quæ postulat, impetrabit. Quomodo Christus sanctissimæ matri aliquid denegabit, quam ex toto corde dilexit? Plutarchus & Valerius de illo illustrissimo viro Coriolano referunt, quòd, cùm Populus Romanus solâ inuidiã ductus Coriolanum ad Bloscos, qui Romanis infensissimi hostes erant, in exilium misissent, ab illis hilariter & benignè acceptus, & sui exercitus generalis dux creatus fuit; Coriolanus verò non immemor iniuriæ sibi à Romanis illatæ, integrum & potentissimum

tissimum exercitum Romam duxit, & hac intentione & animi deliberatione obsedit, vt funditus everteret, nec lapidem super lapidem relinqueret. Romani ergò ad vltimas angustias redacti, præcipuos & illustriores illius reipublicæ viros, tanquam legatos ad ipsum miserunt, vt humiliter ab eo peterent, ne vltiori⁹ obsidionem continuaret, sed nil penitus impetrârunt. Iterum Romani suos Sacerdotes pontificacibus indutos vestibus transmittût, frustra tamen, quia Coriolanum à suo primo proposito dimouere non potuerunt; timebat senatus, populus tremebat, viri & mulieres mortem iam imminentem, ac vltimam patriæ devastationem deplorabant. Cæterum Beturia matrona Romana nobilissima & Coriolani mater, castra Blofcorum accessit, quam cum filius conspexisset, ad eam apertis brachiis accurrit: Beturia verò minacibus ac iratis oculis eum intuita, sic alloquuta est. Priusquam Coriolane in nostros amplexus & oscula ruas, parumper expecta, à te enim scire vellem, an tanquã ad meum filium, vel tanquam inimicum accedam, an tanquam captiua, vel mater te conueniam; Ad tantas angustias & extremã miseriam in extrema & infelici mea senectute revocanda eram? primò enim te Romã exulem, modò verò illius capitalem hostem conspicio. Quo animo & consilio Romam,

vbi genitus & procreatus es, demolire ac deuastare totis viribus conaris? Quæ verba cum fletu & lachrymis admixta, ita ad animum illustris viri emolliendũ efficacia fuerût, vt matrẽ dulcissimẽ amplexans, sic exclamauerit. Vicisti Roma, vicisti Coriolanum: Propter huius preces, quæ me nouem mensibus suo vtero gestauit, etiam si magno supplicio ac crudeli devastatiõe digna fores, tibi ignoscam. Si ergò Coriolanus gentilis sine vera Dei cognitione, tantã pietate ergã suã matrem ferebatur, maiori sanè Christus erga suam sanctissimam Matrem ducetur. Et si Beturia irati filii animum ita emollire & comouere potuit, vt veniam pro Romanis, qui eum tam grauius in honore læserant, facillè impetrauerit; potiori iure Maria Sanctissima suum charissimũ filium eò adducere poterit, vt erga peccatores suæ misericordiæ viscera manifestet. Quid si Beturiæ rationes tantã elegantia & efficaciam proposita fuerunt, vt ea, quæ nec legati, nec Sacerdotes pontificiis vestibus ornati obtinere potuerunt, consequuta sint; maiori planè efficaciam & elegantiam verborum ea, quæ nec Apostoli, Martyres, confessores, Patriarchæ, Prophetæ, virgines, & Spiritus Angelici impetrare queunt, Maria Sanctiss, obtinebit. Non dubito quin illius rationes tantæ efficaciam ad veniam pro peccatorib, impetrãdam sint, vt Deus vi illarũ allec⁹ sic

sic exclamare cogatur. Vicistis peccatores, iustam vindictam, & meum contra vos furorem compressistis, & etiam si aeternis suppliciis propter vestra scelera digni sitis, propter huius tamen preces & patrocinium, quae me noue mensib. in suo utero gestauit, & quae vestra advocata in beatitudine existit, lubenti animo ignosco, & ad meam amicitiam reuoco, ut in hac vita mea gratiam participes effecti, in futura aeterna gloria perfruamini, quam mihi & vobis prestare dignetur Iesus Christus Amen.



Sermo secundus.

PRO SALVTATIONE Angelica.

Evangeliū, quod ab Ecclesia hodierna assumptionis festiuitate proponitur, liber alter Ezechielis est; qui, ut refertur cap. 3. illius Prophetiae exterius pulcher erat, & intra optimis characteribus illustratus fuit, quem cum comedisset Sanctus Propheta Ezechiel, mellis dulcedinem & saporem expertus est. Ita in presenti Evangelio contingit, historia enim illius optima & verissima, ac pulcherrime ab Evan-

gelista descripta est, internè tamen profundissima mysteria latent melles planè dulciora & sapidiora, quae ut in lucem eruamus, gratiam Spiritus Diuini Mariae Sanctissimae interuentu postulemus, dicendo Ave Maria.

Intrauit Iesus in quodam castellum &c. Luc. 10. cap.

Optimo sanè iure nostra mater Ecclesia tantam solemnitate, & letitiam ac iucunditatis signis assumptionem Beatissimae Mariae celebrat, festum quidem, in quo tria celeberrima festa continentur. Hodie enim eius sacratissimae mortis dies in omnium fidelium memoriam reuocatur, cum illa anima sanctissima à corpore, templo & sacratio Spiritus Diuini separata fuit. Celebramus etiam illius exequias & funeralem pompam, quam Apostoli peculiari miraculo ex diversis mundi partibus conuenientes exhibuerunt, & gloriosam eius resurrectionem, quando anima iterum corpori, cum quo tam fideliter & dulciter convixerat, unita fuit. Tandem hodiernam luce admirabilis eius assumptionis mentionem facimus, cum Maria sanctissima, corpore & anima vniuersam curiam caelesti comitata, super omnes choros Ange-

lorum, tanquam ipsorum Domina
& Regina eleuata & coronata fuit.
Præfens ergo festiuitas celeberrima
& iucundissima est, cum arca Noë,
per quam à peccati diluuiò liberati
sumus, super montes Armeniæ re-
quieuit, & columba illa diuina, quæ
nunquam, etiam si diu in hoc læcu-
lo morata fuerit, rebus caducis ad-
hæsit, ad arcam iterum reuerfa est,
ac deinde in cælestib. palatijs suam
sedem & habitationem constituit.
Hodiè vniuersus Israel arcam Do-
mini ex domo Obededon eduxit, &
uarijs instrumentis musicis comita-
tam, in cælestem ciuitatem intro-
dixit; diès planè solemnissima,
cum omnes Domini & Principes I-
srael cum verò Salomone conueni-
entes, arcam domini humeris sacer-
dotum deportatam, in Sancta San-
ctorum, inter alas Cherubim col-
locarūt. Hodiè habitatores Bethulæ
à primo vsq; ad vltimum fortissima
Judith occurrerunt, & luminibus
accensis eā circūdantes, in emin-
tiori ciuitatis loco constituerunt.
Hodiè etiam Maria sanctissima ad
filij sui dextram, tanquam omnium
cælorum Regina refedit, & conse-
quēter hodierna festiuitas postulat,
vt de immensa gloria, quā potitur
breuiter agamus. Videbitur ta-
men alicui Ecclesiam extra propo-
situm in hac assumptionis solemnitate
historiam & Evangelium Mar-
thæ & Mariæ adducere ad gloriam

Mariæ sanctissimæ explicandam. La-
ta hæretici sacrilego ore calumni-
antur, præcipuè Buzerus sic ait.
Bone Deus, quàm miserè hæc lectio
torta est, vt assumptioni Diuæ Vir-
ginis Christi matris responderet.
Miserius tamen blasphemus hæreti-
cus in hoc desipitur; Evangelium e-
nim hodiernæ festiuitatis conueni-
entissimè ad præmia & gloriā Beatif-
simæ virginis extollendam allatum
est: Quia Christus Saluator noster
summā curā & diligentia vberem
sui hospitij mercedem his, qui eum
humaniter excipiebant, semper cō-
tulit; Et idè Zachæus, vt notat S.
Ambrosius super Lucā cap. 19. tam
hilariter & diligenter Christum ho-
spitio excepit, quia Christi erga su-
os hospites liberalitatem optimè
nouerat. Si enim Christus cum pu-
blicanis aliquando comedit, postea
illorum peccata condonauit, & si
cum amicis eo fine in eorum pran-
dio cōparuit, vt in sui amorem eos
inflamaret, & consequenter largi-
ter accepta beneficia compensaret,
vt potè cum cælestia bona pro ter-
rennis conferret. Vnde colligitur
quàm liberaliter, & vltra debitum
Marthæ & Mariæ suum hospitium
soluerit; ipsæ enim solùm in terra
nostro Saluatori hospitium pararūt,
ipse verò in cælestib. palatijs, illæ per
aliquot dies, Christus verò in per-
petuas æternitates pulcherrimam
habitationem eis præparauit: Ex

Hh

quo

quo evidenter constat, mercedem à Christo hominibus in compensationem collatâ, seruitia accepta longissimè superare. Si ergò Christus Redemptor noster tanta & tam abundantia præmia pro hospitio in terris accepto, istis sororibus largitus est, quanto maiora Mariæ sanctiss, conferet, cum eum in suis visceribus receperit, quib. longè præstantius hospitium, quàm Martha & Mariæ, nostro Saluatori præstitum est? Idèd Ecclesia hodiernâ assumptionis festiuitate hoc Euangelium vsurpat, vt ex præmio & mercede, quam vtrique sorori largâ ac liberali manu Christus contulit, apertis indiciiis immensa Mariæ sanctissimæ præmia colligamus, præcipuè si illius erga Christum seruitia cum aliis à Martha & Mariæ præstitis, conferamus. Istæ enim sorores nostrum Redemptorem Bethaniam accedentem in externo palatio susceperunt, at Beatissima Virgo intra se per nouem menses honestissimum ei hospitium præbuit, Martha, quæ domina interpretatur, tribus annis suam domum & habitationem, charitatisquè officia exhibuit: Beatissima verò Virgo triginta annorum spatio maiori curâ & sollicitudine tam domi, quàm in Agypto, & in aliis locis ei inseruiuit. Et si Maria Magdalena verba nostri Saluatoris ad pedes illius sedens attentè auscultauit; maiori prorsus

attentione Mater Dei verba salutis audiebat, & in corde diuinis considerationibus conseruabat. Ex quibus omnibus inferri potest, Mariæ sanctiss, immensa præmia suis officiis & virtutibus debita collata fuisse. Magni Deus æstimat misericordiæ & charitatis officia peregrinis exhibita, cum eos, qui se in illis exercuerunt, primò ad coronam gloriæ immarcessibilem capescendam vocet, vt præcedenti concione dicebamus. *Venite benedicti patrum et percipite regnum, Matt. 25.* Si igitur Deus eos, qui erga pauperes hospitales sunt, tantis prærogatiuis & honoribus, profectur, quid de Martha & Maria Magdalena censendum est, quæ non solum Christi nostri Saluatoris pauperes, sed etiam ipsum omni humanitate & charitate per multos dies in propriam domum receperunt? sine dubio inter alios Christi fideles, qui in vita actiua excelluerunt, peculiari aliquâ mercede ditatæ sunt; Et si hoc de istis sanctissimis sororibus asserendum est, quid de Beatissima virgine dicemus, quæ tantâ erga pauperes & peregrinos, præcipuè erga suum filium charitate enituit? vix verbis immensa illius gloria & beatitudo aliquâ qualiter explicari aut inuestigari poterit. Ad cuius ponderationem notanda sunt ea, quæ in sacra scriptura asseruntur *Si quis Prophetam receperit in nomine Propheta: mercedem Propheta accipiet,*

piet. Et qui recipit iustū in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, *Marth. 10.*
 Si ille, qui Prophetam in nomine Prophetæ recipit, mercedem prophetæ accipit, & qui iustum, mercedem iusti, quam, quæso, Martha in alio sæculo mercedem accipiet, cum non prophetam, sed ipsum Dominum, quem prophetæ prædicabant, & iustum per excellentiam, à quo omnes iustitiam accipiunt, hospitio exceperit? Et si hoc verbis exprimere vix aut agrè possumus, quomodo inenarrabiles immensæ gloriæ coronas, quæ Mariæ sacratiss. debentur, explicabimus, cum Christum nostrum Redemptorem non in domo lutea & terrea, sed in suo purissimo utero receperit? In sacris litteris refertur *4. Reg. cap. 4.* quod cum Eliseus quadam die per Sunam civitatem transiret, à Synamitide egregia matrona detentus fuit, vt secum prandium sumeret, & cum sæpius sanctus Prophetæ per illam civitatem suū iter cōficeret, semper ad Synamitidem diuertit, vt in eius domo hospitium haberet, ipsa verò, vt honestius suum hospitem tractare & ei inservire posset, ex mariti consensu paruum cœnaculum pro Eliseo extruxit, vt ibi quiesceret, cum longo itinere defatigatus Sunam adveniret. Sanctus Prophetæ vt hospitium solueret, & sui animi gratitudinem ostenderet, filium à Deo pro ipsa obtinuit, & illum iam

gravi capitis dolore extinctum, ad vitam reuocavit. Si ita Prophetæ Eliseus sui hospitij mercedem soluit, liberalius ipse Deus charitatis officia sibi hic exhibita compensabit, vt in Martha & Maria compertum fuit; Martham enim à fluxu sanguinis liberavit, Mariam verò omni peccatorum genere contaminatam ad suam amicitiam admisit, & propter vtriusque preces Lazarum iam fatidum & proximè ad vermes dispositum ad vitam reuocavit. Quid non Mariæ Angelorum Regine preces apud Deum impetrabūt? Quot millia hominum ipsius auxilio ad nouam vitæ gratiam restituti sunt, cum aliàs peccatis & sceleribus emortui & sepulti essent? Martham & illius domum beatam nuncupare possumus, potiori tamen iure Mariam sanctissimam, quæ viuam Deo habitationem exhibere potuit. Meritò ergò hoc Euangelium ab Ecclesia in festo assumptionis legitur, vt immensa illius præmia nobis aequaliter innotescerent. Quæ cum ita sint, ad primum nostræ concionis intentum redeamus. Tres enim festiuitates Beatiss. Virginis in hoc vnico assumptionis die celebrat nostra mater Ecclesia, illius scilicet mortem, resurrectionem & mirabilem ad cælos assumptionem. Mortua quidem fuit Beatissima Virgo Mater Dei, & nos omnes à primo vsque ad vltimum moriemur, licet duri-

duriora mortis certamina expectare possimus: Maria enim Sanctissima dulcissimam mortem sine mentis illusionibus, phantasmatis, aut interno inferni, vel extremi iudicii timore experta est, in quo peculiarissimis Dei favoribus & priuilegiis dotata est. Ad cuius ponderationem notanda est historia Ioseph, cum ipsi totius Aegypti supremum regimen collatum fuit, parentem enim suum Iacob sapiens ad se vocauit, diuersa munerum genera remisit, secum duxit, vt se iam Rege & supremo totius Aegypti dispensatore potiretur, absque dubio Sanctus senex maxima lætitiâ & gaudio perfusus fuit, cum suum filium, quem mortuum existimauerat, non solum viuentem, sed totius regni dispensatorem conspexit. Quot caelestes inter-nuncios, quot Spiritus Angelicos Christus noster Redemptor suæ sanctissimæ Matri ante illius obitum remisit, vt illius immensam gloriam prænunciarent! & præcipue Gabrielem Archangelum Dei fidelissimum nuncium misit. Quâ lætitiâ & cordis exultatione Beatiss. Virgo ad hoc iter perficiendum præparata fuit, vt suum filium charissimum in caelesti patria Principem & Dominum totius caelestis curiæ in-tueretur! *Vadam & videbo eum. Gen. 45. Qui ex vno ad alterum regnum discedere solent, prius iuxta statuta regni leges, pecunias, & ea quæ*

secum portant, designatis à Rege officialibus manifestare debent, ad quod diligentius præstandum & exequendum, certi quidam custodes deputati sunt, ita in suo munere curiosi indagatores, vt etiam intra soleas calceorum pecunias exquirant, & si forsitan aliquid inueniant, quod apertum antea non fuerat, per vim rapiunt, & tanquam bona perditâ extorquent. Idem, charissimi filii, nobis contingit, cum ex hac vita ad aliam migramus, tot enim custodes, & tam curiosi inuestigatores in periculoso isto itinere occurrunt, daemones videlicet, vt vix eorum manibus euadere possimus; intima nostræ conscientiæ secreta, etiam vel minimam cogitationem perlustrant, & si quid reperiant, quod per veram confessionem manifestatum non fuit, non solum alia bona, sed animam præcipue æternis inferni pænis puniendam arripiunt. Sunt aliqui, qui in discessu diuitias, quas secum portare nequeunt, abscondunt & occultant, imò si locus non pateat vbi reponant, mærore & tristitiâ afficiuntur, vt illi diuiti contigit. *Quid faciam, quia non habeo quod congregem fructus meos? Luc. 12.* Tandem in custodes incidunt, qui omnia vsque ad animam extorquent. *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te.* Hunc periculosum ex hac vita ad aliam transitum & progressum omnes etiam viri Sanctissimi

aiffimi expectant, & qui iam ex hoc
 sæculo feliciter migrarunt, experti
 sunt. Cæterùm Beatiffima Virgo in
 sua feliciffima affumptiõe ab omnib.
 istis moleftiis ex peculiari Regis
 gloriæ priuilegio liberata fuit, sine
 anguftia ac comotiõe spirit⁹, aut in-
 terno dolore ad ætherea regna euo-
 lauit. Optimè S. Iob mortem comu-
 tationem appellauit. *Expecto donec
 veniat immutatio mea. cap. 14.*
 Ac fi diceret. In hoc sæculo tan-
 quam armatus miles, qui singulis
 momentis hostem expectat, vitam
 dego, confido tamen hanc perpetu-
 am cum hostibus concertationem,
 in æternam vitam commutandam
 fore; Vita mea continuum quod-
 dam bellum est, expecto tamen
 mortem in pacem esse commutan-
 dam. Sic in nostra vita philoso-
 phandum est; si enim contra dem-
 onem, carnem & mundum bellum
 gessimus, nostra mors in pacem com-
 mutabitur, si verò cum prædictis
 hostibus pacem & confæderatio-
 nem iniuimus, perpetuū in alio sæ-
 culo bellum geremus: Quod si vita
 laboriosa fuerit, in morte maximā
 tranquillitate & pace perfruemur;
 cùm ergò vita Mariæ Sanctiffimæ
 continuis laboribus plena fuerit, il-
 lius mors suauiffima, pacifica & iu-
 cundiffimā fuit. Cùm clauū firmi-
 ter parieti affixum extrahere volu-
 mus, prius parietem ictibus circū-
 circa commouemus & comminu-

imus, deinde spontè clauus deci-
 dit, etiam si malleo non tangatur: Ita in pretiosā morte Beatiffimæ
 Virginis contigit, illius enim san-
 ctiffima anima sine vlllo profus
 dolore à corpore separata fuit, quia
 dum viveret, sacratiffimum eius
 corpus immensis laboribus & an-
 gustiis ex amore sui filii perpeffis,
 comminutum fuit: Tum, cùm in
 præsepio inter bruta animalia ia-
 centem, postea circumciffum vidit;
 tum etiam, cùm in Ægyptum fu-
 git, & deinde cùm ad turpiffi-
 mam mortem damnatum, carnem
 eius sacratiffimam, quam ex ipfius
 puriffimis visceribus desumpferat,
 tam turpiter & crudeliter vulnera-
 tam conspexit, quæ omnia ita Ma-
 riam Sanctiffimam commouerunt,
 & illius ossa comminuerunt, vt in
 morte, anima sine vlllo doloris ta-
 ctu à corpore separata fuerit. *Non
 consurget duplex tribulatio. Nahum 1.
 cap.* Ex diuina planè prouidentia
 ordinatum fuit, vt Maria sacratiff.
 quæ in morte sui filij tot dolorum
 vulneribus transfixa fuerat, mor-
 tem propriam sine doloribus expe-
 rireretur. Si enim de sancto Evangeli-
 sta Ioanne dicit Sanctus Hierony-
 mus in sermone de assumptione,
 eum mortis dolores non sensisse,
 quia tot in morte Christi pertulit;
 potiori iure id de Beatiff. virgine af-
 ferendū est, cùm longè maiores atq;
 Evangelista ptulit, ipsa in separatiõe
 sua

suæ Sanctissimæ animæ à corpore, illa fortissima mulier extitit, de qua Prouerbi. 31. dicit Salomon. Et ridebit in die nouissimo; mortem enim lætissima aspiciens, ad cælestia gaudia euolauit. Secunda festiuitas, quam hodiè celebramus, est illius gloriosa resurrectio. Cum florem aliquem ex vno ad alium hortum transplantamus, cum eadem terrâ, quæ radicibus adhærebat, deferre solemus; sic Beatissima Virgo cum corpore & anima ad cælestem paradysum translata fuit. Quasi plantatio rosa in Iericho Eccles. 24. neq; enim existimandum est, filium pmisisse, vt suæ sacratissimæ matris corpus corrumperetur & vermium esca fieret, aut in puluerem ac cinerem cõuerteretur. Nam si in desolatione ac devastatione Iericho non permisit Iosue, vt domus Raab meretricis destrueretur, quia à se missos exploratores receperat, maiori quidè iure tenebatur Deus corpus suæ Sanctissimæ matris illesum à corruptione seruare, in quo nõ vno vel altero die, sed nouem mensibus habitauit. Ided Sancti Patres & Doctores Ecclesie affirmant, post breve tempus, quo Apostoli corpus emortuū sepulchro imposuerunt, iterū reuixisse; Quia tamen in sacris litteris nihil de hoc statutum est, ided iuxta consilium Sancti Aug. rationes, quæ autoritatem suppleāt, adhibendæ sunt. Et imprimis

regulatiuris est, quod si aliquis grauius & inuitata peccata committat, iudices non tenentur in eorum punitione iura cõmunia seruare, quæ cum aliis obseruari solent; Nam iustum est, vt illi qui extra cõmunem modum & ordinẽ deliquerūt, supplicis etiam extraordinariis puniantur; Ita cum Sodomitis actum est, quia enim in grauissima & horrèda peccata extra communem naturæ ordinẽ inciderāt, ided sine dilatione exquisitis pænarum generibus à supremo omnium iudice, eodem igne, quo dæmones & damnati in inferno conflagrari solent, grauissimè puniti fuerunt. Ad propositum ergo cum Deus æquè iustus sit atque misericors, cum in Maria Sanctissima tantæ & tã exquisitæ prærogatiuæ & virtutes reperiantur, mirū non est, si Deus præmia illius eximiis virtutibus debita, acceleret, nec cõmunem aliorum resurrectionem expectet, sed emortuum corpus statim ad vitam reuocet, antequam in cineres & puluerem conuertatur, Præterea corporum corruptio ex peccati corruptione orta est; Puluis es & in puluere reuerteris, Gen. 3. Et hæc pœna in patrati sceleris vindictam inflicta est. Qui enim sui Regis proditores sunt; non solum in pœnam delicti capite plectuntur, sed etiam illorum domus solo adæquatur, vt cum nostris primis parentibus, & eis, qui ex illis deriuantur, factum

factum est; corpus tamen & domus
Reginæ Sacratiss. cum nullo actua-
li peccato infecta fuerit, nec, vt pro-
babilis censet opinio, peccatū ori-
ginale contraxerit, quare deiicien-
da & destruenda esset? cum corpus
animæ unitum aliquod malum
operatur, in pœnam pro corpore &
anima destinatum est purgatorium,
pro corpore vermes, terra, & cor-
ruptio in purgatorium designata
sunt. Quemadmodum ergò anima
suam gloriam assequitur? Ita etiam
corpus, quod cum anima conformi-
ter ad rationem & diuinas leges cõ-
vixit, suâ peculiari gloriâ splendi-
dissimè micat. Corpus igitur Mariæ
sanctiss. quodd nec vllam malam
cogitationem admisit, nec aliud
quam diuinas laudes protulit, ver-
mibus & terra consumendum erat?
Manus, quæ nunquã nisi in laudes
conditoris sui eleuatæ fuerūt, oculi,
qui nunquam nisi ad exaltandum
Deum aperti sunt, pedes, qui non
ad aliud quam in Dei seruitium &
bonū hominum progrediebantur,
nec vermiū, nec corruptionis vllā
possessionem aut iurisdictionem
sentire debuerunt, corpus ergò Ma-
riæ sacratissimæ simul cum anima
aternis gaudiis perfruitur. Sancti,
etiã si eximiã sanctitate præditi
sunt, dum tamen sunt in presenti
sæculo, continuam inter carnem &
spiritum luctam experiuntur, quæ
non nisi per vtriusq; separationē fi-

niri potest; sicut in aliqua ciui-
tate contingere solet, si inter duos
nobiles perpetuæ lites & contenti-
ones oriantur, non alio modo à ci-
uitatis præfecto, quam per vtriusq;
separationem sedari possunt: At in
Beatissima Virgine inter illius car-
nem & spiritum nullæ dissensiones
aut lites excitatę fuerunt, sed ita a-
micabiliter conuixerunt, vt nihil
quod animæ placuit, corpori ei° dis-
plicuerit, quare ergò tam boni & fi-
deles amici adinvicem separandi e-
rant? Deinde sacratissima caro, quã
Christus Saluator noster ex Maria
sanctiss. desumpsit, sine vlla corrupti-
one fuit, vt constat ex psalmo 15.
*Non dabis sanctum tuum videre corrup-
tionem.* Vnde videtur consequen-
ter dicendum, nec carnem suæ ma-
tris corruptionem aspexisse, Et si Da-
niel ex rugientium leonum denti-
bus à Deo liberatus fuit, quare non
etiam corpus sacratissimæ virginis
à vermibus liberandum erat? Arca
federis Deo sic speciali curâ prou-
idente ex lignis Cethin, quæ incorru-
ptibilia erant, confecta fuit, quare
ergò Deus permittere deberet, vt
vera federis arca à vermib. & putre-
dine consumeretur? Deinde in li-
bris Regum mysteriosè legitur,
quodd cum Rex David Amalechitas
deuicit, spolia, quæ in bello capta
fuerunt, in æquales partes diuisit,
ac inter milites distribuit, & eos, qui
militarem apparatus & sarcinas
custo-

custodierant, his qui in prelio decertarant, in præmiorum distributione adequauit: Ita Deus voluit, vt spolia & gloria, quæ Christus in monte caluarie consequutus est, cum eius sanctissima Matre diuiderentur; Licet enim solus Christus Saluator noster suos hostes superauerit, & ab illis gloriosam victoriam reportauerit, imò vsque ad infernum eos insequutus fuerit, Virgo tamen sacratiss. tentoria, & resurrectionis instrumenta, & omnem militarem apparatus iuxta crucem custodiuit: Spolia ergò, quæ ex Christi victoria obtenta sunt, cum ea diuidantur, vt, quemadmodum Christus à mortuis resurrexit, & in corpore & anima ad cœlestia regna triumphali pompa & apparatu conscendit, ita etiam Maria sacratissima in corpore & anima ad cœlestia beatorum gaudia assumatur. Preterea Exodi 2. præcipiebat Deus, vt si famulus per aliquod tempus alicui domino inseruiret, si postea dimitteretur, aut absoluto suorum seruitiorum tempore discederet, æquales in bonitate vestes secum ferret, atque adduxerat. Cùm ergò Regina Angelorū suā sanctiss. animā preciosissimo corpore induta, in Dei famulatum se totā deuouerit, iustum non erat, vt anima suis vestib. denudata, atq; à vermib. consumatis, ex hac vita migraret, sed potiùs gloriosis exornata vestibus dimittenda erat, iuxta il-

lud Prouerb. 31. *Byssus & purpura indumentum eius: Et ridebit in die nouissimo.* Tres illi familiares Nabuchodonosor ita ab igne illæsi euaserunt, vt nec vestes quidē ignis tetigerit. Et si hoc cum illis actum est, idem præstitit Deus cum carne sanctissimæ suæ matris, ex quā nostram mortalitatem assumens, indutus fuit. Tandem vt hanc veritatem concludamus, animaduersione dignissima est illa visio Evangelistæ Ioannis Apocalyp. cap. 12. quā mulierem sole circumvestitam, lunam sub pedibus, & in capite eius coronam stellarum duodecim cōspexit. *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite ei⁹ corona stellarū &c.* Quid hæc mulier tam pulcherrimis & gloriosis veltibus exornata representat? non aliud nostro iudicio, quàm Beatissimam virginem ad cælos in anima & corpore glorioso ascendentem representat. *Mulier amicta sole;* idē forsitan mulierem vidit Evangelista Ioannes tanto splendore corruscantē, & non animam, aut mulieris corpus, quæ duo integram mulierem constituunt, vt manifestiùs constaret tam animam, quàm corpus Mariæ sanctiss. in forma gloriosa cœlestia palatia conscendisse. Tertiam festiuitatem celebrat hodiē nostra mater Ecclesia, nempe illius super omnes choros Angelorū admirabilem assumptionem. Quando sanctus Prophe-

ta Da-

ta Dauid suo regno pacificè fruebatur, & se in suo regio palatio tantis sumptib, extracto cōtemplabatur, arcam Domini in memoriam reuocās, sic dixit ad Nathan, *Videsne quodd ego habitem in domo Cedrina, & arca Dei posita sit in mediopellū?* 2. Reg. 7. Ac si diceret, nec iustū nec licitū est, vt ego in domo cedrina habitem, & arca Domini sub pellibus moretur, in loco præstantiori collocanda est. Si sanctus Propheta tantam curam adhibuit, vt arca fæderis in honorifico loco pōeretur, quantā, quæso, Fili⁹ Diuinus, p matre, quæ vera arca fæderis erat, adhibuit, vt in præstantissimo gloriæ solio collocaretur? Cū autem vellet Sanctus Propheeta arcam Domini ad honoratiorem locum adducere, omnes Sacerdotes & Leuitas cōgregauit, qui maximā pompā & solēnitate eā ad destinatū locum duxerunt. Hodie igitur Christus Redemptor noster vniuersā curiā cœlesti comitatus, musicā, & vocum suauissimè personantium concentu ad suam sanctissimā matrem descendit, eamq; in tumulo iacentem, & Apostolis stipatam, tanquā illius charissimus Sponsus, his ad se verbis vocauit, *Surge, propera amica mea, columba mea, & veni.* Cant. 2. Quibus vocibus Beatissima Virgo quasi ex somno expergefacta, & ministerio Angelorum eleuata, sole & lunā clarior ac splendidior surrexit, & ad cœlestia palatia progredi in-

capit. Apostoli cū eam ascendentem conspicerent, magnis clamoribus aëra concrepabant. *Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere vt intueāur te.* Cant. 6. cap. Quia se tantis thesauris orbatos considerabant, post Christi ad cœlos ascensionem, hoc vnicum solatium illis supererat, præsentia videlicet Marię sanctiss. idē eam ad cœlos ascendentem iterum ad se vocabant, ne tanto solatio priuarentur. Et si Spiritus Angelici tanto gaudio & exultatione in morte pauperis Lazari comparuerunt, & illius animam magnā lætitiā in sinum Abraham deportarunt; potiori planē iure hodiernā assumptionis die, omnes Spiritus Angelici suæ Domine & supræ Imperatrici occurrerūt, & illi famulantes, vsq; ad sanctā ciuitatem Ierusalem eā comitati sunt, & non solum ipsi, sed Christus noster Redemptor cum vniuersā curiā cœlesti in eius occursum venit. Vix verbis exprimi potest quanta fuerit, & quā mirabilis hodiernæ assumptionis celebritas; idē Evangelistæ nihil de illa tetigerunt, silentio potius & admiratione, quā verbis illam explicantes. Sicut illi Cherubim, qui coram arca fæderis adstabant, præ admiratione mutū se conspicientes, plus silentio indicarunt, quā si mysterium in arca & propitiatorio contentum verbis exposuissent, nullus enim lætitiæ signa iucundissima, quæ à cœ-

lestibus, ciuibus ostensa sunt, humana lingua explicare poterit. Quando Bethsabée suum filium Salomonem conuenire & inuisere voluit, Positusq; est thronus matri regis, qua sedis ad dexteram eius. 3. Reg. 2. Quam sic Salomon affatus est. *Pete mater mea: neque enim fas est vt avertam faciem tuam.* Bethsabée autem solum pro Adonia proditore rogauit. Sic Beatiss. Virgo in sua gloriosissima assumptione ad dexteram sui filij sedes, *assitit Regina à dextris tuis, ps. 44.* perpetuum patrociniū pro peccatoribus, qui sunt Dei proditores, agit, & forsitan hac de causā in corpore & anima ad caelestia regna evolauit, vt, sicut Christus suū sacratissimum corpus diris vulnerib; transfossū Patri Diuino ostendit, cum eum contra peccatores iratum animadvertit, vt iustum illius furorem compescat; ita Maria sanctissima suo Filio meritō in peccatores propter ipsorū scelera comoto, sua vbera ad eum placandum proponat, vt sic homines ad suam pristinam amicitiam reuocet, in presenti saeculo gratiam impetrando, & in futuro gloriam, quam mihi & vobis praestare dignetur Iesus Christus. Amen.



Sermo Tertius.

PRO SALVTATIONE
Angelica.

I quis Dei effectus varios, & diuersitatem influxuū diuinorum, quibus dōa supernaturalia nobis communicat, attentē perpendat, statim deprehendet Deum eodem modo in iustorum animas influere atque sol, cum in hac inferiora suae lucis radios diffundit. Sol enim si in amena & virentia prata micantem splendorem inluat, visum varietate florum splendentū recreat & delectat; si verō in aquae crystallinae fluvium suos radios dispergat, mirabili plane iucunditate ex aquarum conspectu orta, nostros animos replet: Quod si puro & crystallino speculo suam lucem communicet, tantā vi & efficaciam suum effectum causat, vt visus noster splendenti luce hebetatus ac percussus, vix praevirium debilitate solem in speculo splendentem intueri possit. Sic sol iustitiae, cum Ecclesiae virentibus confessorum pratis sua dona communicat, maximā intuentes delectatione afficit; iucundissimum enim est v-
nius

nus sancti confessoris animam diuini donis exornatam intueri, quæ ex se suavissimum odorem exhalat, & omnes arbores, quæ secus decursus aquarum in ea plantatæ sunt, suo tempore vberimos fructus producant; Si verd in martyrum perlucencia flumina inluat, maximam iucunditatem excitat. Quodd si in ctystillinum Mariæ sanctissimæ speculum suorum donorum radios diffundat, tantâ vi & efficaciâ in eius sanctissimam animam influit, vt suo splendore fulgentissimo supremi Cherubini vilum hebetet & attenuet. In tantam lucem & tam eximium splendorem hodiè mentis oculos defigere debemus, nè tantâ luce opprimantur & deficiant, necessarium est, vt viribus & gratiâ Spiritus Diuini roborentur, hanc internentu eiusdem Spiritus postulemus dicentes. Ave Maria.

Intrauit Iesus in quodam castellum &c. Luc. 10. cap.

Hodiè, charissimi filij, felicissimam mortem & fortunatum transitum Mariæ sanctissimæ ex præsentis sæculo ad futurum, gloriosum eius triumphum, ac celebrem coronationem, illustriorem planè quacunque alteri Regiæ aut Imperatrici factæ, Ecclesia nostra mili-

tans his octo diebus, & triumphans per totam æternitatem celebrat. Nos, qui in Ecclesia militante versamur, maximis lætitiæ signis, sanctis desideriis, admixtis etiam lachrymis ex interna devotione ortis, tam fœlicem vitæ terminum & gloriosam assumptionem celebramus: At Beati tantam festiuitatem omni pompâ & apparatu, sicut tantæ principissæ decet, celebrant. Nos, licet tanto Beatissimæ virginis bono ac gloriosa coronatione exultemus, timidi tamen & solliciti propter damna & incommoda, quæ ex illius absentia suboriri possunt, simul cum eius præstantissimæ gloriæ laudibus, nostram miseriam, & eius auxilii indigentiam exponimus, ac opep ardentissimis desideriis, & sanctis orationibus his etiam vocibus imploramus. O Domina mundi, O mater Dei, O Regina cœli intra ad ætherea regna, & deprecare Deum pro populo tuo. Et quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? Esther 4. cap. O mysteriosa Esther regalibus exornata vestibis, pro nobis in cœlesti patria coram Rege compareas; & quis nouit vtrum idcirco ad regnum veneris. Sed quis non nouit, te tam illustri Regiæ cœlorum titulo ided decoratam fuisse, vt pro nobis perpetuò apud Filium & Patrem intercederes? Cives verd cœlestis aulae simul cum nostro Salvatore Iesv

Christo summoperè desiderantes, vt Maria sanctissima tanquam pulcherrimum Ecclesiæ collum, cum suis sponsi capite coniungeretur, & quæ ita viriliter in hac vita decertauerat, in alia triumpharet, atque suis plantis stellas firmamenti conculcaret; harmoniâ cælesti & concentu planè diuino eâ hodiè ad gloriosum thronû, & sui imperii coronam capescendam, his verbis invitant. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amanæ, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus paradorum. Cant. 4.* Ac si dicerent. De monte Libano ad nostra palatia conscendas charissima sponsa nra. Libanus mons albus erat, & propter varietatem & diuersitatem florum ex se suauissimum odorem exhalabat: Ex monte ergò Libano ad cælestia gaudia conscende; quia tuæ purissimæ vitæ candor, & heroicarum virtutum sua visissimus odor, tam præclara præmia dignissimè promerentur. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni.* Mysterosa sanè est crebra ista verborum repetitio, non enim semel spiritus beati ad cælestia præmia capescenda, sed tertio eam invitant. Alii, qui ex hac vita feliciter discedunt, tantum in anima vsque ad vniuersalem resurrectionem supremâ beatitudine fruuntur, idèd cum ad cælestia gaudia invitantur, tantum semel eis dici potest. *Veni*

de Libano. Mariæ verò sanctissimæ semel ad gloriam animæ indicandam, secundò ad gloriam corporis, tertio etiam ad præuentam sui corporis resurrectionem manifestandam, prædicta sponsi verba repetuntur. *Veni de Libano sponsa, veni de Libano, veni: coronaberis, &c.* Non ad quamcunque coronam invitatur Beatissima Virgo, sed ad diadema pretiosissimum, non solum firmamenti stellis, quas Evangelista Iohannes aspexit, elaboratum, sed figuris etiam tigrum, leonum, draconum, ac viperarum pulcherrimè distinctum, vt belluæ prædictæ indomitæ & virulentæ, in domesticos & obediens filios Ecclesiæ convertantur, in corona etiam contextæ, non horrorem & stuporè, sicut antea, sed iucunditatem & animi maximas delicias excitabunt, imò coronam Mariæ sanctissimæ illustrissimam & speciosissimam reddent. Vtinam hodiè. Charissimi Auditores, Spiritus Diuinus nostrum animû & vires ita cõfortaret & eleuaret, nè visus præ tenuitate deficiat, si defixis oculis hanc aquilam cælestium avium, id est, Angelorum Reginam, intueri velit, quæ hodiè tam celeri & alto volatu affurgit, vt in illo, & in altissimo nido, quem sibi in cælestibus palatiis extruit, omnipotentiâ diuinam indicauerit. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis*

ponet

ponet nidum? *Iob 39. capite.* Ac si Deus manifestius diceret. Nullus præter me, etiã si magnis virib. & potentia valeat, solã voluntatis suę implo ac mādato efficiet, vt aquila ex terra ad suprema cœli fastigia eleuetur, ac ibi nidum suum in arduis collocet. Solus Deus tantã potentiã & viribus eminet, vt infirmam & debilem ac terream creaturam, ita ad imperium mouere possit, quod vltra aquilæ volatum, cùm nulla supremam aeris regionem conscenderit, eam mirabiliter eleuet. Sola hæc, ex ordine, præcepto ac dispositione diuinã, hodierna luce tã alto volatu ad superiora euehitur, vt nõ solum supra aeris & ignis supremam regionem locum teneat, sed etiam supra cœlestia corpora, quibus planetæ & stellæ affixæ sunt, & primum mobile, ac supra omnes Spiritus Angelicos eleuata sit. Quã cùm cœlestes illi aulici in tam supremo loco constitutam conspexerunt, eã omni honore reverentiã & obedientiã tanquam suam Reginam prosequuti sunt, Angeli, famulantes illi viam sternunt, Archangeli, vt legatigena flectunt, Throni, super humeros portant, Dominationes, suã potestate viam aperiunt, Principatus, per suos ministros omnia obsequia præstant, Potestates illius, in signia & stemmata deferunt, Virtutes, de viã securitate certam reddunt ac

comitatu honorifico famulantur, Cherubim, suam magnitudinem ac præclarè gesta facinora plenitudine scientiæ & doctrinæ prædicant, Seraphim, suarũ voluntatũ ardentibus luminibus comitantur, & charitatis igne, quo inflammati sunt, suæ reginæ charitatem manifestant, & omnes vna voce dicunt. *Specie tua & pulchritudine tua: intède, prosperè procede & regna. psal. 44.* Eleuata est aquila ad præceptum tuum, eleuata est aquila ad cœlestia regna, supra cœlum Empyreũ euecta est, vbi omnia creata sub pedibus continet, & supra se solas Diuinas personas tanquã superiores recognoscit. Quod optimè in cœlestium corporum ordine, quæ diuina sapientia quoad dispositionem planetarum obseruauit, apertè demonstratur; Quia in quarto cœlo solem constituit, qui supra se tantum tres planetas sibi superiores agnoscit, infra se tamen omnes alios tanquam inferiores sub se continet. Ita diuinus iste sol, Maria in quã sanctissima, in cœlestibus palatiis constituta, supra se Diuinas Personas, vt superiores fatetur, infra se tamen alia sub eius pedibus continentur, etiam si supremos Spiritus Angelicos enumerare velis. Petet tamen aliquis vestrum, quare Beatissima Virgo nõ simul cum suo Filio ad cœlos ascendit? conuenientius enim videbatur, vt abo simul in

lesti patria triumpharent. Ad quod respondeo, quod posset Deus suam Sanctissimam Matrem in sua gloriosa ascensione secum ferre, noluit tamen suos Apostolos in fide novitios & teneros Mariæ sacratissimæ præsentia priuare, ut ipsa eos in fide confirmaret, in dubiis doceret, & in laboribus consolaretur. Secundò, noluit Christus Redemptor noster suam sacratissimam Matrem secum ferre; quia, ut gloriosus Anselmus dicit, speciali gloriâ & triumpho in cælesti regno, tanquam imperatrix & omnium Beatorum Spirituû Regina recipienda erat: Idèd æquum non erat, ut Christo comitata, cui necessariò omnis gloria & triumphus attribuendus erat, cælestia palatia occuparet. Cum enim Rex Ciuitatem aliquam ingreditur, etiam si magnatibus & potentissimis Principibus stipatus sit, pompa tamen & apparatus ac triumphalis gloria, quæ recipitur, non ipsis, sed soli Regi attribuitur. Tertio noluit Christus, ut sua Sanctissima Mater secum ad præmia aeterna capescenda conscenderet, ut maturi gloriâ, quam ipse, in sua ad cælos assumptione potiretur. Ipsa enim non solum Principibus, magnatibus & nobilibus aulæ cælestis, sicut Christus, comitata fuit, sed etiam ipso Salvatore nostro occurrente, celeberrimo comitatu super omnes cælos exaltata fuit. Ad cuius proposi-

tum Sanctus Aug. Lib. 2. De Ciuitate Dei cap. 30. refert. Deorum matrem aliquando Romam ingredi noluisse, quovisque præcipuus ciuium Romanorum Scipio Nasica ex Apollinis oraculo & declaratione ei in occursum venit. Maria ergò Sacratissima hodiernâ suæ Assumptionis die, non fabulosè, sed verè Cælestem Romam ingressa est, cui Sanctus Sanctorum, & nostræ iustificationis auctor, vniuersâ curiâ cælesti comitante, summo gaudio, lætitiâ & exultatione occurrit, atque in cælorum Reginam & Imperatricem extulit ac proclamauit. Sed ut in particulari aliqua de Beatissimæ Mariæ morte, resurrectione, & glorificatione proferamus, quæ vobis gratissima fore existimo, ab illius morte nostrum discursum exordiamur. Mors planè Mariæ Sanctissimæ rara fuit; quia communes affectiones & ferocem vultum deferens, se amabilem & hilarem ostendit, tristitiam enim suâ, dolores, deformitatem, pallorem, & reliqua accidentia, quæ causare solet, dereliquit: Adfuit ergò sacratissima virgini nõ arcu aut pharetrâ, ut in eam imparatam, sagittam emitteret, cū semper lætissimo vultu mortem aspiceret; nec falce eam aggressa est, sicut regulariter in mortales insurgere solet, quia non violenter, sed suauiter & leniter ad illius fores pulsauit, neq; repenti aut ex improvisò tanquam

quam domina adventavit, sed vt ancilla accersita venit. Corpus quidem accepit, non vt corruptioni traderet, sed per modum depositi, vt iterum redderet, quando peteretur: imò ei præceptum fuit, vt diligenter vigilaret, ne forsitan aliquid accideret, quod illius pulchritudinem alterare, aut membrorum integritatem immutare posset. Plura ex antiquis miraculis in hac morte renouata fuerunt. Magnum planè miraculum fuit, quod coruus, ex propria natura voracissimus, cibum Eliæ fideliter detulerit: Sed majus, pfectò miraculum, quod mors, quæ ex sua natura tam amara est, ac tantis doloribus & angustijs plena, quæ tantum horrorem & deformitatem in humano corpore causat, hîc in Maria Sanctissima suum ordinarium cursum mutet, & pulchra, facilis & suaui reddatur. Renouatum est etiam Danielis miraculum, qui inter leones cõstitutus, liber, & sine vlla corporis læsione evasit: Virgo enim sacratissima, licet intra vngues huius rapacissimi leonis, mortis scilicet, extiterit, nullo tamen mortali accidete læsa fuit. Præterea miraculum, quod in Libris Regum refertur cap. 17. in morte Reginæ Angelorum renouatur. Cùm enim Leo Prophetam interemisset, nò tamen comedit, aut illius membra lacerauit, potiùs comitatus est, & illius corpus custodiuit quoylsque alius

Propheta corpus emortuum accepit. Et leo stabat iuxta cadaver. Scitòptimè Deus voracem coruum ieiunum & abstemium reddere, leonum furorem compescere, mortis vires cohibere, latrones in fideles conuertere. Resurrectio deinde Beatissimæ Virginis peculiaris etiam extitit, sicut & mors. Quia ad normam resurrectionis Christi effecta est, & licet nullus fidei articulus hanc resurrectionem asseueret, ita tamen in Ecclesia recepta est, vt si aliquis eam negaret, non longè ab hæretica prauitate distaret. Et quis hanc veritatem in superioribus latè ostèdim⁹, sufficiat modò ad hui⁹ cõfirmatiõem locus ille Prophetæ Davidis psalmo. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca Sanctificatiõis tuæ.* Quæ licet ad literam de arca Domini intelligatur, pro cuius sacrario Rex Dauid elegantissimum templum extruere volebat, quod requiem Domini in præfenti versu appellat: Etiã intelligitur de requieet tranquillitate Ecclesiæ, & de illius sacratissimo templo, cuius figuram arca fæderis gessit. Quare locus iste interpretandus etiam est de noui testamenti arca, Regina nempè Angelorum, cuius altera veteris testamenti arca figura fuit; Et quemadmodum illa antiqua in se retinuit Manna: Ita Maria Sanctissimafilium Dei, Manna suauissimum de cælo præstitum, intra se cõserua-
uit.

uit. Multos legimus à mortuis suscitatos fuisse, non quidem vt perpetuò viuerent, sed vt iterum morerètur: De aliis etià creditur, eos in corpore & animà diuinà visione potiri; De nullo tamen ita certò & tam efficacibus rationibus, atq; de Beatiss. Virgine ostendi potest, quòd in corpore & anima ad cœlestia præmia capescenda conscenderit. Neque enim iustum erat, vt corpus, quòd Christi sacrarium extiterat, & ex quo suam sacratissimam carnem assumpserat, in terra maneret, & hoc est, quod illis verbis insinuat Propheta Dauid. *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca Sanctificationis tuæ.* Tertium mysterium fuit eius glorificatio, ad quam explicandam nulla humana lingua pertingere potest; ingenium enim nostrum debile & infirmum est, si ad superiora & cœlestia pertractanda cõscendere velit: idèd gloriosus Bernardus de gloria Beatissimæ Virginitis verba faciens, sic dicit. *Si oculus non vidit, nec auris audiuit, neq; in cor hominis ascenderunt, quæ preparauit Deus diligentib; se; quid preparauit gignenti se, & super omnes diligenti se, quis explicare valeat?* Vnde Euangelistæ, licet alia mysteria latè explicent, cùm verò de IESV Christi nostri Redemptoris gloria loquuntur, solùm vnum vel alterum verbum proferunt. *Sedet à dextris Dei;* nihil aliud proferre sciunt. Propheta E-

saïas solà Angelorum admiratione, ascensionem Christi ad maiorem illius ponderationem explicat. *Quis est iste qui venit de Edom, rinctis vestib; cap. 63.* Ea enī, quæ in Angelis, quorum ingenia tam acuta & perpolitata sunt, admirationem excitant, absque dubio notanda & admiratione dignissima erūt. Eundem modum in Canticis obseruat sponsus, vt gratiam sponsæ exponat, quā in hac vita floruit, & gloriam, quā in futuro sæculo decorata est, quod triplici admiratione explicat. Prima est. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi? cap. 3.* Vbi miratur sponsus prima rudimenta, principia ac pueritiam sponsæ, quæ tantam suauis fumi virgula, diversorum odorum suauitate admixta incipiebat; Et quemadmodum fumus ignem demonstrat, ita ibi apertissima ignis charitatis indicia, quæ in Angelorum Regina etiam in infantili ætate eminebant, manifestabantur, vnde diuersitas ac varietas odorum aliarum virtutum oriebantur. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum &c.* Non dicit sponsus de deserto, sed per desertum, vt intelligatur suā charissimam sponsam, tantæ virtutum varietate enitiuisse eo tempore, quo per huius vitæ desertum incedebat. Secunda admiratio est. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum*

acies

acces ordinata. Videtur sanè spon-
sum admirari, qualiter Angelorum
Regina in ostentatione suæ eximie
sanctitatis semper progrediendo
cresceret; quo incremento suam præ-
stantiam apertis indicijs prænunci-
at, idèd eam auroram vocat, vt ex
sole ex illa nascituro, totius vniver-
si attentionem capter, & sanctitas
ac virtutes illius excellentes ani-
maduertantur. Sic in aliquibus san-
ctis, qui in sanctitate floruerūt, con-
tigisse nouimus, Deus enim, vt exi-
mias illorum virtutes prædiceret, e-
tiam in vtero materno miranda ali-
qua signa præmisit. De Beatissimo
Patre nostro Dominico, & Sanctiss.
Bernardo legitur, quod illorū matres
in somnis canes, qui ardentes faces
ore gestabant, conspexerunt. In os
etiam Sancti Ambrosii & Isidori a-
pes intrantes & egredientes visa
sunt, quæ favum mellis ibi fabri-
cantes, futuram eruditionem prædi-
cebant: Ita Beatissima Virgo ab in-
eunte ætate signa apertissima futu-
ræ excellētiae præ se ferebat, quia in-
dies in vitæ sanctimonia & virtutib,
heroicis crescebat, idèd dicit spō-
sus, *Qua est ista, que progreditur?* Quia
Angelorum Regina nunquam vi-
res & animū, ac spiritū amisit, sēper
in virtute creuit, & hac de causa à
principio *virgulam fumi* appellat,
postèd *auroram*, deinde *solem & lu-
nam*, tandem, *castrorum aciem or-
dinatam.* Hoc est, in virtute integrā,

perfectam, & omnibus numeris ab-
solutam, *Terribilis vt castrorum a-
cies ordinata.* Tandem tertia ad-
miratio gloriam continet, quā An-
gelorum Regina hodiernā assump-
tionis die decorata est, & illius tri-
umphalem pompam, quā cælorum
palatia ingreditur. *Qua est ista, que
ascendit de deserto, delictis affluens, e-
nixa sup dilectū suum?* Cant. 8. Meritò
admirantur Spiritus Angelici, cum
eam tantā gloriā & lætitiā cælestia
regna occupātem, & cū suo charissi-
mo sponso nuptias celebrantem, in-
tuentur. Tria in nuptijs pensari so-
lent, vt splendida & celebres ha-
beantur: imprimis opiparum con-
uiuium; secundò vestitus & ornatus
sponsæ, tertio grauissimorum viro-
rum ac nobilium comitatus. Si ad
conuiuium hodiernum, quod in
nuptijs Regiæ Angelorum cele-
bratum est, attendamus, fuit planè
splendidissimum & abundantissi-
mum; quia omnibus aulicis cælestis
curiæ præparatum est. Si enim ex
singulis iustis, qui saluātur, cælestes
illi aulici gloriam accidentalem
participant, quantam hodiè partici-
pabunt suam Dominam & Regi-
nam intuentes, tantā gloriā & ma-
iestate promerita sibi præmia ca-
pescentem? Vestitus etiam & orna-
tus sponsæ optimè illis verbis descri-
bitur, *delictis affluens.* In alijs nupti-
js etiam si sponsa pulcherrima sit,
& splendidissimis vestibus incedat,

K k

nun-

nunquam tamen omnibus placet, quod vni placet, alteri displicet, & semper aliquid invenitur quod alicuius oculos offendat. Sponsa tamen diuina caelestibus *deliciis affluens*, omnibus placuit, caelestes illos aulicos immenso gaudio repleuit, recreauit & delectatione quadam diuina affectit, nihil in illa repertum fuit, quod vel minimam reprehensione dignum foret. Vestes diuinam quaedam proportionem constituta fuerunt; si enim gloria, quae vestis nuptialis est, magna fuit, merita etiam magna extiterunt, pretiosissima ergo gloriae vestis non sine proportionem, sed iuxta sponsae merita collata, & splendidissima elaborata fuit. Tertium, quod nuptias illustrare solet, est comitatus, qui in Reginae Angelorum hodiernis nuptiis tantus & tam honorificus extitit, vt Iesus Christus pretiosissimus eius Filius cum vniuersa curia caelesti eam comitatus fuerit, imò ita propè ipsi adfuit, vt manum illius tenens, simul cum ea conscenderit; & tantam familiaritatem ambo processerunt, vt Maria Sanctissima illius pectori & brachiis inniteretur. Hodie ergo Regina Angelorum tanquam Mater Dei in caelesti patria recepta fuit, quae, quae so, gloriam hodiernam assumptionis die exornata fuit? id mente quidem cogitari potest, non tamen humanam linguam exprimi aut enarrari, mysteria enim tam sumptuosa, silentio potius quam verbis

explicari possunt. Ita insinuauit Propheta David ps. 64. *Te decet hymnus Deus in sion*. vbi Secundum aliam translationem dicitur, *Tibi silentium Deus*. Id est, laudes & mysteria diuina melius silentio, quam lingua aperiantur, idè prudentius & tutius est ea silentio praeterire, & operibus manifestare, vt postea in beatitudine intueamur. quam mihi & vobis praestare dignetur Iesus Christus Amen.



Sermo Quartus.

PRO SALVTATIONE Angelica.



Gloriosus Evangelista Lucas tanquam diuinus & elegantissimus pictor, quatuor pulcherrimas imagines nobis in suo Evangelio depingit, & ante oculos proponit, quibus virtutes & laudes Beatissimae Virginis optimè exprimit: imprimis arcem & castellum hac inscriptione notatum delineat. *Intrauit Iesus in quoddam castellum*. Maria Sanctissima castellum est inexpugnabile & munitissimum, ex quo fortissimorum virorum armatura pendet. *Mille clypei*
pen-

pendent ex ea, omnis armatura fortiū.
 Cant. 4. Secundò Marthæ imaginē
 depingit, quæ figura etiam est Ma-
 riæ Sanctissimæ; suā enim diligen-
 tiā & solerti cura erga personā Chri-
 sti eam indicauit, quā Regina An-
 gelorum circa suum charissimū Fi-
 lium adhibuit, quæ Marthæ dili-
 gentiam superauit, *Multa filia cōgre-
 gauerunt diuitias, tu supergressa es
 vniuersas. Proverb. 31.* Tertiā imagi-
 nē quasi in extasim raptā depingit,
 & hæc est Maria Magdalena, quam
 huiusmodi inscriptione notauit, *Ma-
 ria stans secus pedes Domini audiebat
 verbum illius.* Tandem vtramq; foro-
 rem in eadem tabula depingens,
 Mariam pulchriori exornatam facie
 delineauit & expressit, vt sententia
 Christi nostri Saluatoris confirma-
 tum est, *Maria optimam partem ele-
 git &c.* De quibus omnibus in præ-
 senti concione agendum est, si prius
 adsit nobis gratia Spiritus Diuini,
 quam instanter postulemus mediā
 intercessione Beatissimæ Virginis,
 Dicamus Ave Maria

*Intrauit Iesus in quod-
 dam castellum &c. Luc. 10
 cap.*

In hoc Evangelio tres principales
 & nobilissimæ personæ introdu-
 cuntur; prima est Christus noster
 Saluator Beatissimæ Virginis Fi-
 lius; Secunda est Martha nostri

Redemptoris hospita. Tertia est pul-
 cherrima Magdalena. Et licet istæ
 duæ nobilissimæ, deuotæ & sanctæ
 sorores in eadem domo habitarent,
 & in eadem mensa pranderent, di-
 verso tamen humore affectæ erant;
 altera sedēdo delectabatur, alia stan-
 do & deambulādo, altera Christum
 sequebatur, & illi, ac ipsius pauperi-
 bus necessaria ministrabat. Nam
*pauperes semper habebitis vobiscum.
 Matt. 26.* Et si ita est, oportet vt ali-
 quæ personæ designentur, quæ il-
 lorum inopiæ & indigentia subue-
 niāt; Alia ad pedes Christi sedebat,
 quia iuxta nostri Saluatoris sacra-
 tissimos pedes, omnia peccata fue-
 rant illi remissa, diuinam quandā
 dulcedinem ibi degustabat, quā in
 aliis locis inuenire non poterat, &
 verba Dei auscultans, diuina my-
 steria contemplabatur, & ita cum
 sponsa dicebat, *Sub ymbra illius, quem
 desideraueram, sedis; & fructus illius
 dulcis gutturi meo. Cant. 2.* Altera
 infirmos curabat, dolentibus lectū
 sternebat, hospitalia visitabat, in
 culina cibum pro pauperibus præ-
 parabat; sciebat enim continuas in
 Ecclesia fundi preces pro his, qui
 similibus charitatis operibus insu-
 dant, vt insinuat Propheta David,
*Beatus qui intelligit super egenum &
 pauperem: in die mala liberabit eū Do-
 minus, Dominus cōseruet eū, & viuificet
 &c. Psal. 40.* Alia per templa & ora-
 toria Christum quærit cum sponsa
 dicens

dicens. Num quem diligit anima mea vidisti? Cant. 3. Altera censet nullam aliam prestantiorem vitam esse eam, quae in operibus misericordiae implendis occupatur; quia secundum sacrae scripturae praxin, misericordia & sanctitas idem sunt, & ita psalmo 144. Vbi dicitur. Sancti tui benedicant tibi, in alia S. Hierony. translatoe iuxta hebraeum originale sic legitur. Misericordes benedicant tibi. Idem ergo est in sacris litteris misericors & sanctus. Alia perfectionem vitae christianae in frequentatione sacramentorum, praecipue venerabilis & sacrosancti sacramenti Eucharistiae constituit, post cuius dignam receptionem, mens nostra ex diuinorum contemplatione in extasim rapitur, sicut alter Evangelista, qui in mensa Domini super illius pectus recubuit: altera contemplatiuis detrahit, existimans contemplatiuos vitam quasi otiosam degere. Dic ergo illi, vt me adiuuet. Alia verò vitam contemplatiuam selegit, quia actiua in externis occupatur, & consequenter mentem à diuinis aliquo modo auocat. Turbaris ergo plurima; porò vnū est necessarium; Deum videlicet ex toto corde diligere, & summum ac infinitum bonum contemplari. Haec sunt Marthae & Mariae exempla & exercitia, ad quae tota vitae christianae perfectio reuocatur. Intrauit Iesus in quoddam castellum. Castellum hoc erat in

Bethania, & ingressus fuit Iesus, verus Deus & homo, vt apud Martham & Mariam pranderet; Si ergo Deus, quomodo hominibus indiget, vt in eorum domo prandium sumat? Videtur hoc factum ipsi dictis contradicere. Si esuriero, non dicam tibi &c. Ps. 49. Hic summa humanitas & affabilitas nostri Saluatoris splendet, qui, cum Angelorum alimonia sit, nostro cibo & alimento indigere voluit. Propter nos egenus factus est cum eseret diues. 2. Cor. 8. Et quis eum hospitio excepit? Mulier quaedam. Felicitissima plane mulier, quae tanto hospite digna fuit. Quod nomen illius? Illustrissimum sanè; Martha nomine. Martha enim interpretatur Domina: Cum ea simul habitabat alia soror, nomine Maria, quae post conuersionem cum Martha morabatur. Quis utraque gessit post ingressum Christi in earum palatium? Martha ad culinam perperauit, vt cibum prepararet, Maria verò secus Christi pedes sedit, vt audiret verbum illius. Notatu dignissimum est, quod Evangelista Lucas tam ex professo, & quoad omnes ferme circumstantias ingressum Christi in castellum Marthae ita enucleatè enumeret, cum aliàs in aliis domibus, vbi invitatus fuit, multò maiora & mirabiliora opera fecerit, vt constat, quado à pharisaeo inuitatus fuit; in domo enim illius Magdalenam omni vitiorum genere infectam sanauit, & ad

le

se conuertit: in nuptiis etiam in Cana Galilae celebratis primum miraculum patrauit, ratione cuius plurimi in Christum crediderunt, & Apostoli in fide roborati fuere. Praeterea in domo alterius pharisaei hydropticum oblatum curauit; tandem à Mattheo telonario in uitalis, eum lucratus est, & in suum Euangelistam selegit. In Castello tamen Marthae & Mariae nec hydropticus, nec infirmus aliquis curandus inuenitur, neque mirandum aliquod & peregrinum opus effectum est. Quare ergo Sanctus Euangelista Lucas tam extensè & enucleatè praesentem historiam enarrat, cum alia mirabilia stylo breui tetigerit? Ex hoc apertè colligere possumus, in quanta estimatione ac ueneratione habuerit Deus suam sanctissimam matrem: Quia enim istae sanctissimae sorores eam effingere ac repraesentare debebant, uoluit Deus ut ita accuratè & ex professo illarum hospitalitas, officia & occupationes enumerarentur. Licet autè haeretici nostri temporis canino & vulpino dente hodiernum Euangelium arrodant, quasi extra praepositum allatum, decipiuntur tamen maxime: Quia, ut Sanctus Anselmus & Eusebius Emysenus in sermone huius festiuitatis notarunt, Ecclesia Catholica explicans in Martha & Maria uitam actiuam & contemplatiuam culmen & perfectionem, explicat etiam Mariae Sanctissimae Praeclarissima

merita, cum in ea uita actiua & contemplatiua in heroico gradu reperta fuerint, & consequenter excellentissima praemia, quibus hodierna assumptionis die decorata & illustrata fuit. Negari enim non potest, quia sacrae scripturae diuitiae ingentes sint, ita enim in suis sensibus, & sacramentis recoditissimis fecunda est, ut iuxta mentem S. Augustini Epist. 3. Non solum uerba sint oraculum Spiritus Sancti, in quo aeterna uita latet, sed etiam res ipsa per uerba significata, lineae & characteres, ac puncta, quibus in sua originali lingua notatur. Nam in diuinis literis non solum figurae & allusiones, sicut in humanis reperiuntur, sed etiam altissima mysteria, & maxima doctrinae & eruditionis annotationes. Ad cuius comprobationem praesens Martha & Mariae Euangelium nobis sufficiat, quod licet in litterae cortice & superficie tantum uideatur tangere ingressum Christi in castellum Bethaniae, & qualiter à Martha & Maria receptum fuerit, communiter tamen Sancti Patres Ecclesiae in sensu allegorico duplicem uiuendi modum, in quem sancta & Catholica Ecclesia diuisa est, nempe actiuam & contemplatiuam uitam intelligunt: In sensu uero anagogico Beatissimae uirginis merita & gloriam interpretantur. Aristoteles tractans de usu nominum, uocum ac terminorum ait. *Quia res ad Scholas adducere non possumus, utimur*

terminis pro rebus, vt per voces & terminos, qui res ipsas repræsentant, in notitiam earum deveniamus. Maiori certè claritate & proprietate nostram mentem explicaremus, si res ipsas adducere & ante oculos proponere possemus, quàm si verbis ostendamus. Si Hierosolymam alicui, qui nunquam in ea fuit, depingere vellemus, aut locum Caluarie, vbi nostram salutem operatus est, non tam bene vocibus, quàm re ipsâ ex sancto monte Sion, vel per actuale illius intuitionem manifestaremus, tunc verba superfluerent, si ista oculis cerneremus. In hoc homines ab Angelis quoad veram cognitionem superantur; Angeli enim ex rebus, quas penetrant & intuentur, cognitionem deducunt, homines vero eam per voces & scripturas hauriunt, quâ ratione volebat Paulus, vt illum scripturarû librum legeremus. *Inuisibilia Dei per ea que facta sunt, intellecta, conspiciuntur. Rom. 1. cap.* Vnde sapientes Ægyptii agnoscen-tes, res ipsas melius in se, quàm in nominibus penetrari, suos conceptus per figuras quasdam in pergameno aut pellibus depingebant, quas Hieroglyphica appellabât, vt sic verius & accuratiùs naturas rerum indicarent. Hinc causam intelligetis, charissimi auditores, propter quam nostra mater Ecclesia in hodierno Evangelio nihil de assum-

ptione Beatiss. Virginis verbis exprimat, sed solum duas sorores, tanquam Mariæ sanctiss. symbolum & hieroglyphicû ante oculos pponat, vt per eas in tantæ Reginæ & Principissæ notitiam deveniamus. Quemadmodum enim, vt Deus olim sui Filij præstantiam & excellentiam hominibus manifestaret, potiùs exemplis, quàm verbis vsus fuit, id enim in persona Davidis, Moysis, & Regis Ezechie demonstravit; Ita etiam nostra mater Ecclesia, vt nobis curam & sollicitudinem Mariæ sacratissimæ erga suum Filium explicaret, Martham proponit, vt eius diligentiam in obsequiis nostri Salvatoris perpendamus, cui omnia humanitatis & charitatis officia, quæ Christo exhibebât, præ amoris magnitudine parua videbantur; & vt contemplationem Matris Dei exponeret, qualiter ex sui charissimi Filii nutû & verbis penderet, Mariam Magdalenam ante oculos proponit, quæ in securitate & tranquillitate animi Mariam sanctissimam, tanquam viuum exemplar expressit. In superioribus retuli celebrem illum pictorem Ceucis nomine, vt pulcherrimam Iuponis imaginem depingeret, quinque totius Prouinciæ pulchriores virgines postulasse, vt ex vnaquaque id quod elegantius & melius erat, deduceret, & ita ex ista oculos, ex alia nasum, ex altera oris venustatem de-

su-

sumeret, vnde effectum est, vt perfectissimam lunonis imaginem depingeret: Itaque præstantissimus iste pictor sibi certò persuasit, in vna sola virgine non posse tot perfectiones reperiri, vt ex illa sola tam pulchram imaginem, sicut petebatur, deducere posset. Postea verò quinque illæ virgines ex tota provincia conquisitæ, celebres inter antiquos extiterunt, quia ad earum normam luno inter Deas celeberrima, depicta & efformata fuit: idè pictores, qui alicuius nominis erant, vnam vel alteram earum depingebant, vt latius suum nomen propagarent. Idem præstat hodiè nostra mater Ecclesia, vt Beatissimæ virginis virtutes & excellentias accuratiùs depingat, has enim forores ante mentis nostræ oculos proponit, vt pereas aliquid investigemus ex his, quæ in Maria sanctissima coaceruatim inueniuntur. Non quidem, quia Martha & Maria sufficient ad magnitudinem illius demonstrandam, sed quia ad vitam Marthæ & Mariæ omnia reducuntur, omnes enim status Ecclesiæ ad defatigationem & sollicitudinem Marthæ, & ad quietem ac tranquillitatem Mariæ reuocantur: idè nullus Sanctus in Ecclesia reperitur, qui non in se aut Martham & Mariam depinxerit, quia ex illis pulcherrima Beatissimæ virginis imago deducta & efformata est. Quare

vt nos etiam ex eis vitæ christianæ perfectionem depromamus, quid inter eas & christum actum sit, breuibus aperiemus. *Mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam.* Licet illa posteriora verba. *Excepit illum in domum suam,* non videantur peculiarem aliquam significationem continere, maximum tamen mysterium comprehendunt. Sunt enim aliqui, qui pauperes non in propriam, sed in alienam domum recipiunt, & eleemosynam pro illis sollicitant, ne ipsi ex propria substantia subueniant, & quod grauius est, ac inter nobiles comuniter practicatum, pro famulis etiam indignis, quod sine animi dolore dici nequit, ecclesiastica beneficia procurant. Isti, pauperes quidem recipiunt, verù non in propriam, sed in alienam domum: Martha verò, quia in propriam domum pauperes admittebat, & ex propria substantia eis necessaria ministrabat, digna fuit, vt ipsum Deum hospitio exciperet. Et si in Martha talia virtutum pignora inuenta fuerunt, vt nostro Saluatori externum hospitium exhiberet, qualia in Maria Sanctissima inueniuntur, vt Christum intra sua viscera recipiat? Cùm eam alta mente cõsidero, statim illa, quæ Sapientissimus Rex Salomon tantâ curâ & diligentia quæruit, in memoriam occurrit. *Mulierem fortem quis inueniet? Proverb. 31. Debiles & infir-*

infirmas passim inuenies, fortes tamen & constantes rarissimæ sunt; hodiè tamen fortem femina[m] Salomoni præsentare possumus, Beatissimam scilicet Mariam; Ex femineo sexu tantùm figuram, pulchritudinem & venustatem acquisiuit, in alijs verò, quæ ad muliebrem leuitatem & inconstantiam spectant, alià longe diuersà cõpositione dotata fuit, mulieris quidè naturã participauit, quia si mulier non esset, filium habere non possèt, talis tamen extitit, vt potius Angelus in carne, quàm mulier appareret. Prima femina cum peccauit, diuersis maledictionibus in penam patrati sceleris affecta fuit, ab omnib. verò his libera extitit Beatiss. Virgo, quo priuilegio nõ gaudèt cætera femine; Quidquid enim à Deo Beatissimæ Mariæ collatum, liberali manu & sine pensione cõcessum fuit, alijs verò etiam si sanctissimæ fuerunt, cum tributo & pensione donatum est. Peperit quidem Sara, sed priùs octuaginta annorum spatio sterilis fuit: maritata fuit Elisabeth, ante partum tamen Baptista, communem illorum temporum infamiam perpessa est. Peperit filium pulcherrima Rachel, sed ex partu obiit; præterea multæ feminae virginitatem seruant, non tamen maternitate honorantur; matres etiam reperiuntur, non tamen virginitatis lilio decoratæ: At Sanctiss. Mariæ hæc omnia sine ulla

pensione tanquam personæ regis conceduntur. Cum Regesalicui ex regia stirpe descendenti Episcopatum conferunt, sine pensione largiuntur, alijs verò cum pensione dignitatem concedunt: Cæteri ergo ex Adæ semine descendentes, donis nature cum pensione culpæ intra veterum dotantur, & si donis gratiæ, hæc tamen pensione, vt possint ea amittere, sed Mariæ sanctissimæ relata omnia sine pensione donantur. Tandem alijs sanctis in præmium suorum operum confertur gloria, nõ tamen integrè, sed solum animæ, corpus verò corruptioni & vermibus deputatur: At Beatissima Virgo tanquam persona regia sine tributo & pensione gloriam animæ, & simul gloriam corporis adipiscitur; licet enim mulier esset, Christum tamen suis visceribus hospitio excepit, & proprio sanguine nutriuit & sustentauit, idè peculiaribus priuilegijs exornanda erat, & præcipuè vt in corpore & anima ad cælestia regna euolaret. Ad cuius accuratam comprobationem perpendenda sunt illa mysteriosa verba Evangelistæ Ioannis cap. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et addit Apostolus Paulus. *Si autem filij, & hæredes; Rom. 8.* Cum ergo Beatissima Virgo non solum in anima, sed etiam in corpore Christum receperit, iustum est, vt corpore

pote simul & anima aeternâ hereditate perfruatur; quod optima ratione confirmari potest. Deus enim semper in suis sanctis dignitates & gratias illis liberaliter collatas conferuat, auget & tuetur, neq; sine culpa ipsorū aufert, quem agendi morem ppetuū obseruauit, & ita gratiâ baptismalem, quâ Christiani in baptismo filii Dei adoptiui fiunt, semper quantum est ex parte sua fouet & conseruat, nisi pe eos steterit. Deus ergo Christo nostro Saluatori, & eius Sanctissimæ matri titulum magnæ gloriæ & dignitatis contulit, Christo titulum Filii Sanctissimæ Virginis, Mariæ verò sacratissimæ gloriosum Matris Dei titulum, & consequenter totius vniuersi & cœlorū Reginæ nomē cōcessit. Certō etiam agnoscimus, & ex fide constat, nunquam Christum aut Beatissimam Virginem peccatum aliquod commisisse, ratione cuius suis titulis & dignitatib⁹ priuari possent; ergo Christus simul cum Maria Sacratissima in corpore & anima aeternis gaudiis perfruuntur. Si enim sola anima Beatissimæ Virginis ad cœlos conscendisset, sine culpa Virgo Sanctissima supremâ Matris Dei dignitatem & titulū amitteret, quia anima nō potest esse, neque dici Mater Dei; & si hanc excellentem dignitatem perdidisset, nequē Christus posset dici Filius illius, cum filiatio propter mutuum cor-

relationem à maternitate dependeat, & cōtra? Nē igitur Filius aeterni Patris titulo Filii Mariæ Sanctissimæ priuetur, & orphanus sine matre maneat, & ipsa sine culpa tantam dignitatem amittat, necessariū est, vt in corpore simul & anima ad celestia regna, super omnes choros Angelorum eleuetur; Iustum enim est & rationi consonum, vt quæ Marthæ officio in præsentī sæculo diligentissimè fungens, Christum in anima & corpore receperat, in futuro in eodem corpore & anima Deo perfruatur. *Et huic erat soror nomine Maria.* Mulier ista Martha nūcupata, aliam sororē secū habebat, Mariā nomine, & hanc domum, vbi istæ sorores simul habitabant, Christus Redemptor noster ingressus est, quia pacis & fraternæ charitatis amicus est; idē Apostolus Paulus vocat Christum *Deum pacis & dilectionis amatorem*, 2. Cor. 13. Imō peculiari titulo sic in sacris literis inscribitur, *Princeps pacis*, Esa. 9. In cui⁹ significationem, cū discipulos ad se vocauit, vt sequerentur, primō Petrum & Andream, qui fratres erant, ad se vocauit, postea verò Ioannem & Didacum, qui etiam fratres erant; deinde cū eos ad prædicandum Euangeliū misit, binos & binos ante faciem suam dimisit: Et si Christus in suo Euangelio promittit, quodd velit nos inuisere, & aliquamdiu nobiscum cōmorari, hæc condi-

LI

tionē

tionem fidem præstat, si simul inter nos corpore & animo cõsequeamur. *Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. 18. cap.* O fraternæ charitatis amor quàm efficax es! Deum enim ad nos ducis, & nostri cordis & animæ ianuas aperis, vt nobiscum libenter commoretur, nõ forsitã ad aliud hospitium diuertat. Iste duæ sorores tenerrimo amore se ipsas diligebant, ided Deus inter illas tam fraternè conuiuens commoratus est. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundũ habitare fratres in vnum. Psal. 132.* Martha Christo ministrabat, & Maria contemplabatur; Martha lites amore diuino inflammata, contra suam sororem excitauit, sed Christus Saluator noster talẽ sententiam tulit, vt sanctæ sorores æterno amoris vinculo & indissolubili nodo colligatæ fuerint. Ex prædictis sororibus deducere ac depingere poterimus, qualiter inter se convixerint duæ alię Mariæ Sanctissimæ sorores, anima videlicet & corpus, vtrum se fraternè dilexerint. Et planè existimandum est summo amore vnitas fuisse: Nam præter animam & corpus Christi Domini, nullæ alię cõpartes tanto fædere connexæ fuerunt, in alijs hominibus perpetuæ lites inter animam & corpus singulis momentis excitantur, ided dixit Paulus. *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum.*

Rom. 7. Sæpius enim animus nocte orationibus incumbere desiderat, corpus verò repugnat, nam vellet somno & quieti membra componere; anima ieiunium appetit, sed corpus cibum exposcit, semper sibi contradicunt, nulla est inter nostrã animam & corpus pax aut confraternitas: At in Maria Sacratissima illius anima & corpus sincero & fraterno amore cõvixerunt. In templo, quod à sapientissimo Salomone Rege pacifico ædificatum est, nullus litrepitus, nec ictus mallei vel alterius instrumenti auditus fuit; maiori quidem pace & tranquillitate hoc secundum verũ Salomonis templum constructũ est, cùm in illo nulla vnquã concertatio, clamor aut discordia, inter animã & corp^o cognita fuerit. Quid anima Marię sacratissimæ appetit? appetitne humilitatem? Eandẽ etiam corp^o amplectitur. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbũ tuum. Luc. 1.* Quid animus desiderat? desideratne virginitatem? eandem etiam corpus sequitur; in omnib, quæ animę placebant, corpus libenter obtemperabat. O pacem & confraternitatẽ inauditã! omnia in Maria sanctissima tantã pace & vnione connexa sunt, vt illa etiam, quæ inter se dissidebant & repugnabant, in ea amicabiliter cõuenerint. Maternitas & integritas, mors sine pæna, sepultura sine corruptiõe nunquã inter se conuixerunt, in Be-

tissima,

tilissima tamen Virgine magna pace
& concordia colligata sunt. *Martha*
autem satagebat. Optimū sanè Mar-
thæ exercitium, quia semper pau-
peribus, & in ipsis Christo ministra-
bat, quod, vt diligentius præstaret,
Satagebat, id est, omni curâ & sollici-
tudine pauperibus, & Christo inser-
uiebat, sciebat enim celerem & di-
ligentem ministrum Deo placere,
tardum verò & desidem magnoperè
displicere. Maledictus qui opus Dei fa-
cit fraudulenter. Ier. 48. Sunt aliqui,
qui sic opera virtutū exercent, ut ex
eorum operibus vix eos à paganis
discernere possimus. *Vtinam frigidus*
esses, aut calidus. Apoc. 3. Sed redea-
mus iam ad imaginem, quā in præ-
senti concione depingimus. Quis
Beatissimā Virgine in his, quæ diui-
num honorem & seruitium specta-
bant, diligentior totam illius vitā
evoluit, charissimi filii, & nihil
aliud in ea inuenietis, quàm crebra
& continua obsequia Christo no-
stro Saluatori exhibita: in infātia eū
proprio lacte nutriuit, in adoleſcen-
tia, proprio manuum labore susten-
tauit, & semper quocunque perge-
ret, comitata est, & omnibus officii-
is famulabatur. Si ergo Maria sacra-
tissima corpore simul & animā Deo
fideliter inseruiuit, æquum est, vt
in vtraque compare gloriam obti-
neat. Sancti in hac vita etiam sex-
imiis virtutibus præfulgeant, nun-
quam tamen ex integro Deo inser-

uiunt, cum sapius venialiter saltem
deficiant: At Beatissima Virgo non
diuisim, sed integrè & ex omni par-
te, absque vlla alicuius culpæ la-
becula suo conditori fidelissimi-
mo famulatu obsequuta est, ided
hodiernā assumptionis die comple-
tè & integrè in corpore & anima æ-
terna præmia, & immensam gloriā
adipiscitur, ad quam nos perducit
Iesus Christus Dominus noster.
Amen



BREVES DIS-
cursus circa Euan-
gelium.



Ntrauit Iesus in quod-
dam castellum. *Luc. 10. cap.* Per Martham
& Mariam, quæ simul
in hoc castello habita-
bant, omnes Doctores vitam acti-
uam & contemplatiuam interpre-
tantur, quæ simul coniunctæ esse
debent, vt in scala, quam vidit Ia-
cobs, demonstratum est; quia per il-
lam ascendebant Angeli & descen-
debant: non omnes ascendebant,
neque omnes descendebant, alii
cælum, alii verò terram attinge-
bant, oportet enim animo contem-
plari,

plari, & corpore laborare, vt mysteriosè insinuat sponsa, *Ego dormio, & cor meum vigilat. Cant. 5.* Filii Israel, vt dicitur *Esdra 2. cap. 4.* dextrâ ædificabant, & sinistrâ arma tenebant, vtraque manu utebantur. Christus etiam Saluator noster aliquando montes ascēdebat, vt oraret, aliquādo verò descendebat, vt infirmos curaret. *In quoddam castellum.* Castellum hoc ad Martham & Mariam spectabat, in Evangelio tamen solū fit mentio Marthæ quoad castelli dominium. *Et mulier quādā Martha nomine, excepit illum in domum suam.* In quo mysterium hoc aperitur, impossibile enim est in domum Mariæ intrare, quin prius in domum Marthæ ingrediamur, vt *Gen. 10.* in figura Liæ & Rachel insinuat. Vt enim diuinitatis pulchritudine, quæ in Rachel representatur, perfruamur, necessarium est, vt prius Liā amplectamur, in qua Christi humanitas laboribus & passione defædatâ exprimitur. *Excepit illū in domum suam.* Martha pro Christo cibū præparat, & Christus pro Maria: Vbi Sanctus Augustinus monet, quòd si velimus, vt Christus pro nostra anima, quæ Maria est, cibos condiat, oportet vt primò corpus, in Martha representatum, pro Deo cibos præparet. Romani duo templa magnificentissimè extruxerunt, vnum Honori, & alterum Virtuti

dicarūt, hac tamen conditione edificarūt, vt nullus templum Honoris intraret, nisi prius Virtutis templum ingrederetur, qui ergò contemplari vult, prius actionis templum perlustrare debet. *Excepit illum in domum suam.* Non indigebat Christus hospitio Marthæ, posset enim Angelorum ministerio cibum habere, vult tamen vt Martha ei cibum pareret, potiùs propter Marthæ bonum, quàm vt propriæ necessitati subueniat. Maius sanè bonum Deus vobis confert, cūm pauperem ad vestram domum reinitit, quàm vos pauperi, etiam si pingue eleemosynam conferatis; quia Deus sine vobis pauperem sustentare posset, ad vestras tamen fores remittit, vt vobis pro tenui eleemosyna immensa bona largiatur. Deus Eliam ad domum viduæ remisit, propter bonum planè illius, cūm eam sustentauerit, idè Abraham tam hilari ac læto vultu hospites recipiebat, & Zachæus etiam Christū Redemptorem nostrum. Quam sollicita fuit Martha in obsequiis nostri Saluatoris, cūm nec propriis ancillis fidat, sed suis manibus cibum condiat: Eadè sollicitudine Abraham ad gregem properauit, vt festim pro Angelis conuiuū præpararet. *Et huic erat soror nomine Maria, qua sedens secus pedes Domini &c.* Qui diuinis contemplationibus

bus vacant, mundum spernunt, & ad pedes Domini sedent, quod in rebus diuinis maximam firmitatem & stabilitatem indicat. Quando Iacob per totam noctem cum Angelo colluctauit, post obtentam victoriam, & diuinorum contemplationem; *Vidi Deum facie ad faciem. Gen. 32. Cap.* altero claudicauit pede. Quod mysterium explicans Sanctus Gregorius Homilia. 14. super Ezechielem, sic dicit, reddens rationem, quare Iacob non in ipsa lucta & brachiorum concertatione, sed postea altero claudicasset pede. *Quia scilicet omnipotens Deus, cum iam per intellectum & desiderium agnosceretur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit, & qui prius duobus pedibus innitentes, & Deum videbantur querere, & saculum tenere, post agnitionem suauitatis Dei, vnus in nobis pes sanctus remanet, & alter claudicat, omnis enim qui vno pede claudicat, soli illi pedi innititur, quem sanum habet &c.* Idem Maria ad pedes Domini sedens, & ibi diuinis contemplationibus inharens, omnem externam & domesticam sollicitudinem suæ sorori reliquit. *Sedens secus pedes Domini.* Miranda sanè Mariæ Magdalenæ humilitas, quæ etiam in propria domo ad pedes Christi nostri Redemptoris sedet, in domo etiam Pharisæi se ad illius pedes prostrauit. Si in domo

propria ita humilis extitit, quam quæso in domo Dei humilitatem seruauit? Ipsa ad pedes Christi sedit, Christus verò in humilitatis præmium caput obtulit, vt pretioso vnguento vngeret, vt refertur Mathæi. 16. Cap. Idem cum Ioanne cõtigit, cum præ humilitate diceret. *Non sum dignus, vt soluam eius corrigiã calceamenti, cap. 1.* Ipse Christi pedes elegit, sed Christus Saluator noster ei caput baptizandum præbuit. Publicanus à longè stabat, nec oculos ad cælum eleuare audebat, Deus tamen eum super altare constituit: sic etiam Christus præ humilitate se Filium hominis appellabat, Pater tamen Diuinus eum Filium suum nuncupauit ac proclamauit. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Matth. 3.* Talia sunt humilitatis præmia. *Sedens secus pedes Domini.* Magnam reuerentiam exhibuit Deo Maria Magdalena, etiam in propria domo, multò igitur maior exhibenda erit in templo, quod in propriam Dei domum & habitationem extruitur. *Solue calceamentum de pedibus tuis. Leuit. 3.* Hoc præcepit Dominus Moyh, quando secum loqui vellet, nè calceatus secum conuersari auderet: omni enim, etiam leui cogitatione denudati, cum Deo colloqui tenemur, & si à cogitationibus abstinendum est, quantò ma-

gis à verbis? Sunt aliqui, qui in templo sua negotia pertractant, aliorum vitam & mores evoluunt, isti tanquam violatores templi ex ipso relegandi & rejiciendi sunt. Veteres, ut suo regi loquerentur, in signum venerationis ac reuerentiae calceos detrahebant, nè forsitán cum pulveribus, qui eis adherere solent, coram rege comparerent, & consequenter cum aliqua indecentia, quæ eius oculos offendere posset, quem morem etiam Iudæi & Sarraceni obseruârunt. Si tantâ reuerentiâ terreno regi, & ab infidelibus exhibetur, quantò maior Regi Regum & Domino Dominantium exhiberi debet? Cùm Deusex rubo loqueretur Moysi, nec calceos quidem ipsi permittit, quomodo ergò in sua propria habitatione & domo invidos, ambitiosos, immundos & insolentes feret? Sedens secus pedes Domini. Ut Christo & eius doctrinâ fruatur, sui ipsius obliuiscitur. Sed non mirandum est, cùm etiam Samaritana, ut conuersatione Christi frueretur, hydriam cû aqua, vitam & propriam delectationem omiserit; magna præstât, qui spiritualibus exercitiis dediti sunt; aliquândo enim in diuinis occupati, se ipsos negligunt, neque sui recordantur; Sed multò maiora hodiè efficit Maria, quia coram Deo, ipsius Dei obliuiscitur, cùm cibum illi esurienti non procuret, ut verba sa-

lutis excipiat, & idem egit Samaritana, quæ Christo sitienti aquam non porrexit, ut verborum dulcedine & suauitate potiretur. Hoc maximè Mariæ officium & illius contemplationem extollit. Sedens secus pedes Domini. His verbis insinuat modus, quo Apostoli in discipulos Christi instituebantur, sedens secus pedes Domini, idem enim est ad pedes Domini sedere, atque in Christi discipulum institui, sic dicitur in sacris litteris de Paulo, cùm ad Apostolatam vocatus fuit, quòd sedit ad pedes Gamalielis. Actorū 22. Et idem dicitur in Evangelio de Maria Magdalena, quæ fuit Apostolorum Apostola. Sedens secus pedes Domini. Itaque iuxta phrasin sacræ scripturæ, idem est ad pedes Domini sedere, atque Christi discipulum fieri. Vnde deducitur humilitas, quæ verbum Dei auscultandum est; sedens secus pedes Domini, in humili loco sedendū est, quod ad litteram insinuauit Iacob⁹ Apostolus. In mansuetudine suscipite verbum Dei. Cap. 1. id est, in humilitate; mansuetudo enim in sacris litteris pro humilitate vsurpatur. Ad cuius ponderationem notandus est locus ille Isaiæ 28. Cap. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ab lactatos a lacte, avulsos ab vberibus. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi. In loque-

loquela enim labii, & lingua altera lo-
quetur ad populum istum. &c. Vbi E-
vangelicus Propheta insinuat, ne-
cessarium nobis esse ad caelestem
doctrinam cum fructu capiendam,
vt infantes simus, non quidem
aetate, sed mansuetudine & humili-
tate, ita vt more infantium verba
à magistro & concionatore excepta,
sæpius repetamus ac ruminemur:
Si de morte aut iudicio extremo præ-
dicant, ista attentis auribus auscul-
tanda, & altâ cogitatione crebrò
meditanda ac repetenda sunt. Man-
da remanda, expecta reexpecta. Sacer-
dotes illi^o temporis in superbiâ e-
lati, hæc spernebant, quæ à Pro-
pheta dicebantur, existimantes se
tanquam legis doctores ab aliis in-
strui non debere, ideo dixit de illis
Sanctus Propheta. Cadent & con-
terentur. *Esaiæ. 8.* sicut postea experi-
entiâ comprobatum fuit. Magnâ san-
nè humilitate & reuerentiâ Beatiss.
Virgo verbum Dei audiebat, vt cõ-
stat in salutatione, quâ eam Ar-
changelus Gabriel salutavit, statim
enim atque salutationem Angeli
percepit, se ancillâ Domini confes-
sa est. *Ecce ancilla Domini. & Luc. 1.*
ided æternum Verbum concipere
meruit. Notanda sunt illa verba Di-
vi Pauli 1. Corinth. 1. *Non in sapien-
tia verbi; vt non evacuetur crux Chri-
sti. Placuit Deo per stultitiam prædica-
tionis saluos facere credentes. Vult
Deus auditores ita humiles, vt eti-*

amfiuxta prudentiam carnis eis
stulta prædicetur, nempe crux Chri-
sti, passio, opprobria & continui
labores, existimant in his imensum
diuinæ sapientiæ thesaurum conti-
neri. *Quod stultum est Dei, sapientius
est hominibus.* Quod si ita fiat, fru-
ctum prædicationis & efficaciam
diuini verbi experiemur. *Audiebat
verbum illius,* etiam Martha recla-
mante, nihil sensit nec dixit Mag-
dalena, quia ad Christi pedes se-
dens, audiebat verbum illius; vbi ef-
ficacia verbi diuini ad mundana
contemnenda elucet & splendet.
*Vultis, charissimi filij, nihil ex his,
quæ mundus aut mundani proferunt,
perferre? Ad pedes ergò nostri sal-
uatoris prostrati, illius verba attentè
perpendatis, ibi modestiam & silen-
tium, & huius sæculi contemptum
addiscetis, vt in Maria sore
Marthæ apertè constat, quæ ad vocem
increpantium dormiebat, nec Pha-
risæos, nec Apostolos, aut propriam
sororem audiuit, nec se ipsam, aut
alium, verbis diuinis intenta, cura-
uit. Cùm tertio gallus cantauit,
Petrus à peccati somno excitatus
fuit, & Christi sui Redemptoris re-
cordatus, lachrymis ac dolore patra-
tum scelus deleuit. Sapius prædica-
tores, per gallum representati, suis
vocibus peccatores ad seriam pœni-
tentiam excitant, ex corde lachry-
mas exprimunt, & culpas & errata
in memoriâ revocant, *Ecclel. 22.**

Mane

Manè semina sementium, & vesperè non cesser manus tua. Magna sanè efficacia verbi diuini à materiali semine longè diuersa, manè enim feminatur, & vesperi fructum facit. 2. Regum 1. Sagitta Ionathæ nunquam abiit retrorsum, & gladius Saul nō est reversus inanis. Brachium Ionathæ ita validum & in emittendo sagittam exercitatum erat, vt nunquam à desiderato scopo errauerit, & gladius Saul aded in percutiendo strenuus accertus, vt nunquam inuanum euaginatū fuerit, sed maior est diuini verbi præstantia & vis, quæ nullo unquam tempore deficere potest. Quomodo descendit imber, & nix de cælo & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram & germinare eam facit, sic erit verbum meum, &c. Esaiæ 55. Vbi diuini verbi vis & efficacia manifestè aperitur. Audiebat verbum illius. Audiens magdalena sermonem Christi, nec alia audit, nec aliis respondet, omnia patienter suffert. Nostræ igitur orationes, frequentes communiones, aut sermones, nisi humiles & patientes sint, verū non cōtinēt, hæc est nostrorum operū probatio, patientia scilicet & humilitas. Nam si in superbiam erigamur, aut passionibus nostris deuicti succumbamus, apertum indicium est, exercitia nostra non vera, sed conficta esse. Vxor iunioris Thobiz, quia veris virtutibus eminebat, etiamsi à

sua ancilla vexata & despecta fuerit, non ideo ignominiz sibi illatz vindictam accepit, sed ad superiora conscendens se orationibus continuis dedit, patientia enim valorem & præstantiam orationis & aliorum operum demonstrat. Audiebat verbum illius. Hic elucet & splendet ingenium Christi & illius artificium in alliciendis ad se peccatoribus; cum enim eos ad se conuerterit, eisdem deliciis recreat & delectat, quibus antea in sæculo detinebantur, bona tamen mundana, quibus inherabant, in diuina commutat, quâ ratione eos à terrenis auocat, vt ad superna aspirent. Et ita auaros, qui terrena bona appetunt, ad celestes thesauros possidēdos inuitat, & samaritanæ, vt aquæ propriæ sensualitatis obliuiscatur, cœlestem aquam promittit. Filios etiam Israël ex Egypti deliciis, quibus sepulti erant, eduxit, eis fertilissimam terram promittens; & hodiè Magdalenam conuersationi mundanæ, ac deliciis sæculi deditam, diuinis colloquiis & mirabili suauitate recreat & delectat. Dic ergo illi, vt me adiuuet. Maximè execranda, imò & fugienda est murmuratio, præcipue de illis, qui iusti sunt, qui enim de iusto murmurat, suo etiam auctori detrahit, vt constat ex Exodo, cum de Moyse & Aaron orta fuit murmuratio. tunc dixit Moyse. Nos enim quid sumus, nec contra

nos est murmur vestrum, sed contra Do-
minū. 16. cap. Et planè qui murmu-
ratores sunt, sicut Ægyptii peribunt,
qui filios Israël cælesti lucè comi-
tatos, insequi volentes, spumantis
maris vndis sepulti fuerunt, idè in
murmuratores hâc grauissimâ sen-
tentiam Christus protulit. Hoc pecca-
tū nō dimitteretur neq; in hoc sæculo neq;
in futuro. Matth. 12. Sūt aliqui, qui iu-
sticiam & virtutē promovere tenen-
tur, sapiūs tamen incrementa & pro-
gressum virtutis retardant, sicut illi
qui increpabant cæcum, ne clama-
ret, cū aliàs ex officio miraculum
evulgare tenerentur: Sic Martha &
discipuli impediunt, nè Maria vn-
guentum super pedes Christi effun-
dat, sicut illi, qui custodiebant mu-
tos civitatis in sponfam incidentes,
quæ diligenter suum sponsum qua-
rebat, non solū eā vestibus spoli-
ârunt, sed etiã vulnerib. affecerunt.
Nullo vnquam tempore murmurato-
res aut persecutores iustis de-
fuerunt, nec deerit Phariseus, qui de
Christo & Magdalene conuersione
sinistrè sentiat. Paulus in mari variis
tempestatibus agitatus fuit, & in
terra à vipera percūssus; & sanctus
Ioseph à propriis fratrib. prodit⁹ fu-
it. Periculis in solitudine, periculis in
terra, periculis in falsis fratrib. 2.
Corinth. 11. Cap. Iacob & Esau etiã
in vtero adinvicem concertârunt,
is, qui secundum carnem natus erat,
persequabatur eum, qui secundum

Spiritum, vt animaduertit Apostolus
Paulus. Præcursor Baptista summâ
vitæ austeritate munus suæ predica-
tionis & legatiōis exercuit, Matth.
1. Neque manducans, neque bibens,
& de illo dixerunt, dæmonium ha-
bes: Christus verò cum hominibus
comedit & bibit, & de illo etiam di-
xerunt pharisæi quòd dæmoniu ha-
beat, iustus semper à susurrionibus,
siue comedat, siue abstineat, canino
dente vexatur. Beati estis cum maledi-
xerint vobis. Matth. 5. Idèd Christus
Redemptor noster in hoc beatitu-
dinem cōstituit, sciebat enim quãta
& quàm graua incommoda iusti à
maledicentibus passuri erāt. Sapi au-
res tuas spinis, & linguam nequam no-
li audire. Eccles. 28. & proverb. 13. Qui
detrabit alicui rei, ipse se in futurum
obligat. Ac si apertius diceret Salo-
mon: Qui aliquid reprehendit, obli-
gatus & astrictus manet, nè ea quæ
reprehendit, opere exequatur; quare
qui de bonis operibus murmurat,
constrictus manet, vt mala opere-
tur. Magna sanè Dei misericordia
est à susurrionibus vexari, cū con-
trarium maledictio sit. Luc. 6. Vt cū
benedixerint vobis homines, Quia ita
peruersi & deprauati sunt homines,
vt si aliquem laudent, potius laudi-
bus deturpent, quàm decorent: si e-
nim mali de nobis bona proferant,
signum est quòd mali sumus, & si
mala proferunt, nostram iusticiam
manifestè prædicant. Quia verò de

M m

mundo

mundo nō estis, propterea odit vos mundus. *Ioā. 15.* Optimè ergò tacēdo se ipsam defendit Maria Mag. suam causam Deo comittens. *Mihi vindictam, & ego retribuā. Heb. 10.* Deus enim iustorū causā efficaciter agit, vt indicāt illa Dauidis verba. *Fortitudinē meam ad te custodiam. Psalmo. 58.* Cū ipse Saul iniuriā sancti Prophetæ etiam in seipso vindicauerit, & Christus, cū pharisæi illi iniurias inferebāt, Deo vindictam referuabat. *Est qui quarat & iudicet. Ioann. 8.* Quia Deus omnium acerrimus vindex est, vt in ægyptiis demonstravit, qui clamantibus ad Deum Filiis Israel, Pharaonis currus & equos proiecit in mare; murmuratio etiam Mariæ sororis Moysis, etiam ipso tacente leprā vindicata est. *Dic ergò illi vt me adiuuet.* Proprium est eorum, qui de mundanis tractant, de ecclesiasticis tanquam de otiosis personis conqueri ac murmurare; existimant enim eos vitam tranquillam & pacatam sine vlla cura & sollicitudine degere: Et ita est, si de cura & sollicitudine seculari sermo sit; sed hæc animi & spiritus tranquillitas reprehensione digna non est, vt potè à Christo recepta, & cōfirmata in Maria. *Optimam partem elegit. Luca. 10.* Sed si vobis status iste quietior & pacatior videtur, quare illum non eligitis? Quis impedit nē ad Christi pedes sedeatis? *Dic ergò illi vt me adiuuet.* Iste duc sorores, licet sanctæ essent, & ambę Christum hila-

riter receperunt, in seruitio tamen Dei diuersa sentiebant. Nullus est status aut respublica in vniuerso constituta, vbi non sint lites aut contradictiones, vt vnus primatum teneat. Esau contra Iacob, Moyses & Ieremias prædicationis officium recusarunt, Iacob & Angelus totā nocte decertarunt. Inter Matrem & Filium, etiam si sanctitate præmineant, diuersa iudicia, & sententiæ intercedere solent; Beatissima Virgo & Christus aliquando diuersa senserunt: Nam Maria sanctissima, Ioannis 2. vinum adduci voluit, antequam defectus aliquis in conuiuio notaretur, Christus verò voluit, vt deficeret propter miraculum, quo diuina potentia manifestaretur: Et si inter Christum & eimatrē diuersa sententiæ extiterē, mirandum non est, si Petrus, Paulus & Barnabas diuersa aliquando senserint. Licet ergò dissensiones & diuersitas iudiciorum in Ecclesia oriantur, quarēdi tamen sunt, qui lites dirimant, & pacem componant, vt inter Martham & Mariam contigit, quæ sententiæ & iudicio Christi steterunt: Et ita in Ecclesia Petrus à Deo tanquam illius caput destinatus est, vt in dubiis sententiā ferat, aliàs vnusquisq; proprio cerebro adhereret, & consequenter Deus non sufficienter suæ Ecclesie prouidisset. In eadem etiam Christi persona diuersa iudicia in ordine ad passionem & mortem extiterunt, vt

constat Matth. 26. Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Et postea. Fiat voluntas tua. vbi appetitus sensitivus aliud à diuina voluntate censebat: In Angelis etiam beatis, vt patet Danielis. 10. fuit diuersitas sententiarum. Quid ergo mirum si inter duas sorores, etiam si sanctæ sint, lites & concertationes oriantur? Illa tamen domus maximè dolèda est, vbi lites & diuersæ sententiæ versantur, nec Deus in medio adest, vt illas componat. In arca Noë tot animalia conseruari non possent, si vnum quodque suas proprietates & affectiones exercere & tueri vellet: Sic similiter, si religiosi & sæculares sua capita & iudicia sectarètur, nec diuino Marte ducerentur, non in Dei, sed confusionis arca & dæmonis habitarent. *Martha Martha sollicita es.* Nō dicit ei Christus, vt Marthæ officium relinquat, & Mariæ munus gerat, solùm nimiam in temporalibus sollicitudinem & curam reprehendit, vt Paulus etiã sapiùs insinuauit. Licet enim vellet, vt omnes diuinis contemplationibus intenti essent, sed nō omnes pro tanto munere apti sunt, nec æqualem vocationem habent; Alii pro religiosa vita, alii pro sæculari accommodati sunt. Inter Angelos non omnes ad eandem Hierarchiam spectant, nec iisdem muneribus dotati sunt: Et in illa Ezechielis mysteriosa visione, quæ erat Evangelistarum Hiero-

glyphicum, non omnia animalia, quæ cultum versus fundamentum trahebant, eadem facie decorata erant, leonis enim & bovis, hominis & aquilæ effigiem referebant. *Martha Martha sollicita es.* Si Marthā in reb⁹ terrenis sanctè occupatā ita reprehendit Christus, quid de Maria diceret, si de negotijs sæcularibus sollicitam videret? Quid de illis religiosis sentiet, si forsitan aliqui reperiuntur, qui Mariæ munus profitentes, solis labiis Deo appropinquant, corde tamen ab eo longissimè distant, corpore inclusi sunt, animo tamen vbique diuagantur? Maximo animi dolore & compassione Sanctus Patriarcha Iacob tunicam sui filii Ioseph sanguine conspersam attentè cōspexit, sic dicens. *Fera pessima devorauit filiū meū Ioseph Gen. 37.* Maiori sanè animi dolore religiosi prophanam vitā ducētes deplorandi sunt. *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph;* Ex religioso enim statu, non aliud quàm habitum sanguine prophanatum ac cruentatum referunt. *Vox quidem vox Iacob est, Sed manus, manus sunt Esau. Gen. 27.* Habitus quidē sanctus est, manus tamen ambitionem & vanitatem sæculi prædicant. *Optimam partem elegit sibi Maria.* Officium Mariæ spirituale est, & propriè ad religiosos spectat, qui ex diluuii inundantibus aquis, ad tutam religionis arcam confugiunt,

columbam imitantes, quæ siccam terram non inueniens, vbi tutò pedem figeret, iterum ad arcã reuersa est, vt in tutiori loco seruaretur. Religio nauis quædam est, quam qui conscendunt, prandentes & bibentes ad desideratum portum perueniunt, si se à nauclero, prælato scilicet suo duci sinant, & nõ propriã voluntate serantur. Mariam, siue religiosam vitam rectè indicat illud factum filij Liæ, cum mandragoras, seu lilia inuenit, quorum odorem cum percepisset pulcherrima Rachel, conuersationem & delectationem, quam cum viro habere posset, omisit, vt liliorum odore frueretur. Quid ergò mirandum est, si monasteria religionis viris, & Sanctis virginibus repleantur, quæ Rachel imitantes, delicias carnis pro liliorum odore commutent? hoc carnales & sensuales homines stultitiam reputabunt, illi tamen, qui cœlestia meditantur, summam sapientiam iudicabunt. Considerate sanctum iuuenem Ioseph, qui pro custodia virginitatis carceres & vincula libenter pertulit, vt solis sui sponsi amplexibus potire-

tur. Vita religiosa ad viuum expressa est in Patriarcha Iacob, qui solus sine pecuniis, baculo tantum innitens, à fratre persequutus, ac omnibus amicis & fratribus destitutus, ex domo parentis egressus est, tandem longo itinere defatigatus, & lapide pro puluinare vtens, vt parumper quiesceret, scalam conspexit, per quam Angeli ascendebant & descendebant, vbi diuinitus recreatus & consolatus fuit. Felicissimus sane egressus de domo parentis, cum pro his, quæ domi reliquerat, ipsum Deum summitati scalarum inuentem, & pro fratribus, Angelos adeptus fuerit. Religiosa paupertas ditissimus thesaurus est, & solitudo splendidissimus comitatus, cum religiosus pro his, quæ in sæculo reliquit, infinitas cœlestis patriæ diuitias obtineat, ipsum nempe Deum, pro fratribus, ascendentes Angelos & descendentes, qui ipsi omnia necessaria abundantissime ministrant. &c.



IN



INFESTIVITATE SACRATISSIMI ROSARII BEATISSIMÆ Mariæ Virginis.

Sermo Primus.

Pro salutatione Angelica.



nter pretiosos lapides, quib⁹ ciuitas Dei nitebatur, annumeratur chrysolithus, qui etiã pectorale summi Sacerdotis exornabat, tribus coloribus, diuersis viridi, igneo ac aureo splendebat. Et sanctus Hieronymus & Abulensis referunt, hanc mirabilem proprietatem illi fuisse à natura inditam, vt homines, aliàs pusillanimes, si chrysolithū gestarent, in animosos & fortissimos duces commutaret. *Chrysolithus*, inquit Hieronymus, *præbet fortitudinem, & aufert pusillanimitatem.* Aureus etiam color, quo lapis iste splendidissimè micabat, ita præstans erat, vt suo fulgore & præstantia purius & splendidius totius viuuerſi aurum superaret, pro-

pterquam causam lapis triumphalis appellatus fuit, id est, triumphus & victoriæ lapis: Romani enim cum parta victoria devictis hostibus, triumphali pompâ redirent, in signum victoriæ & triumphus, vestibus auro fulgenti contextis utebantur. In hoc pretioso lapide mysteria Rosarii Beatiss. Virginis, & illius effectus erga sodales huius sanctissimæ confraternitatis, quam sanctissimus Pater noster Dominicus instituit, ac à temporibus venerabilis Bedæ penitus collapsam restaurauit, ad viuum exprimuntur. In viridi colore, quo chrysolith⁹ notabatur, gaudiosa mysteria infantie Christi nostri Saluatoris, quibus certissima nostræ salutis spes insinuata fuit, representantur: In igneo & accenso colore, dolorosa mysteria, in quibus noster Redemptor suæ

M m 3

im,

immensæ charitatis ignem demonstravit, apertè ostenduntur: in auro verò gloriola mysteria, quibus Christus & Beatissima Virgo triumphârunt, manifestius demonstrantur. Chrysolithus, lapis fundamentalis erat, cui ciuitas Dei nitebatur, & etiam summi sacerdotis pectori adhærebat, quo illius pectorale illustrabatur: Sed cuiusnam, quæso, firmiori fundamento ciuitas Dei, quæ est Ecclesia Catholica, nititur, quàm Mariæ sanctiss. sacratissimo Rosario? Huius viribus & robore hæreses destructæ, peccatores conuersi, hostes nostræ fidei fugati ac demolitifuerunt. Est etiam Rosarium sacratissimum lapis pectoralis, quia nihil est, quod pectoribus fidelium firmius adhæreat, quàm hæc sanctissima deuotio & confiderentia, quam Imperatores, Reges potentissimi, Pontifices summi, & Ecclesiæ præsides ex toto animo amplectuntur, atque pro summo ducunt honore in eam coaptari. Tandem Rosarium sanctissimum lapis triumphalis est, *dans fortitudinem, & auferens pusillanimitatem*, vt inquit Hieronymus; cum hac die ad Naupactum Achaici sinus de Turcarum classe virib. & numero longè maiore, à Christianis principibus nauali bello, maxima post hominum memoriam, victoria medio sacratissimo Rosario Beatiss. Dei genetricis Mariæ parta sit, vt

Gregorius tertius decimus litteris Apostolicis apertè testatus est. De lapide isto triumphali in præsentia solemnitate agendum nobis est. si prius adsit gratia Spiritus Diuini, quàm vt efficacius impetremus, Beatissimam Virginem consuetâ oratione Angelicâ salutemus, dicendo Ave Maria,

*Liber generationis Iesu
Christi Filii David, &c
Matthæi I. cap.*

IN sacris litteris refertur, quòd cū quadam die Rex Assuerus in solio suæ maiestatis & magnitudinis sederet, Regina Esther regis vestibibus induta, in atrio regis domus stetit, quæ ita Regis oculis placuit, quòd statim his verbis dimidiam sui regni partem ei obtulerit. *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi.* Esther. cap. 5. Gersonius Parisiensis Doctor & vir pius, tractatu 4. super Matthæum, agens de assumptione Beatiss. virginis, ait. Non sine mysterio Assuerum suis promissis non stetit, nequè enim legitur in sacris litteris, eum cū Regina Esther regnū partitū fuisse, fuit tamen, inquit Gersonius, certissimū prognosticū eorū, quæ verus Assuerus, sumus præpotensq; Dominus cum vera Esther acturus erat, quæ cū in die assum-

functionis ad celestis Regis aulam & atrium peruenisset, ita diuinis oculis grata fuit, quòd in signū amoris & beneuolentiæ, cum ea, in ipsa coronatione, dimidiam sui regni partem diuiserit, cum eam in supremā hominum & Angelorum reginam, regio applausu & acclamatione euexit. Omnipotentis Dei regnum ex duobus coalescit, ex potentia scilicet & misericordia, vt insinuauit Propheta Dauid, psalmo. 67. *Duo hac audini, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Quid ergò Deus præstitit, quādo Mariam Sanctissimā in celorum reginam exaltauit? sibi omnipotentiam reservauit, & aliam sui regni partem, misericordiam scilicet, Reginæ Angelorum quodammodò concessit, vt in cælo & in terra misericordiæ mater haberetur. Et quemadmodum in celebri illo tabernaculo Moyſis, Exodi 26. cap. decreuit *Deus*, vt super arcam testamenti, propitiatorium erigeretur, vbi misericordia Dei & remissio peccatorum deposita erat: Ita etiā statuit, vt in cælo, quod illud tabernaculum repræsentabat, super veram testamenti arcam, Mariam nempe sanctissimam, verum diuinæ misericordiæ propitiatoriū constitueretur. In hoc diuinum propitiatorium mentis oculos attentè defixerat eloquentissimus Græcus Andreas Cretensis, quādo in oratiōe de Assumptione Deiparæ sic estatus

est. *Ex quòd terra translata es, versus mundus te continet commune propitiatorium.* Et deuotissim⁹ Bernardus Sermone .4. Assumptionis, hoc regnum & misericordiæ reginam conspiciens, sic ait. *Quis misericordia tua, ò Beata Virgo, longitudinē, latitudinem, sublimitatem, & profundum valeat investigare?* Et postea subdit. *Longitudo eius vsque in diem novissimum, invocantibus eam, subuenit vniversis, latitudo eius replet orbem terrarum, vt suā quoque misericordiā plena sit omnis terra, sublimitas eius, superna ciuitatis inuenit restorationem.* Id est, ita sublimis est Beatissimæ Virginis misericordia, vt ad Planetas, & supernā ciuitatem, imò vsque ad sedilia, quæ ex Angelorum ruina vacua relicta fuere, pertingat, vt homines eorum locum, & honorificas sedes occupent. Addit Bernardus ad maiorem misericordiæ ponderationem. *Profundum eius, sedentibus in regione & in vmbra mortis, obtinuit redemptionem;* Quibus verbis insinuat Bernardus profunditatem misericordiæ huius Reginæ inclytæ tantam esse, quòd etiam ad intimas cavernas, & tenebrosa loca, quib. antiqui patres tenebantur occlusi, penetrauit, & modò purgatoriū penetrat, vt animæ ibi cōmorantes citò, ex locis illis supplicii & mæroris, ad cælestia gaudia transferantur. Ex omnibus ergò beneficiis, quæ Beatissima virgo intra suæ

mise.

miseri cordiæ capacissimum regnum hominibus liberalissimè contulit, inter præcipua hodiernum beneficium computandum est, quodd scilicet propriâ manu Ecclesiæ Catholicæ sacratissimū Rosario, & spiritualem illius confraternitatem, per patres Prædicatores promotam, & per totum vniuersum propagatam, contulerit. Huius sanctissimi Rosarii & confraternitatis festum, omnibus lætitiæ ac iucunditatis signis celebrat hodiè nostra mater Ecclesia, & ad propositum tantę celebratis proponit præsens Matthæi Evangelium, quod licet in cortice inspectū, extra propositum videatur, at si ad nucleum & spiritum attendamus, præsentis sacratissimi Rosarii festiuitati congruentissimum est. *Liber Generationis Iesu Christi &c.* Sanctus Ioannes Chrysostomus homilia. 2. in Matthæum, Maldonatus, Barradas, & alii iuniores interpretes sacre scripturæ, sic titulum huius Evangelii interpretantur. *Liber Generationis Iesu Christi*, Id est, *Liber vita Christi*. Quæ explicatio devotioni sacratissimi Rosarii congruentissima est, Nam Rosario Beatissimę Virginis nihil aliud est, quàm liber quidam vitæ Iesu Christi nostri Redemptoris, hac tamen differentiâ, quia in libro Matthæi scripta quidem est vita Christi, litteris tamen emortuis: At in hoc sacratiss. Rosarii libro non emortuis chara-

cteribus, sed viuis considerationibus exarata est; ibi in charta aut pergamenis, hic verò in cordibus & animabus nostris descripta est, ibi ad longum, hic stylo & methodo breui ad quindecim mysteria redacta est, si ab Incarnatione & mysteriis, quæ ad infantiam nostri Saluatoris spectant, exordiamur, & postea per illius vitam & mortem, resurrectionem, ad cælos ascensionem, vsque ad Sancti Spiritus aduentū, assumptionem & coronationem Beatissimæ Virginis, sanctis considerationibus progrediamur. Ad considerationem horum mysteriorum, quæ superna ac planè diuina sunt, nostra sancta confraternitas dicata & consecrata est; itaque finis & scopus huius sanctissimæ sodalitatæ, quæ patrimonium est illustrissimæ familię Patriarchæ nostri sanctiss. patris Dominici, consideratio & profunda horum mysteriorū nostræ redemptionis contemplatio est. In libro Numerorum cap. 19. præcipiebat Deus, vt sibi in sacrificium vacca quædam certis & peculiaribus conditionibus notata offerretur. *Præcipe filiis Israel, vt adducant ad te vaccam rufam, siue rubeam, vt in originali hebreo legitur, etatis integra, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum: Tradetisque eam Eleazaro sacerdoti, qui eductū extra castra immolabit in conspectu omnium &c.* Et pauld inferiùs mysteriosè additur, *Colliget autem vir-*

mundus cineres vacca, & effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israel in custodiam, &c. Sanctus Augustinus quaestione .33. & Sanctus Theodoretus quaest. 36. super hunc librum asserunt, hoc sacrificium, nostri Redemptoris figuram & viam representatione extitisse; Integra enim aetas, quae petebatur in vacca, perfecta Christi aetatem representabat, cum ad triginta & tres annos peruenerit; color rubeus illius charitatem indicabat, summam etiam puritatem Christus enituit, nec iugum alicuius culpa portavit, aut deferre potuit. Tradetis quae eam Eleazaro sacerdoti, qui educta extra castra immolabit in conspectu omnium. Hoc etiam in Christo impletum fuit, cum extra Ierusalem in conspectu omnium, qui ad pasche celebrationem conueniunt, passus fuerit. *Extra portam passus est.* Verum, quisnam erit vir ille mundus, qui vacca cineres collecturus erat? Colliget autem vir mundus cineres vacca. Sanctus Augustinus ait, cineres istos memoria & famam mysteriorum nostrae redemptionis, longe lateque per totam Ecclesiam diffusam representare, per virum autem mundum non in cogruum intelligere possumus nostrae sanctissimae confraternitatis sodales. Ad cuius probationem animaduertendum est, quod in *Lewitico cap. 11.* illud censetur animal mundum, quod ruminat, &

quid ruminare in mystico sensu demonstrat? non aliud quam conderate & contemplari. Modo ergo, Charissimi auditores, nostram intentionem & mentem aperte comprobata assequimini: Sodalis enim nostrae confraternitatis sanctissimi Rosarii, qui pro fine & scopo mysteriorum nostrae redemptionis contemplationem tenet, iste censendus est vir mundus, qui nostri Salvatoris altissima mysteria colligit, & intellectui attentam & profundam considerationem contemplanda proponit. *Colliget autem vir mundus cineres vacca.* Sanctus Patriarcha Iacob mysteriosam scalam intuitus est, quae a terra usque ad caelum pertingebat, Angelos etiam aspexit, qui per scalam ad caelum usque ascendebant, & a caelo usque ad terram descendebant. Haec scala licet multa alia representet, nostrum tamen sacratissimum Rosarium ad viuum exprimit, quod plane caelum atque terram contingit; caelum diuinitatis, & terram humanitatis nostri Redemptoris Iesu Christi; Angeli vero ascendentes, nostrae sanctissimae confraternitatis sodales sunt, qui sanctis considerationibus ex humanitate Christi, usque ad illius diuinitatem conscendunt, & ex supremo fastigio Diuinitatis denud ad humanitatem usque descendunt, Angeli quidem sunt, quia vitae puritate & munditia ceteris praelucere debent. Origenes homilia. 7.

N u

in Le-

282 *Sermo Primus de Sacratissimo Rosario*

in Leuiticum accuratè perpendit, id quod Deus filiis Israël præcipiebat, capite 11. scilicet vt pisces, qui pinnulis siue alis carent, execrabiles essent, nec ex eis degustarent, concedebat tamen, vt piscibus, qui pinnulas & squamas habent, vesci possent. *Hæc etiam sunt quæ gignuntur in aquis & vesci licitum est.* Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari, quam in fluminibus & stagnis comeditis. Quidquid autè pinnulas & squamas non habet, eorum quæ in aquis moventur & viuunt, abominabile vobis execrandumquæ erit. Tractans ergo prædictus Origines de piscibus, qui squamis & alulis siue pinnulis carent, sic de illis loquitur. *In imis semper & circa cœnum morantur.* Id est, intra limum & profundum aquarum habitât, at pisces, qui squamas & pinnulas habent, inquit Origines, *est fluctibus exiliunt*; aquarum enim & propriæ quasi obliti naturæ, ex aqua saltant, & tanquam aues super aëra volitant. In hac piscium varietate duplex hominum genus demonstrat Origines, aliqui inter mortales inveniuntur, qui in cœno & depressiorib. terræ locis morantur, nihil minùs quàm de cœlo cogitât, solum in terrenis acturpitudinis limo & cœno morâtur. Alii verò sunt, qui licet in hoc mundo habitent, in cœlistam tamen conuersatione & diuinorum mysteriorum contemplatione commorantur, & tales sunt no-

stri Sanctissimi Rosarii confratres, qui ex propria sodalitatis obligatione, ex huius sæculi fluctibus exiliunt, & supernis Rosarii considerationibus ad superna aspirant, & super astra volitant. *Nostra conuersatio in cœlis est.* Philip. 3. Propheta Dauid Rex inclytus, Spiritu diuino afflatus, centum & quinquaginta psalmos in Dei gloriam & laudem composuit, Sanctus Augustinus & Diuus Hieronymus quindecim illorum, quos *canticum graduum* vocant, summoperè extollunt, & ex eis secretissima mysteria in lucem eruerunt: Doctor Incognitus ad nostrum propositum hæc duo notatu dignissima profert; In primis affirmat, hos quindecim psalmos vocari *canticum graduum*, quia in ascensu quindecim graduum templi Salomonis decantabantur; Secundò dicit, quòd cum Sacerdotes psalmos concinentes gradus conscendebant, non continuo ascensu pergebant, sed prioribus quinque gradibus, quinque psalmos decantabant, & parum quiescebant, deinde alios quinque gradus conscendebant & iterum sistebant. Tandem tertio alios concinentes, cæteros gradus conficiebant, ac superius parum per detinebantur. *Nostrò iudicio nihil ad propositum hodiernæ festiuitatis Rosarii sacratissimi, accommodatiùs adduci posset; Rosarium enim ex centum & quinquaginta orationibus coalescit, & qui*

illud

Illud deuotè recitat, quindecim my-
 steriorù consideratione ad superiora
 & diuina conscendit, ter tamen in
 mysteriorù consideratione ac contè-
 platione quiescere debet: primò in
 quinque mysteriis gloriosis, secundò
 in quinque dolorosis, tertid in qui-
 que gloriosis, vt sic attentà ac pro-
 fundà tantorum sacramentorù me-
 ditatione, ad verum Salomonis tem-
 plum conscendamus. Dicent forsità
 qui Rosarium Beatiss. Virginis reci-
 tant, nò tamen mysteria diuina, quę
 in illo latent, contemplantur, nequę
 in nostra sanctissima confraternita-
 te inscripti sunt, quem fructum so-
 dales percipiunt, qui cõsiderationi-
 bus diuinis Rosariù persoluunt? Di-
 cam apertè, nostri enim confratres
 arboris vitę fructibus peculiari gra-
 tiã, & singularib⁹ prerogatiuis poti-
 untur. Nonnè singulis mensibus
 omni pompã & apparatus in toto or-
 be terrarum hæc sancta confrater-
 nitas, suis filiis & filiab⁹ cõsitata, intra
 templa & prædicatorum monasteria
 splendidissimè progreditur? Non-
 nè ibi accensis luminibus Beatissi-
 mę virginis imaginem singulari pi-
 etate & deuotione deferunt? quid
 hæc indicant? Fructus planè abun-
 dantissimos demonstrant, quibus
 nostri sodales ditãtur, quos in men-
 struali processione ex arbore vitę
 capescunt. Evangelista Ioannes A-
 pocalypsis 22. pulcherrimam ar-
 borem conspexit, quam vitę arbo-

rem appellat, quę ita fertilis erat,
 vt singulis mensibus suauissimū
 fructum ferret, Sancti Patres in ex-
 plicatione huius loci, per hanc fe-
 cundissimam arborem, Christum
 Redemptorem nostrum intelligūt,
 per fructus verò illius sacratissima
 merita interpretantur. Singulis er-
 gò mensibus, Charissimi Filii, sã-
 mus Pontifex meritorum Christi
 immensum thesaurum sacratissimi
 Rosarii sodalibus aperit, ac illis im-
 mensas gratias, indulgentias, & om-
 nium peccatorum remissionem li-
 beralissimè concedit; ad capiendos
 igitur tam vberes ac præstantes ar-
 boris vitę fructus, nostra confrater-
 nitas tot sodalib. stipata progreditur.
 Nec solū ista experiuntur, qui tantę
 deuotioni addicti sunt, sed singula-
 rissimos favores ac præclarissima be-
 neficia à Regina Angelorum perci-
 piunt, licet enim ipsius regnum, vt-
 potè imensum & amplissimum, ad
 omnes fideles se extendat, peculi-
 aribus tamen privilegiis nostrę san-
 ctiss. cõfraternitatis filios ac sode-
 les prosequitur. Testes huius verita-
 tis sint libri, qui variis linguis de sa-
 cratiss. Rosario inscripti sunt, vbi
 fermè infinita miracula referuntur,
 quę in favorè sodalium; acciderūt,
 vnum ad vestrã ædificationè rarum
 plã ac peregrinū referam, quod ha-
 betur in speculo exëplorum exem-
 plo. 64. & ex annalib. patrū præmon-
 strateniũ pag. 31. depromptum est.

N n 2

In

In certo monasterio cuiusdam ciuitatis habitabat quædam sanctimonialis, nomine soror Beatrix, corpore & animâ Angelus, quia simul cū eximia corporis pulchritudine, quâ dotata erat, deuotione etiam erga Beatissimam Virginem & illius Rosariū inter cæteras virgines eminebat, cuius imaginem singulari curâ & deuotione vestiebat, & altare exornabat; speculum citatum exemplorum eam cultricem domus vocat, quæ regularis ianux clauēs gestabat. Hac ergo occasione claudendi sapiūs & aperiendi ianuam, occasiones enim animæ mortem inferre solent, quidam secularis eam aspexit, & illius amore captus, sollicitas permouit, demon etiam ita eam tentauit, vt à viro & dæmone persuasa, apud se decreuerit habitū relinquere & noctu effugere. Sed antequam tantum facinus committeret, ad altare, vbi imago sacratissimi Rosarii constituta erat, accessit, ibique post apertam ianuam, monasterii clauēs reliquit, ac Beatissimam virginem sic affata est. Sanctis. Maria, hîc tibi clauēs monasterii relinquo, ego turpi quadâ tentatione deuicta discedo. Non post multos dies, qui eam ex monasterio eduxerat, solâ, vt crebrò contingere solet, reliquit & à se repulit, quæ cū se iam solâ, sine vilo remedio & solatio conspiceret, meretricio more proprium corpus turpitudini prostituit, & per

quindecim annos continuos sic turpiter vixit. His elapsis annis quadam die, Deo misericordiarum Patre sic disponente, ad ciuitatem, vbi suum monasterium extractum erat, reuersa est, ac illud, vtpotè vbi habitum religiosum acceperat, visitare volens, ingressa est, & in monasterii famulum incidens, ab eo de aliquibus sacris monialibus sciscitari cepit, & inter eas pro se petiit, quæ sine mora statim respondit. Ita soror Beatrix, de qua modò à me postulas, ianatrix est monasterii, & est grauissima & sanctissima monialis; Quòd cū primùm ipsa audiuit, existimauit famulum somnia & commenta referre, & cū monasterium egredi vellet, in ipsa porta ei Beatissima Virgo in forma, quâ cognosci posset, apparuit, eamque detinens, sic alloquuta est. Quòd misera & pericula soror iterum reuerteris? ego sum Dei Mater cui, cū ex monasterio recederes, clauēs reliquisti, per quindecim annos tuam personam & officium ago, reuertere iterum ad monasterium, & idem munus & officium præsta, ac si nunquam recessisses, habitum & clauēs accipe, quia nullus tuam absentiam notauit. Monialis diu extra se præ admiratione mansit, ad se tamen reuersa, singulis diebus tantum beneficium perpendens, auxilio Beatissimæ virginis maximam suorum peccatorum contritionem obtinuit, ac
san-

sanctissime vixit, & quando ex hoc seculo feliciter migravit, suo confessorio dixit, vt tantum beneficium pro gloria Dei & eius sanctiss. Matris evulgaret. Isti sunt vberissimi fructus, quos nostri sacratissimi Rosarii sodales ex hac arbore vite percipiunt. Verum iam tempus & ratio postulat, vt aliquid circa Evangelij litteram proferamus. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob. Sanctus Evangelista Matthæus Christi Redemptoris generationem referens, vtitur hac voce *Genuit*, & sæpius repetit, quod verbum introitum nostrum in mundum indicat. S. verò Lucas eandem nostri Salvatoris generationem scribens, vtitur hac voce. *Fuit. Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*, quæ vox demonstrat id quod fuit, & iam nõ est. Spiritus Diuinus in hoc duplici modo scribendi, quo vtuntur Evangelistæ, nobis ostendit quod ille, qui ex materno vtero in hanc lucem prodit, vt eâ potiatur & viuat, tam concitato cursu ad mortem, quasi per postam properat, vt vix vitâ ingressus, statim evanescat. In libro sapientie cap. 5. quidam introducuntur, qui de breuitate vitæ agentes, eam velocioribus rebus, & quæ citius avolat, cõpararunt. *Sicut nuncius præcurrens*. Nuncio Dominum præcurrenti comparavit vnus, ille enim qui præcurrit, velocius subsequente viam cõficit. Alius avibus per æra volitantibus, quæ tam celeri volatu transvolant, vt vix eas visu

insequi possimus, comparavit. *Aut tanquã avis quæ transvolat in aere*, Sagittæ etiam, quæ in locum destinatũ mittitur, comparavit ibidem, *Aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum*. In alia versione sic legitur. *Aut tanquam sagitta emissa in scopum*. Post prædictas comparationes imediatè sequitur. *Sic & nos nati continuo desinimus esse*. Id est, statim atque orimur ad non esse festinamus. Et hoc apertè significant illæ vocũ mutationes, quæ in Genealogiæ Christi enarratione ab Evangelistis vsurpantur. Matthæus dicit. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob*. Lucas verò sic generationem enumerat. *Qui fuit Heli, qui fuit Melchi*. 3. cap. Vt denotaret Spiritus diuinus, vitæ nostræ exordium cum non esse maximam coniunctionem & affinitatè habere. *Sic & nos nati continuo desinimus esse*. Multa de hac materia acutè & ingeniosè tam à fidelibus, quàm à philosophis gentilibus prolata sunt, solum tria Doctorum Ecclesiæ dicta in præsentireferam, quæ sapientiæ comparationib. rectè congruunt. S. Augustinus lib. 13. de civitate Dei cap. 9. sic dicit. *Quid est huius vita spiritus, nisi cursus ad mortem?* Alius vitâ nostrâ postæ comparavit. Sed Sanct. August. plùs addit, *cursus ad mortem*. Ac si diceret, vitam nostram in mortem, ad nos concitato cursu properantè, currere. Pro cuius ponderatiõne notanda est visio Evangelistæ Ioan. Apocalyp. cap. 6.

Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors. Conspexit enim sanctus Evangelista equum pallidum, cui mors inlidebat, vt citius ad nos appropinquaret. Si ergo per postam ad mortem properamus, & ipsa currens ad nos adventat, breui temporis spatio in eam incidemus. Si aliquis per postam Petrum Romæ commorantem quæreret, & Petrus equitâs in occursum procederet, breuius eum inueniret: Sic inquit sanctus Augustinus, vita nostra ad mortem, ad nos veloci cursu properantem, tendit. *Cursus ad mortem.* Ideo nihil aliud frequentius, quàm multorum necem & repentinam mortem auribus accipimus. Sanctus Gregorius Nazianzenus de vitæ nostræ breuitate loquens, hæc verba protulit, quæ semper nostris mentibus affixa esse deberent. *Ipsam est quod viuo velut rapidissimus amnis, qui sursum exoriens, semper ad ima fluit.* Videtur sanè sanctum doctorem auem celeri volatu cursitantem considerasse, quam vix præ agilitate externis oculis intueri possumus, avis tamen aliquando sistit vt quietescat, amnis tamen in summitate montis exoriens, continuo motu semper ad ima fluit: ideò vitam nostram semper sine quiete ad mortem properantem, rapidissimo flumini, ex montis cacumine ad ima properanti, comparat. Sanctus Hieronymus alia verba profert, quæ videntur ex

Seneca de prompta, Epist. 59. *Quotidie morimur, quotidie commutamur. Et tamen aternos nos esse putamus.* Absque dubio Hieronymus eum in memoria tenuit, qui vitam nostram sagittæ in scopum proiectæ comparauit, nullus tamen in emittendo sagittam ita versatus est, vt non aliquando à scopo aberret, mors tamen, inquit Hieronymus, quæ arcu & sagittâ vititur, tam dexterè sagittam proicit, vt nunquam à scopo, qui est vita nostra, erret, vnde oritur, vt homines quotidie moriantur. *Quotidie morimur.* Moritur iuuenis, moriuntur pulcherrimæ faminæ, Princeps repente vitam cum morte comutat, dignitates pereunt. *Quotidie morimur, quotidie commutamur,* nigri crines in albos commutantur, dentes, qui antea firmi & fixi erant, paulò post commouentur, visus, antea acutus deficit, & vix propinquiora perspicit, & qui à longè prospiciebat, modò nihil videt. Quæ cum ita sint, ita insipientes sumus, vt nos esse aternos existimemus. *Et tamen nos esse aternos putamus.* Quàm ex professo dignitates ambimus, & omni diligentia & sollicitudine exquirimus! Aliqui commendatoriis litteris & pecuniis onusti, in Imperatorum & Regum curias discedunt, vt officium stabile adipiscantur. Magna planè & intolerabilis dementia; qui per postam ad mortem currunt, & sicut

amnis

amnis, qui in cacumine montis exorietis semper ad ima fluit, rem firmā expectat, & totis virib⁹ assequi conatur? *Abrahā genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob.* Sanctus Matthæus in hac genealogia à Christo tanquam à supremo capite incipit, & vsque ad Ioseph virum Mariæ descendit, in ipsa etenim enarratione fæminas enumerat: At Sanctus Lucas eandē Christi genealogiam describens, in verso ordine procedit, à Ioseph enim exordians; *Qui fuit Ioseph, qui fuit Heli,* suam historiam ad Deum vsque continuat; *Qui fuit Dei,* nec fæminam aliquam in Evangelio vsurpat. Quod, quæso, mysterium Evangelistæ hac diuersa enumeratione indicârunt? Mysterium est, quia Sanctus Matthæus imensam beneficiū manifestat, quod Deus per Incarnationem hominib. exhibuit, nostram naturam assumens, & cū tantum mysterium sine fæminis perfici nequiuert cū Verbum Diuinum ex aliqua earum carnem assumere debuerit, idēd Evangelista Matthæus fæminas enumerauit: At S. Lucas in suo Exangelio explicuit id, quod ex vnione Verbi ad nostram naturam hominib⁹ resultauit, nempe vt homo ineffabili modo Deus fieret, & quia vt homo per gratiā fiat Deus, non sint necessariæ fæminæ, potiùs enim hanc diuinam transformationem impediunt, idēd fæminas præterit ac suppressit, At cuius com-

probatiōem notandum est id, quod ait Spiritus Sanctus Eccles. 19. cap. *Mulieres apostatate faciunt sapientes:* Ita vnionem hanc diuinam per gratiam impediunt, vt efficiant, quod sapientes Deum amittant. *Apostatate faciunt sapientes,* si stultos apostatate facerent, & etiam sapientes huius sæculi, qui apud Deum stulti reputantur; *sapientia huius mundi, est stultitia apud Deum.* 1. Corinth. 3. cap. non mirandam esset, sed quidd sapientes etiā, qui apud Deum sapientes existimantur & apud Deum, rerum diuinarum peritia valent, decipiant, & deludant ac apostatate faciant, hoc sanè admiratione dignissimum est. Prætereo tamen ista, nec latius prosequar, tum, quia est apertissima veritas, ab initio mundi longā experiētiā confirmata, tum etiam propter Beatiss. Virginem, quā hodiernum Evangelium clauditur, *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Aliqui erga Mariam sanctissimam singulari deuotione affecti, pias querelas de Matthæo formant, quia omiſſis aliis quæ meritō de ipsa proferri possent, sic collectim & breuiter tantum dixerit. *De qua natus est Iesus, &c.* Sed iam in superioribus latè ostendimus, hic Evangelistam summo ingenio expressisse quidquid de Maria sacratissimā exprimi & efferri potuit, cū omnia infinitæ matris Dei dignitati, quæ in Matthæo

ver-

verbis insinuatur, nitantur. Ipsa ergo quæ vera Dei & misericordie Mater extitit, nostræ sacratissimi Rosarii cõfraternitatem instituit, quæ nostro sanctissimo Patri Dominico conspicuè apparens, ei præcepit, vt hanc sacratissimam sodalitatẽ iam penè extinctam, vbique repararet, ac de nouo institueret. Et sic cõfraternitas Equitum aurei Velleris à Philippo Burgũdia duce instituta, tam celebris est, vt nullus sit, etiam si imperatoriã, regali aut ducali dignitate præfulgeat, qui ei inscribi se non procurat, ac ex collo pendens vellus aureum non deferat. Quid de nostra fraternitate dicam, cuius fundator non Philippus Burgundie Dux aut Imperator, vel Rex aliquis terrenus, sed ipsa Angelorum Regina, & Dei Mater fundatrix extitit? Digna planè est, vt omnium fidelium cordibus imprimatur, ita vt nullus existat, qui huic sacratissimæ sodalitati se coaptari nõ procurat. Omnes Rosarium manibus gestemus, & sanctis considerationibus evoluamus, est enim mediũ efficacissimum ad remissionem peccatorum, & gratiam in hoc sæculo obtinendam & in alio gloriam, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus

Amen.

* *
*



Sermo secundus

PRO SALVTATIONE *Angelica.*

NOtandum est ille locus Ilaia, quem rectè perpendit doctissimus Arias Montanus. Reuertatur ad Dominum & miserebitur eius, & ad Deum nostrũ: quoniam multus est ad ignoscendum. 55. cap. Vbi in alia versione sic legitur. Oret ad Dominum & miserebitur ei. Ac si apertius diceret, qui voluerit, vt Deus sui misereatur, & patris sceleribus ignoscat, ferventes orationes amore diuino inflammatas offerat, Rosarium recitet, in quo diuinis considerationibus ad superiora assurgens, Deum propter peccata iratum in misericordie patrem conuertat, & miserebitur eius: quoniam multus est ad ignoscendum. Xante Pagninus hæc verba mysteriosè vertit. Quia multiplicat, vt parcat: Quasi diceret, qui Deum vt misericordie patrem sibi comparare voluerit, licet alias rigidam & austeram iudicis personam contra nos agat, oret ad Dominum, quia mul-

ripli-

explicat ut parcat: Deum enim orationibus sacratissimi Rosarii variis modis multiplicavit; modò in patrè, ut nostris necessitatibus paterno amore subueniat, iam in matrem, quæ proprio lacte nutriat & sustentet, deinde in Regem & ducem potèntissimum, ut ex bello continuo, quo singulis momentis cum dæmone decertamus, victoriam fæliciter obtineamus. *Quia multiplicat ut parcat.* Si aliquibus orationibus, Charissimi Filii, Deum in varias formas multiplicamus, hoc præcipuè orationibus sacratissimi Rosarii efficitur, quibus Deus nostram deuotionem variis modis & repræsentationibus excitat, mysteriis gaudiolis, in forma infantis nostram considerationem movet: In dolorosis vt Redemptor apparet, qui variis passionum generibus, actandem turpissimam morte nostram salutem operatus est: In gloriosis verd in triumphantis forma se nobis visendum & contemplandum proponit. *Quia multiplicat ut parcat.* Si tanta est vis & efficacia sanctissimi Rosarii, vt Deum in varias formas conuertere & commutare possit, id hodiernam luce, quæ illius celebritati dicata est, maiori sanè iure præstabit, & nobis multiplicatam Spiritus Diuini gratiam obtinebit, vt de ipsò aliquid dignè hoc breui temporis spatio proferre possimus, confi-

denter igitur Spiritus sancti gratiam, interuentu & intercessione Beatissimæ Virginis & Sanctissimi Rosarii precibus postulemus, dicendo Ave Maria

Liber generationis Iesu

Christi, Filii David. &c

Matthæi 1. cap.

Spiritus Sanctus Eccl. 24. cap. Diuinam sapientiam, Verbum nempè Diuinum in præsentia suorum electorum, de propriis laudibus elegantissimam concionem habentem introducit his verbis. *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omne creaturam. Ego feci in calis vt oriretur lumen indeficiens. Ego in altissimis habitavi. Gyrum cæli circuiui sola & profundum abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulauit &c.* Et in toto illius capitis discursu Verbum Diuinum, quæ sapientia patris est, proprias excellentias ad cælum vsq; extollit: Quia verd impossibile est illarum magnitudinem, vt ipsæ in se sunt, hic in terra propter earum incòprehensibilem perfectionem, verbis perstringere, idè eas ingenii nostri imbecillitati accommodans, per visibiles creaturas explicat, licet longè superent omnes simul creatas perfectiones, etiamsi eminentissimæ sint; Quapropter Sapientia Diuina se diuersis rebus comparauit,

O o cedro

cedro scilicet, cypresso, palmæ, oliuæ, platano, rosæ, cinamomo & balsamo, viti fertili & abundanti, & aliis multis. Apertum planè est Deum hæc omnia in perfectione excellere, cum etiam à creatura rationali superentur, sunt tamen mysteriosa epitheta, quibus Deus seipsum comparat, vt aliquod ex his, quæ Deo cõpetūt, indagemus: Creaturæ enim vestigia quædam sunt diuinarum perfectionum, per quæ eas investigare possumus, vt docet Apostolus Paulus. *Inuisibilia enim Dei, à creatura mundi, per eaque facta sunt, intellecta conspiciuntur. Rom. i. Cũ ergo Sapiencia Diuina asseruisset se esse cibũ & potum. Qui edunt me adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Eccles. 24.* postea aliqua verba profert, quibus se librum esse insinuat, non quidem emortuum, sed vitalem qui loqui potest & audiri desiderat. *Qui audit me non confundetur: Et qui operantur in me, non peccabunt.* Vbi indicat nullum confundendum fore, qui doctrinam huius libri attentè auscultauerit, nec peccaturum, qui executioni mandauerit, id est, nullus errabit, qui huic libro studuerit, peccate enim errare & à recto tramite deficere est. Addit ampliùs, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Hoc est, qui in legitimo sensu, quem Ecclesia spiritu sancto inspirata intendit, interpretati fuerint, vitam æternam habebunt. In alia ver-

sione sic legitur. *Interpretesquè meam vitam æternam consequentur.* Ex qua mysteriosa versione colligitur, hanc esse legitimam loci explicationem. Et quod Diuina Sapiencia in hoc loco liber appelletur, apertè deducitur ex contextu, quia addit Spiritus Sanctus. *Hac omnia liber visa, & testamentum altissimi, & agnitio veritatis.* Ex Theologia etiam manifestum est. Quia vt docet Doctor Angelic⁹. i. p. q. 14. ar. 1. *Liber vita, est ipsa Dei notitia, quã firmiter retinet se aliquos predestinasse ad vitam æternã.* Quæ Dei notitia nihil aliud est, quã Verbum Diuinum ab intellectu patris ab æterno productum, tanquam illius imago & expressa similitudo. Itaque Æternus Pater originale est, ex quo admirabilis iste liber descriptus est, quem meritò admirandum librum appello, quia inter alia prodigia, duo in illo reperiuntur omnium admiratione dignissima. Primũ est imensa illius magnitudo, est enim infinitum quoddam volumea, in quo omnes diuinæ perfectiones scriptæ sunt, ideò solus Deus librum istum scribere, & ex suo fonte deducere potuit, qui licet tantæ sit magnitudinis, idè qui eum descriptis, abbreviauit etiam, & ad diuinũ quoddam compendium reduxit. *Verbum enim abbreviasũ faciet Dominus super terram:* Et forsitan ad tanti libri compendium alludens Ecclesia Catholica, sic ait. *Verbum eius altissimi corpori*

corari

pari passu est carne sumpta, quasi diceret. Liber ille infinitus & æternus, quæ Deo ab æterno produxit, se ad breue corpus reduci permisit, ita paruum, vt à principio suæ cõceptionis quantitatè apud non excederet. Secundum huius libri prodigium est; liber enim iste non emortuus est, sicut qui in Bibliothecis reperiuntur, sed viuus est ex vitali originali transumptus; Idè Petrus Apostolorum Princeps Christum appellauit Dei viui filium. Tu est Christus filius Dei viui. *Matthæi. 16.* Non ergo liber iste vitalis est, solum quia in illo inscripti sunt, qui vitam æternam assequuntur, sed quia ipse in se vitam habet, & in eo æterna vita inuèitur, & quidquid in illo est, vitam continet. *Quod factum est, in ipso vita erat. Ioan. 1.* & quecunque etiam verba protulit, verba erant vitæ æternæ. *Ad quæ ibim?* Verba vitæ æternæ habes. *Ioan. 6.* dixit Petrus: In intelligentia etiam huius libri vita æterna consistit. *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quæ misisti Iesum Christum. Ioan. 17.* Et Evangelista Matthæus satis indicat librum istum vitalem esse, cum in initio nostri Evangelii ei originem, generationem & natiuitatem attribuat, sic dicēs. *Liber generationis Iesu Christi.* Quo supposito, asseuerandum est, vitæ principissimam Mariam sacratissimam, ad cuius laudes proclamandas, sanctus iste & deuotissimus dies consecratus est, librum vi-

te nuncupandam esse, & verba illa à Diuina Sapiencia pronũciata, Beatissimæ Mariæ rectè congruere. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Imò caput Ecclesiæ. supra relatũ, in quo Diuina Sapiencia de se ipsa loquitur, ab Ecclesia Spiritu sancto edocta, Mariæ sanctissimæ accommodatur, quia optimè cum ipsius laudibus ac prerogatiuis coheret. *In me gratia omnis viæ & veritatis. In me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad omnes, qui concupiscitis me.* Quia tanta est & tam suprema illius eminentia, quod voluerit Deus suos præcipuos titulos ei communicare, vt melius à nobis cognosceretur. Hæc enim est in modo cognoscendi Deum & ipsius sacratissimam matrem differentia, quia Deum, vt in initio insinuauimus, ex creaturis agnosimus. *A magnitudine enim speciei & creaturæ,* inquit Salomon, *cognoscibiliter poteris creator horum videri. Sap. 3.* Maria tamen ex suo creatore & filio cognoscenda & investiganda est. Nam si aliquis præstantiam & excellentiam illius per Rachelem, Abigail, Rebeccam, Esther, Iudith & Sulannam, quin & per excellentiores totius vniuersi creaturas, etiam Apostolos & supremos Spiritus Angelicos, Seraphim & Cherubim, manifestare vellet, licet aliquo modo illius excellentiam insinuaret, non tamen plenè aperiret, quanta sit huius creaturæ celsitudo & maiestas, quia sic tantum ex creaturis

turis innotescit, quæ cum ipsa comparari nequeunt. Quemadmodum si quis Reginae magnitudinem aperire volens, eam cum ancillis & nobilissis, quæ comitantur conferret, melius planè illius maiestas indicabitur ex magna affinitate & cognatione, quam cum Deo habet, ex eo enim quod primogenita Dei est, & mater illius naturalis, ac Spiritus Diuini sponsa, oritur, vt præclarioris Dei tituli modo possibili Mariae sacratissimæ communicentur, quod rationi valde conforme & consentaneum est. Vt enim in humanis contingit, quamprimum femina aliqua in uxorem Regis eligitur, ed ipso regi titulis & honoribus decoratur, ac in Reginam omnium regnorū euehitur, quæ ad suum sponsum spectant: Quæ ratio in Maria sacratissima maiorem efficaciam habet, quia ea, quæ in aliis creaturis reperta non sunt, in ipsa strictissimo quodam vinculo & cognatione cum Deo coadunata fuere. Quare si cut vnum relatiuum sine alio definiti nequit, ita si Maria sanctissima exactè definenda est, non nisi in ordine ad Deum eius excellentia hac ratione explicari potest. Beatissima Maria est quædam creatura, quæ Patrem æternum pro Patre, & Verbum Diuinum pro filio, & Spiritum Sanctum pro sponso sortita est. Quæ cum ita sint, rationi consonum est, vt eisdem Dei titulis

& honoribus decoretur; licet enim creatura sit, aded tamen excellens & præstans est, vt suum proprium creatorem suis sanctissimis verbis aluerit & sustentauerit. Hinc ardentissimus ille amor procedebat, quo Maria & eius filius se mutuo diligebant. Si ita Deus dilexit mundum, vt suum filium vnigenitum pro redemptione generis humani sibi sacrificandum daret, quo, quæso, amore eam prosequutus est, cui suum filium dedit, vt eum generaret ac proprio lacte nutrirer? Et quanto etiam Maria sacratissima erga suum vnigenitum filium, tot titulis & rationibus, omni amore dignissimū, & q̄ eam summo amore diligebat, affecta fuit? Et quo tandem Beatissima Virgo suum creatorem dilexit, qui eam præ cæteris creaturis excellentissimā produxit, & suum etiam Redemptorem, quæ vt eam redimeret, novum quendam redemptionis modum excogitarit, vt plerimi ex Doctoribus Theologis probabiliter affirmant? Sanctus Bernardinus Tom. 2. Serm. 61. asserit, quod Beata Dei genitrix *primogenita fuerit Redemptoris sui Iesu Christi, & plus pro ipsa redimenda venerit, quam pro omni alia creatura.* Quod deinde amore Regina cælorum suū glorificatorem amauit, qui eam immensâ gloriâ super omnes Angelorum choros, tanquam supremam omnium creaturarum Imperatricem exal-

exaltavit? Imenso planè amore Deū dilexit, quæ filiū diuinum ex proprio ac purissimo sanguine, sine virili semine secundū hūanitatē, totum solo Spiritu Diuino afflata produxit; in cuius consideratione nostri sensus deficiunt, & ingenii vires extendi nequeunt. Sanctus Ioannes in sua Epistola canōia 1. cap. 2. Deū charitatem appellat; *Deus charitas est.* Et Spiritus Sanctus amor dicitur, qui est Beatissimæ virginis sponsus: si ergo Spiritus Sanctus amor & charitas est, ipsa etiam amor nuncupari potest, & verissimè hoc de illo proferre possumus. *Maria charitas est.* Quod vt accuratè cōprobemus, animadversione dignissimus est ille locus Canticorum 3. *Adiuuro vos filia Ierusalem per capreas cervosquē camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Vbi nostra vulgata legit *dilectam*, in hebræo textu legitur *Ababa*, quæ vox significat charitatem. *Ne suscitetis charitatem.* Et septuaginta Interpretes vertunt. *Amorem.* Si igitur Spiritus Diuinus vnigeniti Filii Dei Matrem amorem vocat, & meritò, quia ipsius amoris sponsa est, quid mirandum est si ea, quæ à Deo inter puras creaturas magis dilecta est. Dei titulos participet, & certo quodam & ineffabili modo Deus sit. saltim per amorem, cum id per naturam repugnet? Aristot. 9. Ethicorum de amicis loquens,

fic ait. *Amicus est alter ego.* Et si hoc de amicis huius sæculi verificatur, quid de amicis Dei censendum erit? ipse suos amicos Deos vocat: *Ego dixi Dii estis.* psal. 81. Et S. Augustinus super primam Cano. Ioannis dicit. *Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Quia Dei amicus per amorem in Deum transformatur. Et si hæc de aliis hominibus dicere audet Aug. & verè de aliis iustis profert, à fortiori de Beatissima virgine dici poterunt. Seraphim in cælo empyreo amore diuino inflammati æstuant, sed cor Mariæ sacratissimæ, cum ipsa in terris moraretur, efficacioribus amoris diuini flammis ardebat, ita vt in ipsam charitatem conuersa esset. *Ne suscitatis charitatem.* De charitate scriptum est cant. 3. *Lampades eius, lampades ignis.* Et in textu Hebræo sic legitur. *Lampades eius, lampades ignis, & flamma Dei;* quod denotat vehementissimam flammam: Nam sacra scriptura ea quæ immensæ sunt magnitudinis, tali modo loquendi insinuat. *Moxter Dei, misericordia Dei.* Charitas ergo Mariæ sanctissimæ flamma Dei fuit, & solus ipse tantam flammam in Mariæ sanctissimo pectore excitare potuit. Ex his omnibus infertur, quod Maria sacratissima propter suam eminentiam, quia filia Dei est, sponsa & mater, strictis, amicitie vinculo cum eo coniuncta, digna est, vt sui filii titulis exornetur, vt

Oo 3

sicut

sicut ipse liber vitæ nuncupatur, Maria etiã vitæ & generatiõis Christi liber appellari possit. Propheta Esaias cap. 8. suæ pphetiæ refert, Deum sibi his verbis loquentũ fuisse. *Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis.* Et septuaginta Interpretes addunt. *Sume tibi librum grandem & nouum.* In quo libro clarè exprimitur Beatissima Virgo, quia ipsa liber est magnus & novus, liber, in quo Spiritus Diuinus generationem & carnem Filii Dei descripsit. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Matth. 1. Sanctus Ambrosius eximius Ecclesiæ Doctor, applicat mysterio Incarnationis illa mysteriosa verba psalm. 44. *Lingua mea calamus scriba, velociter scribentis,* quãdo Verbum Diuinum in vtero Mariæ sanctissimæ nostram mortalitatem assumpsit, in quo mysterio Spiritus sanctus munus scribæ gessit, qui in Beatiss. virginem superueniens, in ea Filii Dei carnem formauit, in cuius efformatione ita velociter mysterium Incarnationis scripsit, quòd in vnico momẽto ea perfecit, quæ ad Verbi Diuini Incarnationem spectabant, nescit enim Spiritus sanctus tarda molimina. Et Sanctus Damascenus lib. 3. de Fide orth. cap. 2. ad nostrum propositum ait, *Non paulatim per additamenta, sed vno momento, sicut conceptu formata est & perfecta caro Christi, simul caro & Verbi Dei.* Ma-

ria sacratissima liber ille est, quem Evangelista Ioannes extrã & intus scriptum conspexit; intus quidem, propter sui veri sæcunditatem, in quem Spiritus Diuinus descendit, vt in eo Christi sanctissimam carnem formaret; extrã verò, propter eius virginitatem & integritatem admirandam. Nec mysterio caret, quòd Sanctus Evangelista librum istum ad dexterã illius, qui in throno diuinitatis sedebat, intuitus fuerit. Quia Christus Redemptor noster suæ sanctiss. Matri dexteram, tanquam honoratiorem locũ præbet, *Astut Regina à dextris tuis in vestitu deaurato psal. 44.* Ex quibus patet Beatissimam virginem librum esse, quemadmodum & Christus Saluator noster, & nouum librum, quia nihil illo nouius & mirabilius vnquam apparuit, vt Ecclesia decantat. *Nec primam similem visa es, nec habere sequentem.* Et si Salomon librum istum conspexisset & legisset, non diceret Eccles. cap. 1. *Nihil novum sub cælo, nec poterit quis dicere, hoc recens est;* statim enim librum istum exciperet ac diceret, hoc nouum est sub sole, vt insinuauit, & prædixit Propheta Ieremias 31. cap. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* Diuinus Hierotheus ita à magno Dionysio in signi Theologo celebratus, & Apostolorum contemporaneus, natione Hispanus, qui

multa

multa vidit & cognouit de Beatissima Virgine, ac in illius exequiis prædicauit, iudicat maximam totius vniuersi nouitatem fuisse mysterium illud, quod in ea operatum fuit, de diuinis nominibus, cap. 2. part. 2. his verbis, *Verum quod est nouitatum omnium supereminens nouitas, in naturalibus nostris supra naturam erat.* In hoc ergo libro impleta est Ioannis Prophetia *Apoc. 21. Ecce noua facio omnia:* Quia omnia quæ per fidem manifestantur, in Maria sacratissima noua & inaudita sunt. Nouus filius, quia etiam recenter conceptus, vir fuit perfectus, & id demonstrant illa verba Ieremię, *famina circumdabis virum.* Noua generatio, cum ex matre virgine verus Deus & homo nascatur; Nouus Rex, cum ita potens nascatur, vt illius regnum nullis limitibus & terminis comprehendatur: Nouus & strenuus miles, cum antequam patrem & matrem vocare sciat, fortitudinem Damasci, daemonem scilicet prosternat & superet; noua bella, cum sine armis pugnet, & hostes devincat: Noua victoria per mortem obtenta, dux vitæ mortuus, regnat viuus; noua mors, cum per illam mors nostra per mortem devincenda sit, & nostra vita restauranda: Nouum testamentum, cum ipse testator loco reddituū seipsum in pane & vino relinquat, vt sui hæredes propria carne & san-

guine nutriti, in illum transformentur: Noua concilia, cum lachrymæ & persecutiões huius vitæ, supremæ felicitate iudicentur: Nouum præmium his qui huius libri doctrinam sequuntur, quia *oculus non vidit, nec auris audiuit 1. Cor. 2.* Et quod magis mirandum est, quod aliquid huius nouitatis Deo conueniat, qui cum per essentiam immutabilis sit, cuius natura nullam mutationem nec nouitatem admittit, vt Sanctus Iacobus dicit, *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. cap. 1.* adhuc tamen, quia intra materna sacratiss. Marię viscera inclusus fuit, quidam nouus Deus apparet, licet enim modus iste incedendi humano more communis sit, & Deum in hoc vestitu homines alloqui fuerint; *Habitu inventus vt homo. Philip. 2.* fuit tamen admiranda ac planè inaudita nouitas, quæ omnes nouitates in Maria sanctissima tanquam in libro nouo scriptæ sunt, & tanquam in magno libro continentur, cum omnia ei⁹ filii magnalia in eo scripta sint, De illius filio dictum fuit, *Hic erit magnus, Luc. 1.* idēde ipsa asserendū est, quæ tantum Dominum & totius vniuersi supremum molitorem in suis purissimis visceribus conclusit. Ipsa de se dixit *Quia fecit mihi magna, qui potens est. Luc. 1.* Id est, quia in me fecit, & mysteria secretissima scripsit. *Ex hoc beatā me dicent omnes genera-*

nera-

296 *Sermo Secundus de Sacratissimo Rosario*

nerationes. Et licet Verbum Diuinū circumferibi non potuerit, quia hoc Deo repugnat, qui ex propria essentia infinitus & illimitatus est, in hoc tamen libro inscriptum fuit, quem admodum & in eo genitum, & consequenter liber iste mirabilis ac planè diuinus, omnes sapientiæ diuinæ thesauros in se comprehendit, quia Christum realiter continuit; *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Coll. 2.* Ille liber ingētis est magnitudinis, in quo generatio, vita, mors & gloria Christi nostri Redemptoris scripta est, & in se triplicem tractatum mirandum planè ac imensum continet: Quilibet horum tractatuum in quinque capita diuiditur, & vñ quodque caput pluribus sacramentis refertum est. Itaque capita huius libri quindecim sunt, vbi sacratissimum Rosarium apertè demonstratur, quod ex mysteriis gaudiosis, dolorosis & gloriosis coalescit, liber planè diuinus & immensus est, in quo miranda & incomprehensibilia mysteria comprehenduntur. Hic omnis sanctorū & Dei sapientia ac cælestis Theologia reposita est; hic vniuersa Ecclesiæ fides, Christianorum spes, & id ad quod filii Dei aspirant continetur. In prima sui parte hoc sacratissimum Rosarium generationem Christi temporalem exprimit; In secunda filiorum Dei generationem in morte primogeniti de-

scriptam indicat; In tertia verò eiusdem primogeniti & suorum fratrum regenerationem, quæ per resurrectionem effecta est, apertè manifestat. Vnum saltem mysterium ex vnaquaq; sacratissimi Rosarii parte breuiter attingamus. In prima mysterium incarnationis, quod inter gaudiosa præcipuum est, perpendamus. Sanctus Dionysius 2. cap. de diuinis nominibus mysteriū incarnationis ineffabile sacramentum his verbis appellat. *Iesu Christi in carne apparitio & ineffabilis est sermōe omni, & omni ignota intelligentia, ipsi quoq; antiquissimorū Angelorum primati non satis perspecta.* Vbi Dionysius non solū affirmat mysterium incarnationis humanæ linguæ ineffabile esse, sed etiam supremo Angelorum Principi non satis perspectum. Quis enim satis intelligere poterit, qualiter eadem Diuini Verbi persona duplicem generationē, sine vlla profus mutatione terminauerit, & vnicus filius duplicem filiationem sortitus fuerit, aliam à Patre Diuino in æternitate, & aliam in tempore à Maria Matre eius virgine etiam post partum persistente? Quis satis percipiet, quomodo natura humana cum Persona Verbi Diuini sine confusione aut imperfectione aliqua conuenit, & terra illa virginalis à viro profus inculsa suum creatore procreauerit? Si Deus ipse qui tantum mysterium operatus est, & omnia quæ

quæ in illo acta fuere, clarissimè in-
tuetur in enarratione huius mysterii
obmutuit, quis creatà linguâ aliquid
proferrè audebit? Si Cherubim, qui
plenitudine scientiæ dotati sunt, a-
las, quibus scientiæ plenitudine vo-
lare possent, contrahunt, nec ali-
quid insinuare audent: Si Augustini
ingenium in huius mysterii con-
templatione hæret, quis vela con-
siderationis extendet ad tantum sa-
cramentum explicandum & verbis
aperiendū? Hinc Beatiss. Mariæ su-
prema Matris Dei dignitas ac reuit,
quæ inter omnes illius excellentias
primatum tenet, vt contra Nestoriū
& alios hæreticos diuersa Cōcilia, E-
phesinū, Chalcedonense & Latera-
nense determinârunt. Hæc digni-
tas tanta est, vt Sancti Patres sem-
per in maximam admirationem
rapiantur, perpendentes, qualiter
in pura creatura reperiri potuerit:
Et Seraphim in cælestibus palatiis
hærent, ac seipos intuentes, ob mu-
tescunt; Deum aded humilem, &
Mariam sacratissimam ad tam su-
premam dignitatem exaltatam, cō-
siderantes, quâ eundem Filium Dei
pro proprio habuit & recognovit,
cui sua virginea vbera præbuit, vt
illius purissimo lacte nutriretur &
sustentaretur, quod postea in Christi
carnem conuersum, Verbo Diuino
hypostaticè vnitum fuit. Quis tante
magnitudinis gloriam, nisi oppres-
sus maneat, contemplari poterit?

Pater enim Diuinus nec maiorem
gloriam, ac diuitias aut maiestatem
habet, quam tali ac tanto filio frui,
& eodem Maria sacratissima poti-
tur, quæ simul cum æterno patre nō
imèritò potest dicere. *Hic est fili⁹ me-
us dilect⁹*. Et si, quia pater & verbum e-
iusdè naturæ sunt, rectè dicitur, *Qua-
lis pater, talis filius*, propter eandem
rationem optimè dici potest, *Qua-
lis mater, talis filius*. & quod maius est,
proferri etiam nostro iudicio potest.
Qualis filius, talis mater. Certū nam-
que est talem esse librum, qualis est
scriptura, quæ in illo continetur; cū
ergò Maria sanctissima verus liber
sit generationis Iesu Christi, suo mo-
do talis erit, qualis Iesus Christus in
illo script⁹. Ex hac inenarrabili ma-
gnitudine habet etiam Maria, quod
liber sit generationis omnium filio-
rum Dei, & omnium Christianorum
mater, quæ generatio in secunda
parte huius libri continetur, quia in
morte nostri saluatoris effecta est,
cū Christus noster parens fuerit, &
Maria sanctissima nostra mater: In
illo enim momento, quo Christus
nos ex suo latere generabat, vbi vl-
timum spiritum Patri reddidit, ipsa
etiam nos generauit & peperit, in
qua generatione Maria sacratissima
sponsa potius, quàm matris personā
gessit. Forsitan hæc fuit ratio & my-
steriū, quare Christ⁹ in cruce nomen
matris conticuerit, & solū Bea-
tissimā Virginem mulierem appella-
uerit

pp

verit

verit. *Mulier, ecce filius tuus.* Ioan. 19. quod nomen maritatis conferri solet. vt patet Gen. 2. cū primus noster parens inobediētiæ & præu-
 ricationis culpam in suam vxorem contulit. *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi.* Gen. 3. Rupertus Abbas hoc mysterium in verbis Christiani aduertit, quibus, inquit, Maria sacratissima in totius humani generis matrem instituta fuit. Vbi Simon Cassianus super relata verba accuratè notat, quòd si ad temporalem Virginis necessitatem attendamus, nõ tãta erat, vt necessariũ foret, quòd talibus verbis eam Evangelistæ commendaret, quia sine tali comendatione ceteri omnes Apostoli Mariæ sacratissimæ inseruirent, ac omnia necessaria ministrarent. Maius ergo mysteriũ in illis verbis, tali tempore prolatis, latuit, necessitas videlicet regenerationis in Christo. & filiatio nostra in ordine ad Dei genitricem Mariam, vt talem ac tantã matrem haberemus; in ea igitur occasione, quæ vltima erat vitæ nostri Saluatoris, voluit Christus suum erga nos amorem totaliter manifestare, & eam etiam dilectionem aperire, quã vellet nos Beatissimam Mariã prosequi, cui tanquam proprios filios ab ea genitos commendabat. Neque dubitandum est, quin piissimum ac fidelissimum Mariæ cor illis verbis auditis *Mulier ecce filius tuus;* quibus Ioannes tanquam pri-

mogenitus inter adoptiuos filios demonstrabatur, novis quibusdam charitatis flammis accensum fuerit, & maximam nostrarum necessitatum sollicitudinẽ, vt verissima mater habuisse. Sed vt ad Rupertũ redeamus, qui intentum nostrum accuratè perpendit, Maria sacratissima in partu sui vnigeniti filii nullum dolorem perpessa est, ita à doloribus aliena fuit, sicut stella firmamenti, cū suam lucem ac micantem splendorem ex se emittit. *Sicut stella radium, profert Virgo filium, pari forma;* suum namque benedictionis fructum summã fruitione & lætitiã produxit, vt docet Isaias cap. 35. *Germinans germinabit, & exultabit lætibus & laudans, gloria Libani data est ei.* Dolores tamen vici; ad sui filii naturalis mortem referuati fuerunt, tunc alium novum partũ sortita est, quando Christianissimus natus fuit, & nos omnes sanguine nostri Redemptoris Iesu Christi reviximus: Quare si vt Christus Filius Dei viui nuncupatur, ita & nos filii Dei mortui appellamur, quæ generatio inenarrabilis & exquisita est, quam nullus mortalium vnquam aspexit, aut audiuit, vt Isaias dicit cap. 66. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit &c. Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quis parturiuit & peperit Sion filios suos?* In quibus verbis generatio ista mirabilis apertè insinuatur, quam in alio

lio loco inenarrabilem vocat idem Propheta cap. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Vbi Evangelicus Propheta, vt constat extoto contextu, loquitur de Christo. Sed quia in Christo Redemptore nostro fides catholica triplicem generationem, duplicem passiuam, & vnam actiuam designat; generationem videlicet æternam, per quam ab intellectu facundo Patris ex æternitate genitus fuit: Generationem temporalem, secundum quam factus homo, ex Maria sacratiss. natus est: Et generationem actiuam, non quidem eam, per quam genitus fuit, sed eam secundum quam vniuersos fideles genuit; idem dubium esse potest, de qua istarum generationum loquatur Propheta, cum ait eam esse inenarrabilem. Sanctus Hieronymus affirmat de æterna loqui Isaiam, quia de temporali egit Matthæus in nostro Evāgelio dicens, *Liber generationis Iesu Christi.* Alii dicunt, verba Prophetę intelligenda esse de generatione Christi secundum carnem, quia licet Evangelistę dicant, Christum verum Deum & hominem ex matre, etiā post partum virgine conceptum & generatum fuisse, modum tamen generationis, vt pote inenarrabilem, omiserunt, & idem cum Beatissima Virgo modum huius generationis ab Angelo intelligere vellet, *Quomodo fiet istud &c Luc. 1.* Archangelus Gabriel, vt inenarrabilem creatā lin-

guā reliquit, & ad Spiritus Diuini omnipotentiam confugit, quia in tanti sacramenti operatione, Deus post se ianuam oclufit, sicut in suscitando filio viduę fecit Elisæus. Alii dicunt verba Prophetę propriissimè intelligenda esse de hac tertia generatione actiuā, quā Deo omnes Dei filios per gratiam generat, ac proprio sanguine & morte viuificat. Sed licet de his omnibus generationibus verificari possit dictum Prophetę, si tamen ad litteram attendamus, videtur de hac tertia generatione loquutum fuisse Prophetam, vt ex contextu patet, immediatè enim dicit, *Quia abscissus est de terra viuentium.* Et subdit postea, *Si fuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum.* Quod idem de se ipso aliis verbis dixit Christus, *Si granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, multū fructū affert. Ioan. 12.* Ratio verò, quare generatio ista filiorum Dei ita inenarrabilis sit, videtur apertè colligi, si ad alias generationes attendamus, & causam investigemus, quare ita admirabiles sint. Et puto esse mentem Sancti Athanasij, æterna enim Verbi generatio idem admirabilis extitit, quia ex patre Diuino absq; matre fuit; temporalis etiam Verbi generatio, propterea admiranda fuit, quia ex matre sine patre facta fuit: Tertia verò generatio ex hoc capite videtur admirabilior, quia videlicet ex patre mor-

tuo causata fuit. Quia abscissus est de terra uiuentium. Quis vnquam vidit vel audiuit, quodd homo mortuus hominē viuū generaret? Christus igitur moriens, & mortuus innumerabiles filios viuos procreauit, & hoc est, quod dicit Propheta. *Generationē eius quis enarrabit?* Quis enim tot filiorum Dei generationem, ex patre mortuo ortam, enumerare poterit? *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat &c. Apoc. 7.* Et non solum ex patre mortuo, sed etiam ex mortua matre hæc filiorum Dei admirabilis regeneratio deriuata fuit, quæ nos omnes iuxta crucem maximis animi doloribus & angustiis peperit. Ad hanc vsque horam dolores Beatissimæ Virginis, quos in partu nõ sustinuit, reseruati fuerunt, in qua dolore excessiuo nos genuit. Quare eam meritò verā Rachelem nuncupare possumus, quæ post partum sui primogeniti Ioseph, Benjamin, id est, christianum populum summo dolore & mortis gemitib. peperit. Et tandem ex hoc partu mortua est, quia licet stans iuxta crucem, illius anima sanctissima non fuerit à corpore separata, eius tamen filius, qui vita Mariæ sacratissimæ & totius vniuersi erat, mortuus fuit, quod insinuant illa Simeonis verba. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2.* Tali mortis genere ac tantis doloribus suum Benjamin peperit, quæ *Benoni* nun-

cupauit, quæ vox *filium mei doloris* significat. Hac ergò miraculosa generatione voluit Deus, vt modo possibili, & filii eius, & simul fratres simus: filii quidem, quia proprio sanguine genuit; fratres verò, quia filii sumus Beatiss. Virginis, quæ mater illius extitit, vt sic tanquam veros filios, & dulcissimi Iesu fratres diligeret & foveret: cui mysterio illa Ecclesiæ verba nituntur. *Monstrate esse matrem &c.* Ex quibus omnibus euidenter inferitur, Mariam sacratissimam librum esse actiue generationis Iesu Christi nostri Saluatoris. In tertia parte huius libri agendum erat de regeneratione Christi in sua sacratissima resurrectione, & de regeneratione suorum filiorum in ordine ad assequitionem vitæ æternæ, ita enim vocat Christus saluator noster vniuersalem resurrectionem. *In regeneratione cum sederit filius hominis &c. Matth. 19.* Sed longius solito nostrum sermonem protraximus, concludamus ergò asserentes, quodd illi, qui librum istum legerint, elucidaverint, & continuam meditatione ac suæ doctrinæ imitatione evolverint, vitam æternam habebunt. Itaque non promittit Deus vitam æternam his, qui solum librum istum evolverint & legerint, sed eis, qui sanctam imitatione & operibus comprobaverint. Idem Evangelista Ioannes in libro suarum revelationum, in quo omnia ista quindecim mysteria scri-

scripta sunt, sic ait. *Beatus qui legit & audit verba prophetiæ huius, & obseruat ea, quæ in hoc libro scripta sunt &c. Apocal. 1.* Quo non obstante qui sunt maximi peccatores, & propriæ salutis obliuiscuntur, nunquam Beatissimæ virginis deuotionem, & illius Rosarium sacratissimum omitant; Quia licet solum Rosarium sine vitæ honestate ad vitam æternam assequendam non sufficiat, multum tamen prodest ad vitam in melius commutandam. Multi enim ad vitam æternam prædestinati sunt, & medium ad illius assequutionem, intercessio est Beatissimæ virginis, quæ à Deo vitæ nostræ emendationem efficaciter impetrare solet, vt de Paulo affirmat. S. Aug. quod Ecclesia eum non habuisset, nisi per orationes Stephani. Ided certè tenendum est, quod per merita & suffragia Mariæ sacratiss. tanquam per media, sine quibus finis non obtineretur, multi saluantur. Quare quando aliquos ergà Beatissimam virginem & eius Rosarium sacratissimum affectos aspexeritis, maximam de ipsorum salute fiduciã concipite, Maria enim Sanctissima pro illis perpetuum patrocinium agat, vt depravatos mores in meliorem vitam commutent, & consequenter remissionem suorum peccatorum assequantur; deuotio namque illius, quæ in Rosario magis splendet, felicissimæ mortis & æternæ beatitudinis

prognosticū est. Et ratio huius esse potest, quia Maria sacratissima misericordiæ mater est, & peccatorum aduocata, ad quorum defensionem strictissimis vinculis tenetur: Si enim in mundo peccatores non essent, Verbum Diuinum carnem nostram nõ assumeret, & consequenter matrem non haberet. Si ergo tantum bonum, & tam suprema felicitas ex deuotione illius expectatur, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt pro nobis in hac vita gratiam obtineat, & in alia hereditatè filiorum Dei, quæ est vita æterna, quam mihi & vobis præstare dignetur Iesus Christus, Amen.



Sermo Tertius

PRO SALVTATIONE

Angelica.



ysteriosa sunt illa verba sponsæ ad suum charissimum sponsum dicta. *Labia tua sicut vis-ta coccinea, & eloquium tuum dulce. Cant. 4.* Quæ quasi à sponso suæ sponsæ dicta, rectè usurpari possunt, iuxta sententiã S. Aug. qui censet, ea quæ in Canticis Can-

Pp 8

ticorum

302 Sermo Secundus de Sacratissimo Rosario

ticorum afferuntur, sponso & sponsæ accommodari posse, ppter unitatē, quam efficit amor inter amantes, qui diuersas personas adunat & copulat. Dicit ergo sponsus cuiunque animæ sibi per gratiam desponsatæ, quæ Rotarium deuotè recitat. *Labia tua sicut vitra coccinea:* Quibus verbis efficacia orationum sacratissimi Rosarii ad impetrandum ea, quæ à Deo postulatur, aperitur; si debitis circūstantiis proferantur, in alia enim versio sic legitur. *Labia tua sicut funiculus coccineus:* vbi duæ orationis proprietates notantur; imprimis, quod debeat esse humilis, ex humili & sincero corde procedens, quæ nostram miseriam & imbecillitatem fateamur, *Sicut funiculus coccineus;* illâ voce diminutiua *funiculus,* humilitas orantis demonstratur. Alia etiam Rosarii proprietates in illis verbis latet, *Sicut funiculus coccineus;* purpura enim olim insigne erat Regiæ Maiestatis & supremæ potentie, idè Reges apud veteres, homines purpurei vocabantur, oratio ergo vt efficax sit, & humilis, & supremæ potentie Dei manifestatiua esse debet, quæ si his circūstantiis exornetur, ita ad desiderata impetranda efficax est, vt Deum quasi funiculo cōstringat ad nostras petitiones acceptandas & implendas. Quod si hoc ita est, certò nobis promittere possumus, hodiernâ sacratissimi Rosarii die spiritus Diui-

nigratiam, si priùs oratione Angelicâ humiliter Mariam Sanctissimam salutemus, cum oratio humilis funiculus sit, quo Deus fortissimè cōstringitur, vt nostris petitionibus annuat, Dicamus Ave Maria.

Itaque omnes communi consilio decreverunt, nullo modo diem istum absque celebritate præterire, 2. Machab. cap. 15.

Verba prædicta, historiæ nostræ festiuitatis rectè congruunt, idè ea tanquam fundamentum eorum, quæ de sacratissimo Rosario dicenda sunt, propõere decreui, quibus Spiritus Diuini victoriæ cuiusdam celeberrimæ historiæ concludit, quam Iudas Machabæus de populi Dei hostibus obtinuit. Breuiter historiæ referam. Demetrius Rex Siriæ à proditoribus incitatus ac persuasus, per tyrannidem magnam Machabæum, & eos qui illum sequebatur, opprimere statuit, ad cuius exequutionem Nicanorem, qui Elephantis Regis sub sua cura habebat, tanquam Ducem genetalem sui exercitus designauit, hoc mandato & dispositione, vt Iudam Machabæum captiuum duceret, & omnes illius destrueret, ac Alcimum schismaticum, qui Regem contra Dei populum concitauerat, ad summum pontificatus dignitatem eueheret

ret. Nicanor ergo superbiâ elatus, diem sabbathi designauit, vt in magnum ducem Machabæum & eius populum irrueret. sabbatum tunc ita rigorosè à ludæis obseruabatur, quod tempore Mathatiæ Machabæorum parentis, potiùs ab exercitu Regis Antiochi se trucidari, quàm die sabbathi arma capere, permisissent, tãti Sabbathi dies apud illos habebatur. Sed rebus meliùs consideratis. Mathatias & vniuersi Principes Ecclesiastici iudicârunt, pro vitæ & patriæ conseruatione obseruantiam sabbathi omitti posse. Existimans ergo superbus Nicanor, se omnes Machabæos ad bellû imparatos inventurum, tali die festo eos aggredi conatus est. Multi ex Israelitis, qui necessitate coacti Nicanoris vexillû sequebâtur, eum rogârunt, vt solemnitati parceret, ac pugnam ad sequentem diem differret. Nicanor verd infelicitissimus ita interrogans, respondit. *Si est potens in cælo, qui imperauit agi diem sabbathorû? Cui cum Israelitæ responderent. Est Dominus viuus ipse in cælo potens, qui iussit agi septimam diem.* Ille in superbiam elatus sic effatus est. *Et Ego potens sum super terram, qui impero sumi arma, & negotia Regis impleri.* Deus tamen non permisit, vt deprauata istius tyranni desideria explerentur. At Iudas Machabæus omnem suam spè ac fiduciam in Deum collocauit, nec de cælesti auxilio & victoria ob-

tinenda vnquam dubitauit. Quare efficacissimis rationibus suos exhortabatur, mirabiles planè victorias in memoriam reuocans, quas ipse, & populus Dei contra potentissimos hostes, qui viribus & potentiâ ipsos superauerât, consequuti fuissent, quibus omnibus inclytus Machabæus suorum animos ad pugnam excitauit. Sed ne existimarent eum sine fundamento, aut ex sola præsumptione verba facere, quæ admodum alii generales efficere solent, qui etiam aduerso bello pugnantes, suis militib, ne animis deficiât, certissimè victoriam promittunt, somnium, quod præcedenti nocte sôniauerat, eis retulit, de quo refert sacra scriptura dignissimum fuisse, vt ei tanquam diuinæ reuelationi fides adhiberetur, cuius narratione sui milites nouas vires & animum acceperunt. Vidit enim in somniis sanctiss, ac venerabilissimû virum summum Sacerdotem Oniam, qui eleuatis in cælum manibus pro vniuerso populo deprecabatur, & statim alius ætate venerabilis, & pulchritudine ac maiestate insignis ei apparuit, de quo sanctus Pontifex Onias dixit. *Hic est fratrum amator & populi Israel: Hic est, qui multû orat pro populo & vniuersa Sancta ciuitate, Ieremias Propheta Dei.* Tunc Sanctus Propheta Ieremias dextrâ manum extendens, Principi Machabæo aureum gladiû concessit, dicens.

cens. Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel. Quibus verbis uti solet summus Pontifex in coronatione Imperatoris. Confortati itaque omnes sermonibus illius contra superbum Nicanorem, qui bellico apparatu, militum multitudini, bestiarum, quas secum ducebat, feritati nitebatur, fortiter dimicaverunt. *Manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque milia, presentia Dei mirifice delectati.* Et Nicanorem cum suis armis iacentem invenerunt; Iudas vero præcepit, ut caput Nicanoris, humerus & manus absunderentur & Ierosolymam deferrētur. In vicissim, vero Dux triumphali pompa convenientibus, universis sacerdotibus, & his qui in arce erant, Ierosolymam ingressus est, ubi eis caput Nicanoris ostendit, & manum sacrilegam, quam templo minatus fuerat, contra templum affigi præcepit, ac blasphemam linguam in minutissimas particulas diuisit, ut eas volucres cæli comederent: Tandem caput ex supremo fortaliti loco appendi iussit, ut auxilium divinum toti universis evidenter constaret. Omnes ergo Deum benedicentes, propter tantum beneficium eximie laudibus eum extulerunt, in signum gratitudinis & in perpetuam memoriam. *Omnes simul decreverunt, nullo modo diem i-*

stum absque celebritate præterire. Et statuerunt, ut tanta victoria tertia decima die mensis Adar, id est, pridie Mardochæi die, quæ erat decima tertia Februarii, iuxta aliquorum computationem, quia Hebræi annum à Martio enumerare incipiunt, iuxta quorum enumerationem, dies tantæ celebritatis designata fuit in Vigilia alterius maximæ festivitatis, quam populus in memoriam libertatis, quam à Rege Assuero, mediâ Regina Esther & Mardochæi meritis, celebrabat, quæ celebritas dies Mardochæi vocabatur. Quæ cum ita sint, quis non videt, Charissimi auditores, prædictam historiam figuram fuisse alterius, quæ nostris sæculis accidit, in illa celeberrimè præclarissima victoria, quam Ecclesia Catholica ad Nava pactum Achaici sinus à Turca totius Ecclesiæ & fidei Catholicæ infestissimo hoste, summam gloriam & omnium Principum Christianorum communi acclamatione consequuta est? *Omnia in figura contingebant illis,* inquit Apostolus. Ea enim quæ in veteri testamento accidebant, quæ in nouo evenitura erant, figurabant. Ibi Demetrius Rex tyrannus & populi Dei inimicus, hic Turca Christiani nominis hostis deterrimus; ibi Demetrius Ierusalem & sanctum Dei templum devastare conabatur, hic Turca Romam & universam Ecclesiam; Ibi pagani exercitus Generalis fuit Nicanor, & fidelis exercitus Iudas

as Machabæus, hic Turcarum dux fuit Bassa, & nostri exercitus catholici Serenissimus princeps & Dominus Ioannes de Austria, ibi Paganus exercitus Dei exercitum viribus, potentiâ, equorum & elephantum multitudine ac militibus superabat, hic etiam Turca nostros potentiâ multitudine navium apparatu excelluit: Ibi pagani suis viribus, militum multitudini ac bestiarum feritati nitebantur, populus verd Dei soli misericordix, & auxilio divino fidebat, ibi propheta Sanctus in cyto Machabeo his verbis gladium contulit. *Accipe Sanctum gladium munus à Deo, in quo deities adversarios populi mei Israel.* Hic Sanctissim^o Pius quintus Pontifex Maximus Serenissimo Domino Dño. Ioani de Austria, quem ducẽ Generalem Ligæ catholicæ destinaverat, hac legatione Rosarium benedictum misit. *In hoc signo vinces:* Qui Rosario accepto, diuinâ quadam fortitudine ac robore confortatus, Deo & Beatissimæ Virgini confidens, omnes triremes ac naues visitas, milites, Capitæos & Principes, qui ibi aderant, confirmavit & ad pugnam extrenuẽ excitavit. Tandem ad suas triremes rediẽs, ad arma signum dedit, & hostibus nostræ fidei optimo ordine ac dispositione occurrit. Non est huius loci ea latè prosequi, quæ in illo nauali bello acta sunt, filiorum scilicet Ecclesiæ animum, &

egregia facinora, quæ Deo & Beatissimâ Mariâ adiuvente patrata fuerunt; nam de his plurima in historijs tractata reperientur. Gloriosissimam sanè victoriam, & splendidissimam trophæa de hoste reportarunt, in aquis enim caput draconis confregerunt, mare pagano sanguine aspergentes, superbiâ etiam pompâ & apparatu illius secundi luciferi in mare concidit. *Pharaonem & exercitum eius proiecit in mare.* Quæ omnia prima Dominica octobris evenerunt, Año millesimo quinq. septuagesimo primo, hora nona hui^o diei, quæ dies est veri Mardochæi, Christi Salvatoris nostri, in qua perpetuè suæ triumphantis resurrectionis & libertatis totius gæneris humani memoria agitur. Hac igitur die & horâ, cum in nostra sacrosancta Prædicatorum religione processio sacratiss. Rosarii singulari devotione in hunc finem celebraretur, sicut & singulis primis Dominicis mensis celebrari solet, assistente etiã nostræ processioni Sanctissimo vniuersali, Ecclesiæ Pastore Pio quinto, nostræ sacræ religionis gloriosissimo fructu, & Rosarium manibus gestante, qui, vt refertur, & certò creditur eadem horâ ex revelatione diuina cognouit, nostros contra hostem actualiter decertare in eodem prorsus loco, in quo Octavianus Augustus in signem illam victoriam ab Antonio & Cleopatra Egypti Regina consequutus fuit, maximâ post homi-

Qq

num

num memoriam victoria, vi & efficaciam sacratissimi Rosarij parta est. Publicata iam victoria, & triumpho gloriosissimo atque omnibus letitiam signis per totum orbem celebrato, Sanctissimus Pontifex Pius quintus ad caelestia praemia capescenda vocatus fuit, cui in Pontificatu successit Gregorius decimus tertius, qui sui praedecessoris mentem & pias cogitationes morte praeventas, prosecutus est; inter alia enim privilegia, quibus nostram Rosarii confraternitatem mirifice illustravit, hoc etiam inter illa computatur: Nam diem statuit, in qua singulis annis festum sacratissimi Rosarii omni pompa & apparatu in toto orbe celebraretur, in illius insignis victoriae memoriam, quae ab hostibus nostrae fidei, non vi armorum, praecipue cum in his Christiani a pagano exercitu superarentur, sed orationibus sanctissimi Rosarii gloriosissime obtenta est. Ita perspicue fatetur Gregorius Summus Pontifex in sua Bulla, quae incipit. *monet Apostolus in omnibus gratias agere &c.* In signum ergo gratitudinis & gratiarum actionis diem festum destinavit, in quo tam insignis & praecleara victoria, orationibus Rosarii obtenta, in memoriam omnibus fidelibus reuocaretur. *Itaque omnes communi consilio decreverunt, nullo modo diem istum absque celebritate praeterire.* Et qui sunt omnes, qui diem istum celebrandum statu-

runt? Imprimis sanctissima Trinitas, cuius mysteria, diuina attributa, providentia, amor, & cura erga suam Ecclesiam, in tam illustri victoria ostensa, in sacratissimo Rosario celebrantur. Beatissima etiam Maria, cuius intercessione, & precibus tanta victoria parta est: Tandem Summus Pontifex spiritu diuino inspiratus, *Visum est Spiritui Sancto & nobis. Omnes communi consilio decreuerunt, nullo modo diem istum absque celebritate praeterire.* Quia haec victoria nostra est, idem spirituali gaudio singulis annis in gratiarum actionem celebranda est, ut Deus tanquam illius auctor cognoscatur ac praedicatur. Quando Iosue insignem illam victoriam contra suos hostes adeptus est, & Solis ac Lunae naturalem cursum miraculose cohibuit, ut isti planetae ex parte filiorum Israel starent, de victis iam quinque Regibus & aliis inimicis populi Dei, circa hanc victoriam verba quaedam mysteriosa ad nostrum propositum profert scriptura sacra. *Reuersus est omnis Israel sano & integro numero, & nullus contra filios Israel mutire ausus est. Iosue. 10. cap.* In Hebraeo textu sic legitur. *Nec vnus ex populo Israel ausus est mutire in lingua sua.* Mirandum plane est, quod nullus ex filiis Israel post tot trophaea ab hoste reportata, ne vnus verbum proferre ausus fuerit, quo tantae victoriae gloriam manifestaret! Sola modestia

deſtina & ſilentio eam celebrarunt. Origenes locum iſtum, ac myſterium perpendens homilia. 12. ſic ait. *Filios Iſrael poſt partam victoriam, non mutire in lingua ſua, ſignificat, non ſibi tribuere victoriam, ſed ei qui triumphare eos facit per Ieſum Chriſtum.* Ac ſic manifeſtè & clarè diceret Filii Iſrael nec vocibus, nec militari ſtrepitu, ſed modeſtè & ſilenter ſuā victoriam celebrarunt, ne forſitan viderentur tantæ victoriæ gloriam ſibi tribuere: *Aſpexerant prius ſolem & lunā ſuum natiuum curſum miraculoſè cohibentes, & auxilia diuina manifeſta, quibus tantam hoſtium multitudinem ſuperauerant, ac omnino deiecerant, ideò non propriis viribus, ſed diuinæ potentie victoriam attribuebāt.* Hæc ergo cauſa & motiuū etiam fuit, quare Summus Pontifex ſpiritu diuino ductus, peculiarem diem in Eccleſia deſtinauerit, vt victoria Chriſtianorum contra Turcam obtenta, ſpirituale gaudium & gratiarū actione celebretur, vt aperte conſtet talem victoriam, & glorioſum triumphum, non viribus propriis, non gladio aut tormentorum vi, ſed ſpirituallibus ſacratiffimi Roſarii armis, precib⁹ ſcilicet, quæ tempore pugne in tota noſtra ſacra religione à ſodalibus fundebantur. *Nec vllus ex populo Iſrael auſus eſt mutire in lingua ſua.* Nullus eſt, qui victoriam iſtā viribus humanis tribuat, ſed diuinę

virtuti ac potentie, quæ per Roſarium ſacratiffimum hæc mirabilia operata eſt. *Itaque omnes communi conſilio decreuerunt, nullo modo diem iſtum abſqua celebritate præterire.* Et merito ſanè. Quia non ſolùm victoria ad Naupaſtum Achaici ſinus de Turcarū Claſſè à Chriſtianis obtenta celebratur, ſed etiā myſteria noſtræ redemptionis, quæ in Roſario cōtinentur, memoriæ aſſiduè evolvenda, & intellectui contemplanda proponuntur, ideò peculiaris dies deſtinandus erat, in quo fideles maiori lætitiā & iucūditate exultarent. Si enim ab Eccleſia pro vnoquoque myſterio noſtræ redemptionis, ad illius celebrationem certa dies deſignata eſt, quare pro omnibus myſteriis ſimul celebrandis deſignanda non erat, cū ſint maxima & ſuprema beneficia hominibus collata? Quæ enim maiora excogitari poſſunt, quàm beneficiū redemptionis, cū Deus noſtram naturam aſſumpſit, vt homines Deos faceret factus homo, & beneficium iuſtificationis in ſanctificatione Ioannis, intra vterum maternum re præſentatum? Prætereo cætera, quæ vtique præclariffima ſunt, cū videlicet ſupremus totius vniuerſi, & Angelorum Dominus in ſtabulo inter bruta animantia natus eſt, ac Redemptor ipſe in tēplo redemptus, cū inter Doctores diſputauit; & in cruce pro nobis oblatuſ fuit; Hæc

Qq 2

omnia

omnia mysteria & alia quæ in Rosario cõsiderantur, cęlestia ac planę diuina sunt, ided ad eorum celebritatem cõmuni consilio celeberrima dies statuenda erat, quæ omnibus aliis lætior & iucundior foret. Exodi. 12. cap. præcipiebat Deus filiis Israel circa esum agni, vt agnicorpus certis quibusdam cæremoniis cõederent, ac caput, intestina & pedes, non solum his cæremoniis, sed certo quodam conatu & vehementiã, ita vt se voraces esse manifestarent circa harum partium esum. *Non comedetis ex eo crudũ quid, nec colũ aquã, sed assum tantũ igni: Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis.* Quo planę indicauit Deus, omnia alia beneficia hominibus collata, celebranda quidem esse, ista tamen, quæ hac die repræsentantur, in quibus caput & pedes Christi in dissolubili vinculo connectuntur, Deus videlicet & homo: Deus, & in præsepio iacens, virgis cęsus, spinis coronatus, in gloriosa etiam & triumphante forma, quibus omnibus huius agni cęlestis viscera amore diuino inflammata, demonstrantur, maioribus & iucundioribus lætitię signis ostentanda esse. Hęc beneficia & mysteria diuina in sacratissimo Rosario contenta, ad viuũ exprimuntur in illa mysteriosa visione Moysis, cũ in deserto Madian, vbi suum gregem pascebat, Deum in medio rubi ardentis aspe-

xit, qui tantũ miraculum admirans, quod scilicet rubus arderet, & non cumbureretur, nec ab igne consumeretur, dixit. *Vadam, & videbo visionẽ hanc magnam, quare nõ comburatur rubus.* Exod. 3. Cõmunis sententia Doctorum est, rubum flammã ignis incombustum, non solum Ecclesiam variis tribulationibus vexatam significare, vt explicat Hieronymus lib. de mansionibus, sed etiam nostrã fidei mysteria, præcipuẽ sancti Rosarii, tam gaudiosa, quã dolorosa, & etiam gloriosa indicare. Nam imprimis. S. Theodoretus Q. 6. in Exod. & S. Bernardus serm. super Missus est; docent rubum figurã gessisse Marię sanctissimę Reginę Angelorũ, ac Matris vnigeniti filii Dei, quæ ipsum sine sui vteri corruptiõne peperit. S. Gregorius serm. de natiuitate Christi, & Eucherius in formulario spirituali cap. 4. & S. Leo Papa affirmant, rubum humanitatem Christi igni suę diuinitati vnitam expressisse, quę taliter cum diuinitate connexa fuit, vt nec eam consumpserit glorificatio, nec diuitatem minuerit assumptio. S. Gregorius homilia. 7. super Ezech. asserit, demonstrare Deitatem, quæ carnis nostrę dolores, quasi rubi spinas suscepit. Tandem. S. Hiero. lib. citato de mansionibus, & Venerabilis Beda dicunt, figuram fuisse gloriosę resurrectionis Christi nostri Saluatoris, & eius Matris sanctissimę.

Quæ

Quæ cum ita sint, nostro iudicio rubus iste mysterosus, & in antiqua sinagoga tam celebris, in nostrum Rosarium sacratissimum commutatus est, vbi Prophetia Isaia videtur impleta. *Pro saliuuca ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus: Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. Cap. 55.* Ac si aperius diceret, Felicissimū tempus aduenit, in quo saliuucula spinis oblecta in suauissimam abiem conuertetur, & pungens vrtica in myrtum odoriferum commutabitur: ita similiter rubus, aliàs spinosus & ex se inspidam fructum proferens, in diuinum rosetum tanta fragrantia & vtilitatis commutabitur, vt profectu & floribus eū sibi vendicet, qui per excellentiā flos cāpi, & omnium gentium salus, ac cælestis medicina humani generis nuncupatur. Rosetum planè diuinū Hiericho, sine spinis pulcherrimas rosas produccens; Si enim, S. Basilius Homil. 1. in Exame. & S. Aug. affirmant, tempore iustitiæ originalis, rosam sine spinis enatam fuisse, & sic deinde producendam, si status iustitiæ originalis perseuerasset, quia spinæ in pœnam peccati primi hominis simul cum rosis nascuntur, optimo sanctiure asserere possumus, quod post primi hominis reparationem per Iesum Christū factam, & sanctitatem Mariæ sacratissimæ, rosetum hoc diuinū pro rosis Christum & Mariā con-

tinens, spinis profus catebit, & nihil nisi diuinam quandam pulchritudinem, suauitatem ac mirā dulcedinem demonstrabit, ac præ se feret. Et erit Dominus nominatus in signum æternū, quod non auferetur. Hæc etiam secunda pars Prophetiæ in sacratissimo Rosario videtur impleta, in quo Christus & Mater eius sanctissima, tanquam in signo & figura æterna exprimuntur, quæ nunquam ex ore, manibus aut sanctis considerationibus nostris auocanda erat. Quapropter, charissimi filii, vnusquisque vestrum hodiernā luce cum Moysē hæc verba proferat. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam. Quæ quæso, visionem? non aliam planè quàm deuotionem & confraternitatem sacratissimi Rosarii Beatissimæ Virginis, quæ meritò magna visio nuncupatur; Quia confraternitas nostra, & deuotio sacratissimi Rosarii omnes alias sub se comprehendit, vtpotè omnia mysteria nostræ redemptionis, vitæ & mortis Mariæ sanctissimæ, ac nostri Redemptoris complectens. Magna, quia omnes gratias & indulgentias aliarum sodalitatū includit, in quo videtur quandam gratiarum plenitudinem sortiri, sicut & Beatiss. Virgo in se plenitudinē quandam gratiæ sortita est: Magna, propter Sodalium immensam multitudinē, omnes enim à summo Pontifice vsq; ad infimum hominū Rosarium manib, gestat, consideratio.*

310 *Sermo Tert. de Sacratiss. Rosario B. Virg.*

Generatiōe evoluunt, ac in nostra so-
dalitate inscripti sunt: Magna, pro-
pter multitudinem miraculorū, quę
in ea patrata sunt. *Vadam & videbo
visionem hanc magnam.* Magna eti-
am, quia suos sodales in filios dile-
ctissimos Marię sanctissimę com-
mutat. Sanctus Ambrosius super il-
la verba sponsi, ad suam charissimā
sponsam directa *Venter tuus sicut a-
ceruus tritici &c. Cant. 7.* affirmat,
Christum Dominum, de quo dictū
est. *Nisi granū frumenti cadens in ter-
ra mortuum fuerit &c. Ioanni. 12.* om-
nes electos in se continere, qui v-
num tritici aceruum conficiunt, &
Beatissimam Virginem omnes etiā
electos suo utero comprehendisse,
ad eum modum, quo in utero Rebec-
cę vterque populus Iudeus & Gen-
tilis mysticē contentus fuit, cum hac
tamen differentia. Nam sicut inter

Apostolos Ioannes Evangelista fi-
lii Beatissimę Virginis titulum pe-
culiari quadam adoptione sibi v-
surpauit: Ita etiam nostri sacratissi-
mi Rosarii sodales & confratres spe-
ciali quadam adoptione Marię filii
sunt, vt ipsa nostro Patri Beatissimo
Dominico revelauit. Tandē magna
est hæc sancta confraternitas, quia
in earubus ardet, & nunquā cōburi-
tur, per totum enim vniuersum fer-
uet & splendidissimē micat hæc sa-
cratissima deuotio, & nunquam cō-
sumitur, sed indies in cordibus sōda-
lium per gratiam crescit, & in futu-
ro sæculo per gloriam consumabi-
tur, quam mihi & vobis præsta-
re dignetur Iesus Chri-
stus. Amen.



*Laus DEO, Beatissimę Virgini MARIAE,
ac Sanctiss. Patriarcha nostro Dominico,*

*Omnia censura Sacrosancta Romana Ecclesia humilimē
Subjicio, quę columna & firmamentum veritatis est.
1. Thimoth. 3.*

AVCTOR



AUCTOR LIBRI
 AD AVGVSTISSIMAM
 COELORVM RE-
 GINAM.



DIVA, tuo ductu magnum superauimus æquor;
 In portu stat cymba. Sed hoc tibi laudis habeto
 Fragmentum, pia Mater, adhuc; hoc symbolum amoris;
 Hanc arrham submissi animi, atque tuo igne flagrantis,
 O super eximios hominum pulcherrima partus.

Nulla tibi similis, tibi nulla secunda, pudoris
 Tu flos & palma, & Vitæ fons atque salutis,
 Casta, venusta, decens, speciosa & amabilis inter
 Mille alias, iterumquæ alias mille inter, & inter,
 Myriadas mille, Vt me occulto numine tangis?
 Vt mea lætitia ingenti & dulcedine tacta
 Mens salit? Vt suaues circum præcordia motus,
 Dùm te concipio, experior? Quæ gaudia vultu
 Præsentis inspecta dabis, quàm larga supernis
 Lætitiæ argumenta choris, te fulgidam amictu
 Insolito quando aspiciunt, circumquæ vibrantes
 Tempora stellarum radios, cui Cynthia plantas
 Ambit honorato amplexu & vestigia fulcit?

Inclina, Mater, faciem, & formosa tueri
 Ora sine: vt tandem stola gloriæ, amictus honoris
 Candidus, & Vitæ chlamys immortalis obumbret,
 Quæ præcincta sinu laxo sancta ægmina claudis,
 Me quoque in æterno Elysi. Hic mihi terminus esto,
 Hæc meta & finis votorum, ô DIVA, æforum.

EPI-

1116
79

MAMIAE
MORPHOLOGICA

FRIS



INDEX

DISCURSIVM ET PRAE- CIPVARVM RERVM, QVAE IN hoc opere continentur.

*Litera P. denotat paginam, C.
Columnnam.*

A



- Abraham non permisit, ut seruus super suum femur manum poneret ad iuramentū faciendum, sed sub femore, & quare?* p. 50. c. 1. & 2.
- Abraham propter obedientiam, strictā cum Christo affinitatem contraxit, & Christi parens in Evangelio conscribitur.* p. 97. c. 1.
- Abraham sub femore suo iuramentum petijt, cum alias iuramentum non nisi super rem sacram fieret, & quare?* p. 131. c. 1.
- Acham propter auream linguam furatam lapidibus obrutus fuit, & merisd.* p. 143. c. 1.
- Actiua & Contemplatiua vita germanā coniunctione connecti debent, sicut Martha & Maria.* p. 232. c. 2.
- Actiua vita Contemplatiuam iuvat.* p. 189. c. 2.
- Ad Mariam spectat negotia hominum decidere, & eos Deo conciliare.* p. 42. c. 1. & 2.
- Agabus propheta Paulum euntem in Hierusalem zonā alligauit, & quare?* p. 199. c. 2. & p. 200. c. 1.
- Aegyptij per figuras quasdam in pergameno depictas suos conceptus explicabant.* p. 262. c. 1.
- Alexander noluit ut alius nisi Apelles & Lysippus eius effigiem depingerent.* p. 178. c. 2.
- Amicitia mundana tam diu durat quā diu utilitas amici, & rectē vitro vini cōparatur.* p. 94. c. 2. & p. 95. c. 1. & 2.
- Amicitiam vinculo cognationis firmatam, Deus nobiscum contraxit, ut diutiùs duraret.* p. 97. c. 2.
- Amor ad magna pericula sustinda & egre-*

Rr

Index discursuum

- & egregia facinora patranda no-
 strum animum excitat. p. 117. c. 1.
 Amorem & benevolentiam tunc erga nos
 Deus ostendit, cum nobis in tribulati-
 onibus prestò adest. p. 96. c. 1. & 2.
 Amoris hæc est vis, vt a mantē extra pro-
 priam naturā collocet, & in amatū
 transformet. p. 103. c. 2. & p. 104. c. 1.
 Amor Iacob erga Rachel & Ioseph. p.
 276. c. 1.
 Amor in principio habet visū perspicua-
 tē, in sine verò cæcus est. p. 102. c. 1. & 2.
 Amor magnus Deus appellatus fuit à Pla-
 tone, quia de Deo & hominibus tri-
 umphat. p. 116. c. 2.
 Amorem suum maximum Deus in crea-
 tione erga hominem ostendit. p. 117.
 c. 1. & 2.
 Angeli beati ita peccata detestantur,
 vt si in potestate eorum situm esset,
 statim peccatorem æternis supplicijs
 deputarent. p. 135. c. 1.
 Angelos Deus produxit in calo Emphy-
 reo, & Adamum in Occidente, &
 Euam dormiente Adamo, & quare.
 p. 41. c. 2. & p. 46. c. 2.
 Angelus non laudauit Mariam de ex-
 ternis bonis, sed de internis, scilicet
 gratia, & quare. p. 107. c. 1.
 Angelus non permisit se ab Evangelista
 Ioanne adorari, & quare. p. 121. c. 2.
 Angelici Spiritus faciē & pedes, ac totū
 Deum velabant, & quare. p. 119. c. 2.
 Anima & corpus Maria magno federe
 connexa fuerunt, & nulla alia par-
 tes præter corpus & animam Chri-
 sti, maiori vinculo connexæ sunt. p.
 266. c. 1. & 2.
 Anima iusti caput illius est, peccatores
 verò loco pedū eam vsurpāt. p. 102. c. 2.
 Anima iusti, qui diuinis contemplatio-
 nibus vacat, sponsa dicitur, & qua-
 re. p. 229. c. 1.
 Anima Maria sanctissima sine vilo pror-
 fus dolore à corpore separata fuit, &
 quare. p. 246. c. 2.
 Annulus carcerem & captiuitatem
 demonstrat. p. 14. c. 1.
 Annulus digito Episcopi impositus
 quid demonstrat. p. 15. c. 2.
 Annulus secretum & fidelitatem signi-
 ficat. p. 15. c. 2.
 Annunciationis celebritas maior est in-
 ter alias, & quare. p. 100. c. 2.
 Antiochus in templum sacrum Ieru-
 salem taurum pulcherrimum misit
 ingentibus diuitijs onustū. p. 35. c. 2.
 Aod imaginem gessit perfecti viri, &
 quare. p. 231. c. 2.
 Apertior in sacris literis quid indicet?
 p. 209. c. 2. & p. 201. c. 1.
 Aquila suos pullos de nido deiecit, si so-
 lem defixis oculis intueri non pos-
 sunt. p. 192. c. 2.
 Archangelus eodem titulo sponsi Ma-
 riā salutauit, & quare. p. 122. c. 1.
 Armilla conserebatur olim ab Impera-
 toribus strenuis militibus. p. 116. c. 1.
 Armillā petijt Thamar à Iuda, & quare,
 & quid indicet Armilla. p. 16. c. 1. & 2.
 Assumptionis festiuitas celeberrima est,
 & quare. p. 14. c. 1.
 Assumptionis festum tria festa cōtinet,
 Mortis diem, Exequias illius funera-
 les; & Assumptionem ad cælestia re-
 gna. p. 240. c. 1.
 Assum-

et Præcipuarum rerum

Assumptio quæ *Evangelii* nihil de *Assumptione* exprimit, & *quare*. p. 262. c. 2.

Assumptionem *Mariæ* *Beati*, & *viatores* *diverso* modo *celebrarunt*. p. 251. c. 2. & p. 252. c. 1.

Assumptio *Mariæ* fuit *celeberrima*, & *vix* *verbis* *explicari* potest. p. 244. c. 1.

Assumptio *Mariæ* nobis *prodest*, ut *apud* *filium* *advocatâ* *habeam*. p. 238. c. 2.

Aurum est *symbolum* *diuinitatis*. p. 66. c. 2. & p. 67. c. 1.

B

Baculum à *Iudâ* *petiit* *Tamar*, & *quare*. p. 17. & p. 18. c. 1.

Baculus *fiduciam* & *spem* *indicat*. p. 13. c. 1.

Baculus *regimen* *reipublicæ* *demonstrat*. p. 17. c. 2.

Baculus *significat* *rem* *familiarem*. p. 17. c. 1.

Baptista *ante* *Archangelum* *Gabrielem*, & *Beatissimam* *Mariam*, *mysterium* *Incarnationis* *mundo* *prænunciavit*. p. 165. c. 2.

Baptista *conceptionem* *factam* *fuisse* *ex* *spiritu* *sancto* *certâ* *limitatione* *dici* *potest*. p. 168. c. 1.

Baptista *cû* *homo* *esset*, de *Christo* *testimonium* *præstare* *potuit*, & *quomodo*. p. 66. c. 1.

Baptista *exultavit* *in* *materno* *utero*, & *quomodo*. p. 164. c. 1.

Baptista *habuit* *in* *se* *quidquid* *excellentiæ* *alicui* *sancto* *noui* *testamenti* *concessum* *est*. p. 164. c. 2.

Baptista *in* *fortitudine* *superavit* *Davidem*, & *in* *visionib.* *Esaïæ*. p. 146. c. 1.

Baptistâ *misit* *Deus* *in* *præcursorem* *sui*

adventus, & *non* *Angelum*. & *quare*. p. 121. c. 2.

Baptista *nomen* *nunquam* *vsurpauit* *Christus*, *nisi* *eius* *personam* *vsq;* *ad* *cælum* *laudibus* *extollens*. p. 177. c. 2.

Baptistam *præ* *cæteris* *sanctis* *Deus* *dilexit*, *quia* *anima* *illius* *fuit* *primus* *fructus* *sua* *redemptionis*. p. 174. c. 2. & p. 175. c. 1.

Baptista *pro* *suis* *laudibus* *eisdem* *præconib.* *vsus* *est*, atq; *Christus*. p. 178. c. 2.

Baptistæ *sanctitas* *maxima* *fuit*, *cû* *Deus* *ad* *illius* *sanctificationem* *non* *solum* *verbis* *vsus* *fuerit*, *sed* *in* *propria* *persona* *adsuerit*. p. 162. c. 2.

Baptista *solus* *habuit* *quicquid* *bonitatis* *aut* *excellentiæ* *in* *synagoga* *reperiri* *potuit*. p. 164. c. 2.

Baptista *spiritualis* *necessitas* *duxit* *Mariam* *per* *montana*. p. 187. c. 2.

Bethleem *rem* *occultam* & *secretam* *indicat*. p. 140. c. 2.

Beturia *Corionolâi* *mater*, *eius* *iram* *cõtra* *Romanos* *cõpescuit*. p. 239. c. 1. & 2.

C

Celebris *pictor* *Zeucus*, *ut* *pulcherrimam* *Iunonis* *imaginem* *depingeret*, *quinq;* *totius* *provincia* *pulcherrimas* *imagines* *postulavit*. p. 262. c. 2.

Charitas *fraterna* *Apostoli* *Pauli* *quantâ* *fuerit*. p. 231. c. 2.

Charitas *fraterna* *est* *holocaustum*, & *hostia* *pacifica*. p. 231. c. 1. & 2.

Charitas *Mariæ* *flamma* *Dei* *dici* *potest* *propter* *sua* *eminentiâ*. p. 293. c. 1.

Cherubim *alati* *fuerunt* *ad* *ostendam* *Dei* *agilitatem* *in* *benefaciendo*. p. 180. c. 1.

Index Discursuum

- Cherubim fuerunt constituti ad latera propitiatorij, & quare? p. 180. c. 1.
- Cherubim soli, propitiatorio astabant, & quare? p. 137. c. 2.
- Christus à nobis emi debet, quia omnino nobis & omnibus virtutibus est necessarius. p. 204. c. 2.
- Christus à nobis comparari debet, quia vili pretio venditur. p. 206. c. 2.
- Christus caput Ecclesia, & Maria colum per quod gratia Christi ad omnes deriuatur. p. 24. c. 1.
- Christus cū peccatores ad se conuertebat, eis dē delicijs, permutatis tamen, recreabat. p. 272. c. 2.
- Christus domum Martha & Maria, quae sorores erant, fuit ingressus, quia amator pacis & fraternae charitatis est. p. 265. c. 2.
- Christus Dominus vt suam auctoritatem conseruaret, ad auctoritatem Ioannis recurrit. p. 164. c. 2. & p. 165. c. 1 & 2.
- Christianus dū actu pro Christo nō patitur, in representatiōe passionis exerceri debet. p. 199. c. 2.
- Christiani sunt filij Dei mortui, & quare? p. 298. c. 2.
- Christus electri speciem gessit. p. 67. c. 1. & 2.
- Christus ex sua humanitate & affabilitate cum hominibus prandebat, etiam si eorum cibo non indigeret. p. 260. c. 2.
- Christus fici arborem maledixit eo tempore, quo fructus producere non poterat, & quare? p. 206. c. 2.
- Christus fuit hostia & sacrificium per modum holocausti. p. 218. c. 1.
- Christus imitatus est ceruum in morte sua, & in quibus. p. 219. c. 2.
- Christus in cruce illis verbis mulier ecce filius tuus, Mariam in matrem totius generis hūani euexit. p. 298. c. 1. & 2.
- Christus in cruce Mariam sanctissimam non matrem, sed mulierem appellauit, & quare? p. 298. c. 1.
- Christus in cruce protulit illa verba Consumatum est. & quare? p. 218. c. 1.
- Christus interrogatus à pontifice respondere noluit, & quare? p. 174. c. 2.
- Christus Mariam sacratissimam nunquam matrem, sed mulierem appellauit, & quare? p. 30. c. 2.
- Christus Matrem suam quanto amore dilexerit, & ipsa Christum. p. 292. c. 1. & 2.
- Christus mercedem vberem pro seruitijs & hospicio exhibebat. p. 241. c. 2.
- Christus mittens discipulos in ciuitatem vt iumentum afferrent, non ciuitatem, sed castellum eam appellauit, & quare? p. 75. c. 1.
- Christus mortem pro nostra redemptione sibi summo desiderio, & quomodo? p. 220. c. 1.
- Christus non expectauit vitam longam, sed in ipso sua aetatis flore mori voluit, & quare? p. 219. c. 1.
- Christus non propter suum bonum, sed pro-

et precipuarum rerum

- propter nostrum, cibum accepit. p. 268. c. 2.
- Christus poti⁹ videtur in manifestatiōe mysterij Incarnationis ad honorem Baptistæ, quàm ad suæ matris honorem attendisse. p. 165. c. 2.
- Christus spolia resurrectionis cum sua sanctissima matre diuisit, & quomodo? p. 298. c. 1.
- Christus tanquam caput Genealogia inscribitur, & Maria tanquam fundamentū, & quare? p. 11. c. 2.
- Christus toties, quoties orauit in nocte passionis, toties discipulos uisitauit, & quare? p. 234. c. 1.
- Christus varios internuncios è caelestibus palatijs misit suæ sanctissimæ matri eā ad gloriā inuitans, precipuè Archangelum Gabrielem. p. 244. c. 2.
- Christus uoluit ex propria uoluntate mori, & uō mortem uolenter illatū, ut homines ad sui amorem magis alliceret, & fortiùs adstringeret. p. 218. c. 1.
- Christus ut pro nostra anima cibos condat, oportet ut corpus pro Deo cibos parat. p. 268. c. 1. & 2.
- Chrysolithus lapis fuit fundamētalis ciuitatū Dei, & pectorale summi Sacerdotis exornabat. p. 277. c. 1.
- Chrysolithus mysteria Rosarū & effectus eius erga sodales ad uisū exprimit. p. 277. c. 2.
- Chrysolithus probet fortitudinem, & aufert pusillanimitatem p. 277. c. 1.
- Chrysolithus triplici colore, uiridi, igneo & aureo splendebat. p. 277. c. 1.
- Cognatio animos inter se dissidentes uenit, ac prorsus deuincit. p. 93. c. 2.
- Colligi uidetur ex sacris literis, quod esse primogenitam per gratiam est prima dignitas Maria alias superans. p. 33. c. 1.
- Colloquia iuuenū euitāda sūt. p. 191. c. 1.
- Conceptio, Incarnatio, & Assumptio sunt precipua festiuitates Maria, & quare? p. 26. c. 1.
- Conceptionis Maria mundatio rectè colligitur ex officio mediatricis. p. 3. c. 1.
- Concupiscentia carnalis certo modo peccatorē magis separat à Deo, quā alia peccata, & quomodo? p. 7. c. 2.
- Concupiscentia carnis est radix & principium omnium malorum. p. 14. c. 2.
- Cōcupiscentia carnalis fidem destruit, & secreta aperit. p. 15. c. 1.
- Concupiscentia carnis uocatur fasciatio in sacra scriptura, & quare? p. 1. c. 1.
- Concupiscentia conatus uocatur instantia & circumrotatio, & quare? p. 6. c. 1. & 2.
- Cor mulieris sagena & laqueus est, & quare. p. 15. c. 1.
- Corpus & anima Maria nullas habuerūt inter se lites, sed amicabiliter conuixerunt: ideo anima à corpore diu separata non fuit. p. 247. c. 2.
- Corpus christi Domini licet in instanti sua conceptionis perfectissimè organizatum fuerit, quantitātē tamen apū non excessit. p. 65. c. 1. & 2.

Index Discursuum

- Corporum corruptio ex peccato oritur, ided Maria corpus corruptū non fuit, quia peccato caruit.** p. 246. c. 2. & p. 247. c. 1.
- Corpus Maria corruptum non fuit, & quare.** p. 242. c. 2.
- Contemplationibus diuinis vacantes, sui ipsius obliuiscuntur.** p. 270. c. 2.
- Contemplationibus diuinis vacantes mundum spernūt.** p. 269. c. 1.
- Contemplatiui in celestib. ac diuinis occupati in Deum transformantur.** p. 239. c. 1. & 2.
- Contemplationem omittens, vt necessitati spiritali proximi subueniat, non ided Deum relinquit.** p. 189. c. 1.
- D
- David in initio Genealogia ponitur, & quare.** p. 18. c. 1.
- David in effigie peccatoris proponitur, cum tamen alij grauius peccauerint, & quare.** p. 5. c. 1.
- David primus in capite Evangelij describitur tanquam Christi parens, & quare.** p. 97. c. 1. & 2.
- David sacrosanctuarij oleo vnctus fuit in Regem.** p. 4. c. 2.
- David sine regis titulo in Evangelio describitur, & quare.** p. 4. & p. 5. c. 1.
- Dei conditio & proprietates hac est, vt ad beneficiendum concitato cursu properet, ad puniendum verò graui passu incedat.** p. 133. c. 1. & 2.
- Dei filius vocatur desideratus cunctis gentibus,** p. 53. c. 2.
- Dei filius naturalis, etiam est filius naturalis Beatissima Virginis.** p. 53. c. 1.
- Dei para certo modo plus nobis contulit quam Deus,** p. 10. c. 1.
- Deo qua conferuntur, ea in nostram utilitatem cedunt.** p. 211. c. 1.
- Deus ante creationē hominis, prius aereū corpus homini simile effinxit, vt illius contemplatione occuparetur.** p. 103. c. 1.
- Deus cum aliquem pro aliquo munere obbeundo eligit, prius in simili experientiam capit.** p. 124. c. 2.
- Deus de pauperat⁹ est in sua Ecclesia, quia illius merces ex defectu mercatorum non expediuntur.** p. 210. c. & 2.
- Deus dignitates suis sanctis collatas, in eis conseruat, & sine culpa ipsorum non aufert.** p. 265. c. 1.
- Deus diuisit cum Maria Sanctissima dimidiam partem sui regni, cum ad caelos assumpta fuit.** p. 279. c. 1.
- Deus ea qua conserat, pro vili pretio donat.** p. 200. c. 2.
- Deus ea, quae illi à nobis cōferuntur, in nostrum lucrū recipit, vt postea in nostrū cōmodū & utilitatē referat.** p. 211. c. 2.
- Deus eodem modo in iustorum animas influit atque sol.** p. 250. c. 2.
- Deus ex vi charitatis erga hominem extasim passus est.** p. 103. c. 2.
- Deus extraordinaria peccata extraordinarius panis punit, vt in Sodomitis constat.** p. 240. c. 2.
- Deus in creatione vniuersi, omnes septimana dies benedixit, non tamen secundum, & quare.** p. 121. c. 1.
- Deus in curando Ioannem suae artū peritiam ostendit.** p. 184. c. 1. & 2.
- Deus in formatione Mariae oculos in Christum defixos tenuit, vt eam ipsi similem produceret.** p. 194. c. & 2.

De-

et precipuarum rerum

- Deus in Maria Sanctissima omnes suas
diuitias in vnum collegit. p. 56. c. 2.
- Deus in prima creaturarū productione
omnes alias laudauit prater homi-
nem, & quare. p. 151. c. 1. & 2.
- Deus in Purificatione Maria verbū per
Aggaum prophetam suo populo da-
tum circa readificationem templi im-
pleuit. p. 213. c. 1. & 2.
- Deus in templo Salomonis expropiatio-
rio respondebat, cum in grauioribus
negotijs consulere tur, non vero in se-
cundo templo. p. 214. c. 2.
- Deus iuxta pondus sua voluntatis gra-
tiam in Maria collocauit, tanquam
in matre, filia, & sponsa. p. 33. c. 2.
- Deus, licet effectus etiam praclariores
nobis manifestet, modum tamen effi-
ciendi occultat. p. 43. c. 2.
- Deus Matthai 24 tantum pro operibus
vitae actiuae gloriam promisit, in quo
vita actiua extollitur. p. 230. c. 1.
- Deus modò in compensationem beneficij
Incarnationis, novum cor amore di-
uino instamatum exposcit. p. 87. c. 1.
- Deus non potuit facere meliorem matrē
suā matre sanctissimā. p. 52. c. 1.
- Deus nō pmisit, quòd corpus Maria cor-
rumperetur, & quare. p. 246. c. 1.
- Deus nostram naturam & non Angelicā
reparauit, & quare. p. 153. c. 1.
- Deus nouū dicendi & loquendi modū no-
bis per Mariā aperuit. p. 74. c. 1. & 2.
- Deus olim praecipiebat, vt famulus alicui
domino inseruiens, aequae bonas vestes
secum ferret atq; adduxerat. p. 248. c. 1.
- Deus per Isaiam conqueritur, quia nul-
lus est, qui caelestes thesauros emere
velit. p. 209. c. 2.
- Deus post beneficia collata, statim postu-
lat animi gratitudinē, non solis verbis,
sed etiā operibus manifestā. p. 168. c. 1.
- Deus post quā Mariam fundauit, omnib.
Angelis videndam proposuit. p. 35. c. 2.
- Deus premia Maria acceleravit propter
exquisitas illius virtutes. p. 240. c. 2.
- Deus pro pretio exposcit par turtu-
rum, & non pullos turturū, & qua-
re. p. 207. c. 2.
- Deus, qui intra viscera Maria inclusus
fuit, quidam novus Deus apparet. p.
295. c. 2.
- Deus qui Mariam proprijs manibus fa-
bricauit, semper de ea loquitur verbis
admiratiōe ac stupore plenis. p. 35. c. 1.
- Deus qui offensus fuit per culpam, no-
stram amicitia sollicitauit. p. 119. c. 1.
- Deus reprehendendo Marthā, non da-
mnauit vitam actiuam, sed nimia solli-
citudinem in temporalib. p. 275. c. 1.
- Deus semper iuxta maiora debita crea-
turarum, noua sacrificia postulauit,
p. 86. c. 2. & p. 87. c. 1.
- Deus semper sacrificia desiderauit, ac
voluit. p. 197. c. 1.
- Deus suis amicis gaudia cum mœrore
permixta communicat. p. 183. c. 2.
- Deus tres praclaras ciuitates condidit.
p. 39. c. 2.
- Deus vt altissimus & proprijs manibus
fundauit Mariam, & propria mone-
tā consignauit. p. 25. c. 1.
- Deus vt Ioannē iustificet, nō expectat, vt
ex materno utero egrediatur. p. 184. c. 1.
- Dies Christi vocari potest, dies suae gene-
rationis temporanea. p. 109. c. 2.
- Dis-

Index Discursuum

- Differentia inter huius seculi magnates quam sit, & inter iustos, qui coram Deo principes sunt?* p. 182. c. 1. & 2.
- Dignitas Matris Dei, si Maria hoc pacto offerretur, ut filiatione per gratiam priuaretur, nullo modo eam acceptaret.* p. 30. c. 1.
- Dignitas primogenita per gratiam maior est in Maria, dignitate Matris Dei.* p. 29. c. 1.
- Dissensiones & tumultus mancribus sedari solent.* p. 92. c. 1.
- Disputatio de preservatione Maria à peccato originali omittenda est, quod & natura demonstrat.* p. 94. c. 1. & 2.
- Diuina reconciliationis certum signum dabatur in templo Salomonis, cum ex lapidibus pretiosis vestium Summi Pontificis splendor quidam emanabat.* p. 214. c. 2.
- Diuina vindicta per currum indicatur, & quare?* p. 173. c. 1.
- Dionysius visa Maria sanctissima pra admiratione in terram corruit, & quare?* p. 228. c. 1.
- E**
- Ecclesia Catholica in Martha & Maria culmen perfectionis explicans, etiã Maria sanctissima merita demonstrat.* p. 261. c. 1. & 2.
- Ecclesia ut acurate depingat excellentias Maria, Martham & Mariã proponit.* p. 263. c. 1.
- Eliseus ubi puerũ suscitauit, clausit ianuam post se, & quare?* p. 143. c. 2.
- Eliseus ut hospitium sanamitidi solueret, filium à Deo pro ipsa obtinuit, & iam extinctũ ad vitam reuocauit.* p. 243. c. 1. & 2.
- Elisabeth Mariam sanctissimam beatã appellauit, propter infinitã Matris Deidignitatem nouiter acceptam.* p. 181. c. 2.
- Enos contemplationis & orationum munus prius exercuit.* p. 229. c. 2.
- Enos nomine Dei insignitus fuit, quia primò contemplationẽ inuenit.* p. 229. c. 2. & p. 230. c. 1.
- Evangelista à laudibus Baptista suam historiam exorsi sunt, & quare?* p. 177. c. 2. & p. 178. c. 2.
- Evangelista colorib⁹ Rhetorũ vsus, miro artificio omnia expressit, quae de Maria sanctiss. dici possũt.* p. 98. c. 1. & 2.
- Evangelium Luca alter liber Ezechielis est.* p. 240. c. 1.
- Evangelista Matthaeus enarrans Christi Genealogiam, vitur hac voce Genuit, & Lucas hac voce Fuit, & quare?* p. 285. c. 1. & 2.
- Evangelium Matthai & Rosarium exprimunt vitam Christi, licet diuersimodẽ.* p. 280. c. 1. & 2.
- Evangelium Matthai pro Rosario sanctissimo congruentissimẽ proponitur ab Ecclesia.* p. 280. c. 1.
- Evangelium quod Ecclesia proponit pro Assuptione Maria, congruentissimum est pro hac festiuitate.* p. 291. c. 2.

et precipuarum rerum.

Famina à solis vicinis ac domesticis cognosci debent, p. 141. c. 2.

Famina cum se amari sentiunt, statim dominari volunt, p. 17. c. 2.

Famina illa sunt honestiores, quas matres minime norunt. p. 107. c. 1.

Famina quoad fortitudinem prætulit omnibus rebus vniuersi Zorobabel Regis Cyri aulicus, veritatem tamen prætulit famina. p. 112. c. 1.

Famina qua vmbra gesserunt Maria, summopere extolluntur in sacris litteris. p. 356. l. & 2.

Famina sine barba à Deo creata sunt, & quare. p. 107. c. 1.

Famina vt nudis pedibus incederent lex statuta fuit apud Aegyptios, hoc sine, vt domi cõinerentur. p. 142. c. 1.

Fiat duplex reperitur in sacris litteris, & vtrumque efficax. p. 131. c. 1.

Filij Dei iuxta dignitatum maiorem excellentiam, magis in propria estimatione vilescunt. p. 169. c. 2.

Filius Diuinus magnã curam habuit suae sanctissimae Matris, vt præstantissimo solio gloriae collocaretur. p. 249. c. 1.

Finis & scopus confraternitatis Sacratissimi Rosarij est consideratio Mysteriorũ nostra redemptionis. p. 280. c. 1.

Filia pupilla oculi dicitur in sacris litteris, & quare. p. 3. c. 2.

Fumus qui ex animalium combustione in sacrificijs emanabat, odor quietis vocabatur, & quare. p. 231. c. 1.

G

Gabriel ad virginem mittitur, vt me-

dia semina deuincatur & confundatur demon. p. 106. c. 1. & 2.

Gabriel Archangelus immenso aulicorum caelestium comitatu stipatus fuit, cum Mysterium Incarnationis prænunciauit. p. 139. c. 1.

Gabriel Archangelus non in fenestra, aut in plateis inuenit Mariam, cum eam salutauit, sed in secretiori sua domus cubiculo. p. 141. c. 1.

Gabriel cum Angelo paradisi decertauit, & arborem vitæ extraxit, cui postea affixus fuit Christus. p. 106. c. 1.

Gabriel Deum & hominem significat, & etiam fortitudinem Dei. p. 105. c. 1. & 2.

Gabriel proprio nomine Mysterium Incarnationis demonstrat, & quare. d. 104. c. 2.

Gabrielem Sancti Patres varijs Encomijs prædicant. p. 138. c. 2.

Gabriel summã veneratione salutauit Mariam. p. 130. c. 2.

Gabriel titulo creaturis cõpetente non salutauit Mariam, & quare. p. 122. c. 2.

Generatio admirabilis filiorum Dei ex Matre mortua deriuata est, & qualiter. p. 300. c. 1.

Generatio filiorũ Dei, qua à Christo facta est in cruce, inenarrabilis & admirabilis est, quia de patre mortuo effecta est. p. 299. c. 2. & p. 300. c. 1.

Generationem inenarrabilem, quam vocet Isaias. p. 299. c. 1.

Gloriam Dei volebat Paulus pro suis

Index Discursuum

- fratribus amittere, non verò gratiam. p. 92. c. 1.
- Gloria domini in templum Salomonis descendebat. p. 214. c. 1.
- Glorificatio Christi & Mariæ solâ admiratione explicari potest. p. 256. c. 1. & 2.
- Gratia Christi nulla similior, quàm gratia Mariæ, & quare. p. 23. c. 2.
- Gratia Dei potius eligenda est, quàm gloria. p. 13. c. 1.
- Gratia in nullo sancto fuit reperta in tanta plenitudine, atque in Mariâ. p. 123. c. 1.
- Gratiâ magnâ digni sunt, qui primò rem aliquam invenerunt. p. 90. c. 1. & 2.
- Gratia Mariæ aliorum sanctorum gratias excellit. p. 124. c. 1.
- Gratia Mariæ sanctissime conferenda, aliquomodo impulit Deum ad reparationem humanam. p. 16. c. 2.
- Gratiam tantâ posuit Deus in Mariâ & talem, quæ eius mentem, affectum & voluntatem raperet. p. 33. c. 2.
- Gratitudo animi maximè Deo placet, quâ ad noua beneficia conferenda adstringitur. p. 168. c. 1.
- Gregorius decimus tertius certum diem designauit: vt festum Rosarij celebraretur, & quare. p. 306. c. 1. & 2.
- H.
- Hac est maxima prerogatiua Baptista, quod illius historia ex solo Evangelio colligatur. p. 177. c. 2.
- Holocausti sacrificium cum olim offerretur, tubis caneant. p. 86. c. 2.
- Homines ad aliquid emendum tria alij
- liciunt, & quæ sint. p. 204. c. 2.
- Homo est pulchrior & latior ciuitas toto vniuerso. p. 40. c. 1.
- Homo, & præcipuè Evangelicus doctor, ad imitationem Dei, actiuus & contemplatiuus esse debet. p. 233. c. 1. & 2.
- Homo habet perfectiones omnium creaturarum. p. 156. c. 1. & 2.
- Homo in artificio & pulchritudine celestia corpora excellit. p. 59. c. 2.
- Homo non vocatur opus digitorum Dei, sed manuum Dei, & quare incarnatio vocatur eius exinanitio. p. 60. c. 1.
- Homines peccatores esse volunt, sed nolunt inter peccatores computari; è cõtra verò Christus & eius sanctissima Mater. p. 221. c. 2.
- Homini reparatione, omnes creatura fuerunt restaurata. p. 156. c. 2.
- Horam acen 24 Deos intra ovum conclusit. p. 64. c. 2.
- Humilitas Beatissima Virginis rectè in columna, palma, & virgis in vno collectis exprimitur. p. 21. c. 2.
- Humilitas Mariæ Deum alias omnipotentem deuicit & subiecit. p. 132. c. 2.
- Humilitas nostri Saluatoris elucet in Nazareth, quam pro patria sibi elegit. p. 139. c. 1.
- Humilitate, quò magis virtutes reguntur, eò magis patefcunt. p. 22. c. 1. & 2.
- Humiles semper Christus excolit & exaltauit. p. 264. c. 2.
- Historia 2. Machab. cap. 15. ad viuè exprimit victoriâ obtentam in nauali bello medio Rosario sacratissimo. p. 303. c. 1. & 2. p. 304. c. 1. & 2.

lacob

et precipuarum rerum

I.

- Jacob colluctavit cum Angelo, & eū brachijs compressum tenuit, vt quietaretur in conscientia circa primogenituram. p. 42. c. 1.
- Illi, qui iustitiam & virtutes promouere tenentur, aliquando incrementa virtutis retardant. p. 233. c. 1.
- Illustres & precipui viri ex civitate à se condita nomen & samam accipiunt. p. 39. c. 1.
- Imagines quatuor depingit Lucas in Evangelio, ex quibus laudes Mariae exprimit. p. 258. c. 2. & p. 259. c. 1.
- Immensitas bonitatis divinae quoad personalia effusa fuit per incarnationem Verbi. p. 128. c. 1.
- Incarnationis dies fuit ille Christi dies, quem videre voluit Abraham. p. 109. c. 2.
- Incarnationis diem tunc Abraham aspexit, cum globū igneum per carnes pratercuntem vidit, quas tamen nec laesit, nec cōbusit. p. 110. c. 2.
- Incarnationis difficultatem indicarunt Cherubim se mutuo conspicientes, & operientes oraculum. p. 137. c. 2.
- Incarnationis diuina fuit moriuum generatio filiorum Dei per gratiam. p. 29. c. 1.
- Incarnatio diuina non solum patris, sed verbi diuini festiuitas existit, vbi suam sapientiam manifestauit. p. 150. c. 1. & 2.
- Incarnatio est celebris festiuitas totius Sanctissima Trinitatis. p. 152. c. 2.
- Incarnatio est peculiaris festiuitas Sancti Spiritus, & quare. p. 152. c. 1.
- Incarnatio fuit festiuitas Angelorum. p. 153. c. 1.
- Incarnatio fuit festum solemnissimum Beatissima Virginis, & quare. p. 155. c. 1. & 2.
- Incarnatio fuit peculiare festum naturae humanae. p. 154. c. 1. & 2.
- Incarnationis mysterio alitur ac nutritur spes, & animus noster ad superna erigitur. p. 135. c. 2.
- Incarnationis mysterium, & Sanctissima Trinitatis, ex propria natura boni infiniti colligitur. p. 127. c. 2.
- Incarnationis mysterio completo Deus homini ad cor loquitur. p. 139. c. 2.
- Incarnationis mysterium est ineffabile sacramentum, & quare. p. 296. c. 2.
- Incarnationis mysterium fuit maxima novitas vniversi, & quare. p. 295. c. 1.
- Incarnationis mysterium inter alia difficilius. p. 100. c. 2.
- Incarnationis mysterium non omnes sunt sufficientes auscultare. p. 126. c. 1.
- Incarnationis mysterium propter suam celsitudinem nomen operis Dei sibi usurpauit. p. 101. c. 1. & 2.
- Incarnationis mysterium quomodo fuerit effectum. p. 114. c. 2. & p. 115. c. 1. & 2.
- Incarnationis mysterium Spiritui Sancto tribuitur, & quare. p. 118. c. 2.
- Incarnationis opus praestantius est inter cetera. p. 100. c. 2.
- Incarnatione pacta, natura humana Angelis dominatur, imò ijs tanquā seruis & mi-

Index Discursuum

- & ministris vitur. p. 154. c. 2. & p. 155. c. 2.
- In incarnatione suâ Deus nobiscum
 amicitiam contraxit. p. 136. c. 2.
- In incarnatione sua De⁹ nos edocuit, in-
 struxit, ac spirituales effecit. p. 133. c. 1.
- In incarnatione sua. Deus Idololatriam
 euertit. p. 136. c. 1.
- In incarnatione verbi diuini caelestia pa-
 latia fuerunt nouiter reparata. p.
 153. c. 1.
- In incarnatione verbi effectus est, vt vini-
 tores vinea domini homines sint. p.
 135. c. 1.
- Incarnatio verbi est principium alia-
 rum omnium festiuitatū. p. 149. c. 2.
- Incarnatio verbi festum est aeterni pa-
 tris, vbi suam omnipotentiam osten-
 dit. p. 150. c. 1.
- In incarnatione verbi diuini nouo modo
 illustratae fuerunt, & condecorata om-
 nes creature. p. 156. c. 2.
- Incarnatio verbi diuini omnium crea-
 turarum festiuitas extitit, & quare.
 p. 156. c. 2.
- Incarnatio verbi hōines ab humanâ cō-
 uersatione retraxit, vt de diuinis de-
 lectarentur, qui eum ante Incarna-
 tionem fugiebant. p. 134. c. 1. & 2.
- Industria Rebecca in mysterio Incarna-
 tionis reluctet. p. 120. c. 1.
- Infans exultauit in vtero, & quare. p.
 175. c. 2.
- Ingratitudo saulis erga Dauid recte in-
 dicat peccatorum ingratitude inem-
 erga suam creatorem. p. 220. c. 2.
- Ingratos. Deus grauissimè punit. p.
 168. c. 2.
- In Iezabel. representantur haeretici.
 p. 17. c. 1.
- In incarnatione facta est quedam di-
 uina sponsatio per gratiam consu-
 matam. p. 157. c. 1.
- In incarnatione, quâ arte vsus est Deus
 ad hominum amicitiam concilian-
 dam. p. 136. c. 2.
- In Mysterio Incarnationis duo olim dif-
 ficilia in visitatione. Mariae aper-
 untur. p. 181. c. 2.
- In Mysterio Incarnationis. Deus maxi-
 mū erga genus humanū amorem &
 benevolentiam ostendit. p. 102. c.
 1. & 2.
- In Mysterio Incarnationis Deus suam om-
 nipotentiam manifestauit. p. 101. c. 2.
- Innocentia Mariae extulit sacrificium.
 cū in templo presertata fuit. p. 89. c. 2.
- In quocunque statu aus. republica vni-
 uersi, lites, & iudicia diuersa reper-
 untur. p. 274. c. 2.
- In transitu ex hac vita ad aliam, in da-
 gatores curiosi nostrae conscientie
 nobis occurrūt, & qui sint. p. 244. c. 2.
- Ioannes arbor diuina fuit, citō fructus
 proferens, & quare. p. 184. c. 2.
- Ioannes cum iam esset sanctificatus,
 & vsur rationis valeret, in vtero re-
 mansit, & quare. p. 185. c. 1.
- Ioannes exultauit in vtero ad no-
 uam infusionem gratiae, quâ imple-
 ta fuit Elisabeth. p. 188. c. 2.
- Ioannes exultauit in vtero, & quia
 peccato originali liberatus fuit, &
 quia Deum nostrā mortalitate indu-
 rum aspexit. p. 185. c. 1. & 2.
- Ioānes fuit terra sanctissima. p. 166. c. 1.

et Pracipuarum rerum

- Ioannes inter lapides fundamentales civitatis Dei non vidit carbunculum, & quare.** p. 111. c. 1.
- Ioannis maxima prerogativa est, quod verbum statim atque ex caelestibus palatiis descendit, ipsum in propria persona visiter.** p. 175. c. 1.
- Ioannes mortis dolores non sensit, quia tot in morte Christi pertulit & potiori iure Maria.** p. 245. c. 2.
- Ioannes saltavit in utero, quia fixam stellam conspexit.** p. 191. c. 2.
- Ioannes praegaudio saltavit in utero.** p. 166. c. 1.
- Ioannes titulo Regis exornandus est.** p. 166. c. 2.
- Iob patientissimi bona evertit demon vsq; ad filiorum interemptionem, mulierem autem non tetigit, & quare.** p. 18. c. 1. & 2.
- Iusti cum ad placandum Deum decerant, bruta animantia, & pueri Deo proponerantur propter innocentiam annexam.** p. 89. c. 1.
- Iustus comparatur luna, cum est in coniunctione ad solem, stultus vero luna comparatur, cum est in oppositione ad ipsum, & quare.** p. 170. c. 2. & p. 171. c. 1.
- Iustus & stultus etiam comparatur luna.** p. 170. c. 1. & 2.
- Iusti gratia Dei insigniti, ex divino peccatore geniti & precreati sunt.** p. 29. c. 2.
- Iustificationis opus, est praestantius opere glorificationis, & quare.** p. 23. c. 2.
- Iustus oliua pullulans, & Cypressus esse debet, & quare.** p. 232. c. 2.
- Iustis plura Deus confert, quam promittit.** p. 200. c. 2.
- Iustus rellè palma comparatur, & quare.** p. 159. c. 2.
- L
- Labia sponsa vittâ coccinea cingenda & liganda sunt, & quare.** p. 142. c. 2.
- Lapides pretiosi in estimatione habentur, quia scintillam lucis solaris participant.** p. 79. c. 2.
- Latitia signis maximis & laudum canticis recepta fuit Beatissima Virgo à tota curia caelesti.** p. 237. c. 1.
- Laudum Baptista noluit oblivisci Christus licet tantum tribus annis salutis nostra doctrinam vulgauerit.** p. 177. c. 2.
- Laudum Baptista proclamatores fuerunt Archangelus Gabriel, Christus Dominus, & quatuor Iesu Christi Evangelistae.** p. 177. c. 2.
- Laudes ex persona proferente suum valorem & auctoritatem accipiunt.** p. 177. c. 1.
- Lucas aetatem Christi solus computavit, & quare.** p. 217. c. 2.
- Lucas dies Christi numeravit, ut constet Christum singulis diebus ad mortem pro nostra reparatione properasse.** p. 218. c. 2. & p. 219. c. 1.
- Lucastam enucleatè & ex professo enumerat historiam Martha & Maria, cum alia mirabiliora stylo brevis tetigerit.** p. 260. c. 2. & p. 261. c. 1.
- M
- Magnitudine & immensitate quadam omnia decorata fuerunt in Maria.** p. 72. c. 1. & 2.
- Magna festiuitas celebrata est in caelo in Assumptioe Mariae.** p. 227. c. 1. & 2.
- Magna fuit celebritas, & signa latitiae**

Index Discursuum

- incundissima in presentatione Maria.* p. 81. c. 2.
Magna reverentia & modestia servanda est in templo. p. 269. c. 2. & p. 270. c. 1.
Magna sunt, qua dicuntur de Maria, & nihil de illa dicitur, quod immensū non sit. p. 72. c. 1.
Maiestas quaedam divina in Maria vultu eminebat. p. 74. c. 1.
Malefica olim vittis sericis circulos in aëre consiciebant, & quare. p. 7. c. 1.
Mare quoddam immensum est Maria, ad quam omnium sanctorum rivuli confluunt. p. 80. c. 2.
Maria ad caelos cum corpore simul & anima ascendit, quod de nullo sanctorum dicitur, & quare. p. 256. c. 1.
Maria ad caelestia regna cum corpore & anima evolavit, quod efficaciter convincitur. p. 264. c. 2. & p. 265. c. 1.
Maria ad viuum suum creatorem exprimit, & ingenium illius magis quam alia creatura. p. 42. c. 1. & 2.
Maria applicantur ea, qua dicuntur de Christo propter similitudinem. p. 194. c. 1. & 2.
Maria applicatur effigies Dianae. p. 108. c. 1. & 2.
Maria arbor vita fuit, in qua Deus suum nidum extruxit. p. 88. c. 1. & 2.
Maria argentum divinitatis fuit, & quare. p. 66. c. 1.
Maria celeri passu montana conscendens, ut visitet Elisabeth, modum, quo perveniendū sit ad perfectiōem, ostendit. Et illa verba Exurgens Maria modum ostendunt; quo inchoanda est via perfectionis. p. 159. c. 1. & 2.
Maria Christus in cruce contulit officium mediatricis. p. 44. c. 2.
Maria concha est, ad modum scuti efficta, ex nardi flore, verbo scilicet divino suum odorem participans. p. 51. c. 1. & 2.
Maria constituta fuit in caelis super veram testamenti arcam. p. 279. c. 1.
Maria cum brevissim^o locus fuerit, quomodo immensum divinitatis pelagum in se continuerit ac conclusit. p. 62. c. 1. & 2. & p. 63. c. 1. & 2.
Maria cum delicata foret per montana festinare potuit, & quomodo. p. 171. c. 2.
Maria dicitur electa ut sol, & quare. p. 186. c. 2.
Maria dicitur gratia plena in omni gratia acceptione. p. 123. c. 1. & 2.
Maria domum impossibile est intrare, quin prius domum Marthae ingrediamur. p. 268. c. 1.
Maria duas leges implevit in Purificatione, & ad nullam earum tenebatur. p. 193. c. 2.
Maria erat vnicum solatium Apostolorum post Christi ascensionem. p. 249. c. 2.
Mariam esse talem, qualis est Christus, in aliquo sensu admitti potest, & quare. p. 298. c. 2.
Maria etiam titulos filij participavit. p. 53. c. 2.
Maria

et precipuarum rerum.

- Maria ex famineo sexu, non levitatem aut imperfectiões, sed figuram, ac pulchritudinem & venustatem acquisiuit.* p. 264. c. 1.
- Maria ex humilitate se subdidit legibus purificationis.* p. 195. c. 1.
- Maria ex matre sterili orta est, vt esset expectata cunctis gentibus.* p. 54. c. 2.
- Mariam ex suo creatore cognoscimus, Deum verò ex creaturis.* p. 291. c. 2.
- Maria fuit à Deo condita summo gaudio & letitiã cordis sui.* p. 41. c. 1.
- Maria fuit Christo similis in externa pulchritudine, in interna verò è contra.* p. 38. c. 1. & 2.
- Maria fuit filia orationis & eleemosynarum.* p. 55. c. 1. & 2. p. 56. c. 1.
- Maria fuit liber actiua generationis IESV Christi.* p. 300. c. 2.
- Maria fuit liber magnus & novus, in quo Spiritus Divinus generationem, & carnem filij Dei descripsit.* p. 294. c. 1.
- Maria fuit exemplar primum, & fundamentum, cui niritur clausura sacramentalium.* p. 89. c. 2.
- Maria fuit liber generationis omnium filiorum Dei, & omnium christianorum mater.* p. 298. c. 4.
- Maria inter alios titulos propriè accommodatur, titulus cœli, cùm cœlum appellatur, & quare.* p. 181. c. 1.
- Maria in corpore & anima ad caelestia regna evolauit, & quare.* p. 250. c. 2.
- Maria inerat omnes virtutes, quæ in Christo extiterunt, dum illi non repugnarent.* p. 38. c. 1.
- Maria in omni virtutum genere excelluit.* p. 123. c. 1. & 2.
- Maria in sua natiuitate odorem galbani retulit, & quare.* p. 55. c. 1.
- Maria in sua visitatione rectè comparatur luna.* p. 171. c. 1.
- Maria interrogatio quid significet: Quomodo fiet istud.* p. 147. c. 2.
- Maria laudes impossibile est demissâ voce proclamare.* p. 81. c. 1.
- Maria legibus purificationis se subdidit propter bonum exemplum, & vt suo filio assimilaretur.* p. 193. c. 2.
- Maria liber est ingentis magnitudinis, in quo generatio, vita, mors, & gloria Christi scripta est.* p. 296. c. 1.
- Maria liber ille est, quem Evangelista Ioannes extrâ & intus scriptum conspexit.* p. 294. c. 2.
- Maria liber vita nuncupanda est, & quare.* p. 291. c. 2.
- Maria magis humilis eras iuxta prestantiores dignitates noviter acceptas.* p. 182. c. 1.
- Maria montana Iudæa tanquam latissima aurora conscendit.* p. 186. c. 1.
- Maria mundioribus vestibus induta, reliquos gradus conscendit, vt in templo presentaretur.* p. 82. c. 2.
- Maria Natiuitatem Evangelista pratermisit, & solum meminit maternitatis Dei, & quare.* p. 58. c. 2.
- Maria*

Index discursuum

- Maria nihil ex his defuerunt, qua civitatem aliquam inclitam & opulentam reddunt.* p. 42. c. 2.
- Maria nihil sanctius & eminentius post Deum, & humanitatem Deo unitam* p. 50. c. 1.
- Maria non meruit gratiam filia primogenita, meruit tamen alias dignitates.* p. 23. c. 1.
- Maria nomen occultatur in sacris litteris, & quare.* p. 1. & 2. c. 1.
- Maria non statim consensum praeiuit, quia in cōpossibilem esse Virginitatem cum maternitate existimabat.* p. 112. c. 2.
- Maria obtulit in Purificatione pro redemptione sui filij par turturum, aut duos pullos columbarum, & quare.* p. 206. c. 1.
- Maria omnes perfectiones habuit collectas, quaecumq; in creaturis fuerunt reperta.* p. 130. c. 2.
- Maria omnia singularia & in heroico gradu habuit.* p. 124. c. 1.
- Maria opus Dei grande, quia pro ipsius habitatione extructa est.* p. 57. c. 2.
- Maria opulentissima & magnificentissima ciuitas.* p. 76. c. 1.
- Maria parentes è vivis exceperunt, cum ipsa vñdecimum annum ageret.* p. 83. c. 2.
- Maria per montana ad reparationem Baptistae properabat.* p. 172. c. 1.
- Maria per montana cum festinatione conscendit, vt libertatem feminarum compefceret.* p. 190. c. 2.
- Maria plures gradus gratiae & charitatis, quam omnes simul sancti & Angeli adepta est.* p. 25. c. 1.
- Maria preveniendo suam salutatione Elisabethae vanitatem huius saeculi funditus evertit.* p. 185. c. 2.
- Maria progressa fuit vt aurora in vita sanctitate, & quare.* p. 257. c. 1.
- Maria proprijs Dei titulu decoranda est, & quare.* p. 292. c. 1. & 2.
- Maria pulchritudo interna & externa quanta fuerit.* p. 34. c. 1. & 2.
- Maria pulchritudo in ordine gratiae, oculos & cor divinum efficacissime rapuit.* p. 33. c. 2.
- Maria pulcherrima, latior, ac firmitior omnium civitas fuit.* p. 40. c. 2.
- Maria pulchritudo tanta fuit, vt sola illa inter faminas voluntatem Dei fortiter attraxerit, vt nostram naturam tanquam sponsam assumeret.* p. 69. c. 2. & p. 70. c. 1.
- Maria pupilla oculi Dei, & quare.* p. 9. c. 1.
- Maria, qua fuerunt donata, omnia tanquam regia persona sine aliqua pensione donata fuerunt.* p. 264. c. 1. & 2.
- Maria quanta erit magnitudo, cum in caelo tanquam signum magnum apparuerit.* p. 79. c. 1.
- Maria quanti suam virginitatem estimaverit.* p. 112. c. 1.
- Maria Rachelem gessit in partu filiorum Dei, & quare.* p. 300. c. 1.
- Maria rectè comparatur luna.* p. 186. c. 2.
- Maria salutatio orta fuit ex gratitudine animi, propter infinitam matris Dei dignitatem noviter acceptam.* p. 196. c. 1.
- Maria*

et Præcipuarum rerum

- Maria salutatio ita efficax fuit, ut iuxta verba effectum sortita fuerit.* p. 163. c. 1.
- Maria salutatio tantam vim habuit, quod maternum vterū vsq; ad aures Baptistæ penetraverit, atq; ab originali culpa eū emundauerit.* p. 175. c. 2.
- Maria salutatio erga Elisabeth fuit instrumentum coniunctū diuinitatis, ut gratia Baptistæ causaretur.* p. 188. c. 1.
- Maria Sanctissima acceptissimum Dei sacrarium exstitit, illius desiderium implens.* p. 87. c. 2.
- Maria sanctissima Apostolis præcepit, ut post mortem suam duas tunicas, quas relinquebat, vicinis viduis donarent.* p. 235. c. 1.
- Maria sanctissima dolores, quos non perculit in partu, in morte Christi passa est, cum Christianissimum simul cum Christo peperit.* p. 298. c. 2.
- Maria sanctissima ex vtero materno, tanquam thronus Saphyrinus egressa est, & quare sic vocetur.* p. 48. c. 2.
- Maria sanctissima integrè in corpore & anima Deo seruiuit, idèd in corpore & anima ad caelestia regna assumpta fuit.* p. 267. c. 1. & 2.
- Maria sanctissima maiora & abundantiora gratia beneficia accepit in Incarnatione Verbi, quàm in sua conceptione.* p. 155. c. 2.
- Maria sanctissima multo melius, quàm Martha Christum Dominum hospitio excepit, & quomodo.* p. 234. c. 1. & 2.
- Maria sanctissima non fuit comitata Ioseph ad visitandam Elisabeth, & quare.* p. 165. c. 2. & 1.
- Maria sanctissima nullum sacrificium gratius inter puras creaturas.* p. 86. c. 1.
- Maria sanctissimam omnes caelestes aulici tanquam suam Reginam prosequuntur.* p. 258. c. 1. & 2.
- Maria sanctissima per quindecim annos personam cuiusdam monialis sibi deuota effinxit, ad illius honorem conseruandum.* p. 284. c. 1. & 2.
- Maria sanctissima post acceptam Matris Dei dignitatem, magisterio virtutum magis enituit.* p. 158. c. 2.
- Maria sanctissima potius animam, quàm corpore, nostro Saluatori hospitium prauit, & quomodo.* p. 235. c. 1.
- Maria sanctissima, qua fuit munus oblatum in presentatione, Deū nobis amicum conciliauit.* p. 92. c. 2.
- Maria sanctissima anima, si sola sine corpore ad caelos conscendisset, absque culpa Maria sanctissima supremam Matris Dei dignitatem, ac titulum amitteret, & quare.* p. 265. c. 1. & 2.
- Maria sanctissima singulari Dei priuilegio in sancta sanctorum habitauit, & idem legitur concessum fuisse Iacobo Apostolo.* p. 83. c. 1.
- Maria sanctissima suum filium Patri æterno presentans, eum contra peccatores iratū placauit.* p. 223. c. 1. & 2.
- Maria sanctissima suam mirabili structuram vsque ad portam Angeli peruenit.* p. 77. c. 1.

Index Discursuum

- Maria sanctissima sua Natiuitate salutis nostrae primordia denunciat.* p. 60. c. 1.
- Maria sanctissima tanquam Dei ancilla templum ingressa est.* p. 84. c. 1.
- Maria sanctissima vndecim annis commorata est in templo, cui Angeli famulantes necessaria ministrabant.* p. 83. c. 2.
- Maria secum propriam voluntatem presentauit.* p. 86. c. 2.
- Maria secundum esse gratiae ex Deo suam originem duxit.* p. 66. c. 2.
- Maria simul cum Christo nos genuit, in qua generatione, sponsa potius quam Matris personam gessit.* p. 298. c. 2. & p. 298. c. 1.
- Maria sicut rosa fuit transplantata ex hac vita ad aliam.* p. 246. c. 1.
- Maria sol extitit fulgentissimus, & quare.* p. 48. c. 1. & 2.
- Maria structura à gratia duxit originem.* p. 76. c. 2.
- Maria supra calum Empyreum euecta est, ubi omnia creata sub pedibus continent, & supra se solas Diuinas Personas cognoscit.* p. 253. c. 3.
- Maria altissimo volatu ad caelestia asurgens, omnipotentiam diuinam indicauit.* p. 252. c. 2. & p. 253. c. 1.
- Maria templum Dei est propter suam maximam sanctitatem, & praecleara ciuitas propter suam magnitudinem.* p. 58. c. 1.
- Maria totum solem in se continet, & non fontillam illius, & ideo maxima est aestimationis.* p. 79. c. 2.
- Maria triplicem tractatum in se continuit, vnumquemque in quinque capitula diuisum.* p. 296. c. 1.
- Maria turris altissima.* p. 73. c. 1. & 2.
- Maria vocatur aurora propter Mediatricis officium.* p. 46. c. 1.
- Maria vocanda est exoptata & desiderata cunctis gentibus.* p. 58. & p. 54. c. 1. & 2.
- Maria vocatur gratia plena, & quare.* p. 111. c. 2.
- Maria vocatur gratia plena, quia nihil prater gratiam capit.* p. 122. c. 2.
- Maria Virgo, est clausa porta, & quare sic nuncupetur in sacris litteris.* p. 139. c. 2.
- Maria Virginis excellentia omnes ex hoc vno deriuantur, quia peculiaris Dei habitatio extitit, & quare.* p. 61. c. 2. & p. 62. c. 1.
- Maria concitatus cursus ad visitandum Elisabeth quid indicet.* p. 160. c. 2.
- Maria verus Thronus Salomonis.* p. 12. c. 1. & 2.
- Martha & Maria licet sorores essent, diuerso tamen humore affecta erant, & quomodo.* p. 259. c. 2.
- Martha & Maria peculiari aliquâ mercede ditatae sunt à Christo propter hospitalitatem erga suam personam.* p. 242. c. 2.
- Martha & Maria quanta sint consideranda premia.* p. 243. c. 1.
- Maternitas diuina, dignitas infinita est, & quare.* p. 52. c. 1. & 2. & p. 53. c. 1.

Mater

et Præcipuarum rerum

Maternitatis Dei, & Sponsationis Mariae radix & fundamentum fuit gratia filia primogenita. p. 23. c. 1.

Maternitatem simul cum virginitate Deus copulavit, & quomodo. p. 114. c. 2.

Matthæi ingenium & artificium in aperiendis prærogatiuis Mariae. p. 168. c. 1. & 2. & p. 69. c. 1.

Maxima est longitudo & profunditas misericordiae Mariae, & ad qua se extendat. p. 279. c. 2.

Mens nostra melius explicaretur per res ipsas, si adduci possent, quam per voces. p. 262. c. 1.

Meretrices apud Hebraeos coopertâ facie incedebant. p. 141. c. 1.

Messiam demonstrat ista vox (ipse) in sacris literis. p. 140. c. 1.

Miracula in morte Mariae plurimæ renouata sunt, & quæ sint. p. 255. c. 1. & 2.

Misericordia & sanctitas secundum pharasin sacra scriptura idem sunt. p. 260. c. 1.

Mors Mariae sanctissima dulcissima fuit. p. 244. c. 2.

Mors Mariae vera fuit, & quare. p. 254. c. 2.

Moyse vidit luteum laterem ad pedes Dei constitutum in lapidem Saphyrum conuersum, & quare. p. 21. c. 1.

Mulierem aspexit Ioannes Evangelista amictam sole, & non tantum mulieris corpus, & quare. p. 248. c. 2.

Mulieres suo amore non aliud, quam rem familiarem extorquere inten-

dunt, quæ cessante, etiam spiritua-

lem mortem exoptant. p. 17. c. 1.

Mundani de Ecclesiasticis personis frequenter murmurant. p. 274. c. 1.

Munus à Maria Deo oblatum, Deum contra peccatores iuste commotum placauit. p. 224. c. 1. & 2.

Murmuratores aut persecutores nunquam desuerunt iniustis. p. 273. c. 2.

Murmuratio execranda est, & fugienda. p. 272. c. 2.

Mysteria latentia in illis verbis Vitus altissimi obumbrabit tibi, acurate explicantur. p. 145. c. 2.

& p. 146. c. 1. & 2.

Mysterium triplex in Purificatione aperitur: Nam pura purificatur, Redemptor redimitur, & senex gratulatur. p. 193. c. 1.

N.

Neceesse fuit quod nostra natura sine connaturali subsistentia in Verbo subsisteret, ut vniversa creatura ad supremum honoris fastigium eueherentur. p. 157. c. 1.

Noë ex immundis animalibus bina & bina in arcam introduxit, ex mundis verò in impari numero, & quare. p. 121. c. 1.

Nomen Matris Dei frequentius in Ecclesia vsurpatur, sed in sacra Scriptura crebrius nomen filia primogenita per gratiam, & quare. p. 30. c. 2. & p. 31. c. 1. & 2.

Nulla individua fuerunt in toto vniverso fmiliora, atquè Christus & Maria. p. 62. c. 1. & 2.

Index Discursuum

- Nullus est tam potens in mundo, qui alteri non subiciatur.* p. 132. c. 2.
- Nundina fuerunt celebrata à patre aeterno, & Beatissima Virgine Maria in purificatione.* p. 203. c. 2.
- Numerus septenarius est symbolum Diuinitatis.* p. 126. c. 2.
- Nuptia, vt sint splendida, tria petere solent, qua in nuptijs Maria reperta fuerunt, & quomodo.* p. 257. c. 2. & p. 258. c. 1.
- O.
- Oculi cunctorum quamprimum aperiuntur, statim in Baptistam defiguntur.* p. 263. c. 1.
- Onyx, concha quadam est admodum scuti efformata, ex nardo suauissimum odorem participans.* p. 51. c. 1.
- Opera misericordiae praecipua sacrificia sunt, quibus Deus placatur.* p. 230. c. 2.
- Orationes nostra vt efficaciam habeant, cum Christi operibus coniungi debent.* p. 222. c. 1.
- P.
- Paulus Apostolus vitam suam cursum appellauit.* p. 160. c. 2.
- Pauperes in propria, & non in aliena domo recipiendi sunt.* p. 263. c. 2.
- Pax si desit ciuitati, talis non ciuitas, sed castrum aut castellum nuncupanda est.* p. 75. c. 2.
- Peccator circulo funda rectè comparatur.* p. 7. c. 1.
- Pedes animalium currum Ezechielis trahentium alati erant, & quare.* p. 174. c. 1.
- Per pisces, qui pinnulas & squamas habent, rectè insinuatur in sacris literis sodales Sacratissimi Rosarij, & quare.* p. 282. c. 1. & 2.
- Perfectio sine dilatione & firma voluntate sectanda est.* p. 159. c. 2.
- Perfici non potest via perfectionis solis nostris viribus sine diuinis.* p. 162. c. 1.
- Poëta sinxerunt, olim virginem quandam pulcherrimã extitisse, singularibus donis à Dijs ditatam.* p. 236. c. 1. & 2.
- Piscator sardum piscem capis caprinis pellibus coopertus.* p. 134. c. 1.
- Prædestinati sunt multi ad vitam æternam, mediâ intercessione Beatissima Virginis asequendam.* p. 301. c. 1.
- Processio Rosarij, qua singulis mensibus fit, rectè in arbore vite representatur.* p. 283. c. 2.
- Proditio, & offensa inferiorum contra suos principes, bella, inimicitias & disensiones causant.* p. 91. c. 1.
- Properant cursu veloci anima nostra in perfectione, cū eam degustarint.* p. 162. c. 2.
- Pueritia & infantia omnibus grata est propter innocentiam annexam.* p. 88. c. 2. & p. 89. c. 1.
- Infantia Maria tanquam suavis fumi virgula extitit.* p. 256. c. 2.
- Purificationis tempore Deus ostendit maximam amoris erga hominem.* p. 198. c. 1. & 2.

Q.

Qui

et precipuarum rerum

Qui in propria aestimatione pulvis est, apud Deum thus & myrrha reputatur. p. 21. c. 1.

Quae nam res sit maior & minor simul in toto vniuerso. p. 64. c. 1. & 2.

Quomodo stat, quod is, qui ex aliqua ciuitate oritur, etiam eam adificet. p. 59. c. 1.

R.

Rachel habuit filium Ioseph, quia spre-
tâ mariti conuersatione, inter albes-
centia lilia dormiuit. p. 113. c. 1.

Rachel sola suis brachijs Iosephum dese-
rens placauit Esau. p. 222. c. 2.

Redemptionis nostrae lucrum vtrique
tribuitur, & Christo & Maria, licet
diuersimodè. p. 123. c. 2.

Regnum Dei coalescit ex potentia &
misericordia. p. 279. c. 1.

Regnum misericordia concessit Deus
Maria. p. 279. c. 1.

Remedium pro pauperibus efficax in
purificatione aperitur. p. 203. c. 2.

Religio nauis quadam est tutissimè ad
portam ducens. p. 236. c. 2.

Religiosus non de secularibus negotijs
tractare debet. p. 275. c. 2.

Religiosa vita ad vivum expressa est in
patriarcha Iacob. p. 276. c. 2.

Religiosam vitam rectè indicat factum
filiae Lya. p. 276. c. 1.

Resurrectio Beatissima Virginis peculi-
arissima fuit. p. 255. c. 2.

Religio Catholica de Deo magnifica
pradicat, alia verò secta indigna, &
turpia de Deo proferunt. p. 70. c. 2.
& p. 71. c. 1.

Resurrectio Maria vnde colligatur. p.
255. c. 2.

Rosarium est lapis pectoralis. 238. c. 1.

Rosariū est lapis triumphalis. p. 238.
c. 1.

Rosarij deuotio prognosticum est sali-
cissima mortis, & aeterna beatitudinis.
p. 301. c. 2.

Rosarij deuotio, visio magna est, & qua-
re visio magna appellari debeat. p.
309. c. 1.

Rosarium fuit representatum in scala
Iacob, & quare. p. 281. c. 2.

Rosarium liber quidam est vite nostri
Redemptoris. p. 280. c. 1.

Rosarij mysteria diuina ad vivum repræ-
sentantur in rubo, quem viderat Moy-
ses. p. 308. c. 2.

Rosarij orationibus Deus in varia for-
mas multiplicatur. p. 289. c. 1.

Rosario quasi funiculo constringitur
Deus, vt nostras petitiones acceptes,
& promissa impleat. p. 302. c. 1.

Rosarij quindecim Mysteria, & modus
recitandi Rosarium, rectè exprimi-
tur in ascensu graduum templi Sa-
lomonis, cum sacerdotes canticum
Graduum concinentes, templū Salo-
monis conscendebant. p. 282. c. 2.
& p. 283. c. 1.

Rosarij sacratissimi festiuitas iucun-
dior & latior est ceteris, & quare. p.
308. c. 1.

Rosario sacratissimo nititur ciuitas Dei
tanquam fundamento. p. 278. c. 1.

Rosarij sodales speciali quadam ado-
ptione filij sunt Beatissima Virginis.
p. 310. c. 1. & 2.

Index Discursuum

- Rubus Moyses in rosetum conuersus est.*
p. 309. c. 1.
- Rubus, quem viderat Moyses, varia re-
presentat.* p. 308. c. 2.
- Rosa sine spinis nasceretur, si status
iustitia originalis perseverasset.* p.
309. c. 1.
- Rosetum Rosarij spinis prorsus caret.* p.
309. c. 2.
- S.
- Sacerdotium Christi diuersum fuit ab
alijs, & in quo.* p. 217. c. 2.
- Sacrificia medullata quanam vocen-
tur.* p. 87. c. 1.
- Sacrificium noua & veteris legis quo-
modo differunt.* p. 197. c. 2.
- Sacrificium oblatum Deo in purificatio-
ne, longè excellit sacrificia veteris
legis, & quare.* p. 197. c. 2.
- Sacrificium oblatum in purificatione,
fuit representatio quadam alterius
sacrificij cruenti.* p. 198. c. 1.
- Sancti in veneratione habentur, &
quare.* p. 79. c. 2.
- Sanctus Simeon magnâ lætitiâ spiritua-
li perfusus fuit, cum Christum aspe-
xit.* p. 224. c. 2. & p. 225. c. 1.
- Sancti patres in Martha & Maria vi-
tam actiuam & contemplatiuam
intelligunt.* p. 228. c. 2.
- Sapientia Diuina se diuersis rebus com-
parauit, & quare.* p. 290. c. 2.
- Seraphim stabant supra solium & non
infra, & quare.* p. 154. c. 2.
- Serenissimus Princeps DD. Ioannes
de Austria, medio Rosario à Sanctissi-
mo Pio V. collato, Turcam supera-
uit.* p. 305. c. 1. & 2.
- Seruitia maiora præsinit Christo Ma-
ria, quàm Martha.* p. 242. c. 1.
- Silentium magni aestimandum est apud
virgines.* p. 142. c. 2.
- Simeon accepit Christum in vlnas, &
quare.* p. 204. c. 2.
- Simeon prius mortem aspexit, idè cum
Christo vixit.* p. 201. c. 2.
- Sodales sacratissimi Rosarij quem fra-
ctum percipiant, qui considerationi-
bus diuinis Rosarium recitant.* p.
285. c. 1.
- Sodalitas sacratissimi Rosarij vocatur
cum proprietate vir mundus iuxta
sensû sacra Scriptura.* p. 281. c. 1. & 2.
- Sol & exercitus in Maria coherent, &
quomodo.* p. 3. & 4. c. 1. & 2.
- Sol à Deo destinatus ad lites cõponendas*
p. 3. c. 1. & 2.
- Spem nostram exaltat, quod ex stirpe
Christi simus.* p. 94. c. 1.
- Spirituales persone, dum magis fau-
ribus diuinis abundant, humiliores
esse debent.* p. 195. c. 1.
- Spiritus Sanctus admiratur pulchritu-
dinè Maria, & immensam magnitu-
dinem huius ciuitatis, qua est Maria.*
p. 77. c. 2.
- Sponsa cum ascendit de deserto, delitijs
affluebat, & quare.* p. 257. c. 2.
- Sponsa cum quaesuit sponsum, cum
non inuenit, quia pretiosus indutis
vestibus quaesuit.* p. 209. c. 1.
- Sponsus gratiam & gloriam suam tri-
plici admiratione explicuit spon-
se*

et precipuarum rerum.

se. p. 256. c. 2.
 Sponsa inuitatur ad coronam, non stelis firmamenti elaboratam, sed figuris tygrium, leonum, draconum &c. & quare. p. 252. c. 2.
 Sponsus non laudauit manus sponse, sed gressus, & quare. p. 9. & 10. c. 1. & 2.
 Sponsa quarens sponsum eum non inuenit, quia in suo lectulo quaesuit. p. 160. c. 1.
 Sponsus ter inuitat suam sponsam, ut ventas de Libano, & quare. p. 252. c. 1.
 Superbia & humilitas varios effectus in eadem materia causant. p. 195. c. 2.
 Superbus ex beneficijs diuinis torquem conficit, humilis verò murenulas, & quare. p. 196. c. 1.
 Supra sponsa murenulas aureas, vermes argentei elaborabantur, & quare. p. 195. c. 1. & 2.

T.

Thamar primò petiit annulam, & quare. p. 14. c. 2.
 Templum à Salomone exstructum, in multis aliud à Zorobabel, & socijse-rectum excelluit. p. 213. c. 2.
 Templum Salomonis ex lapidib. perpolitis consecrum fuit, non verò templum Zorobabel. p. 213. c. 2.
 Templum Salomonis habuit arcam federis Domini, non verò templum Zorobabel. p. 214. c. 2.
 Templi Salomonis sacerdotes, ipso o-

leo sancto inungebantur, non verò sacerdotes alterius templi. p. 214. c. 2.

Templum Salomonis totum regnum Israel capere poterat. p. 214. c. 1.
 Tempore purificationis Mariae, templum à Zorobabel & Esdra elaboratum, longè excelluit templum Salomonis, & in quibus. p. 215. c. 2. & p. 216. c. 1. & 2. & p. 217. c. 1.

Titulus seruorum Dei, titulis Regum & Imperatorum praestantior est. p. 85. c. 1.

Tota Trinitas in gentibus diuitijs Mariam ditauit, & quomodo. p. 236. c. 2.

Tria virtutum germina contra antiqua vitia designantur in Evangelio. p. 19. c. 1. & 2.

Tiburibula ex auro purissimo confecta ad septuaginta millia pertinebant in templo Salomonis. p. 213. c. 2.

Furtures Deo placent, & quare. p. 208. c. 1.

V.

Vacca, qua olim varijs conditionibus notata, Deo offerebatur in sacrificiū, figura erat nostri Redemptoris. p. 281. c. 1.

Verbum Dei cum patientia auscultandum est. p. 272. c. 1.

Verbum Dei fideliter auditum in filios Dei transformat. p. 31. c. 2.

Verbum Dei in humilitate audiendum

Index Discursuum

- dum est, vt suam efficaciam habeat.
p. 270. c. 2. & p. 231. c. 1. & 2.
- Verbum diuinum attentè auditum, & humiliter acceptum, contemptum mundi causat. p. 271. c. 2.
- Verbum diuinum est efficax ad suos effectus causandos. p. 272. c. 1.
- Verbum Diuinum fuit scriptum in Maria tanquam in libro. p. 296. c. 1.
- Verbum Diuinum infinitum quoddam volumen est, abbreviatum tamen. p. 290. c. 2. & p. 291. c. 1.
- Verbum Diuinum in ipsa salutatione Angelica carnem assumpsisse, multi SS. patrum asserunt. p. 99. c. 1. & 2.
- Verbum Diuinum liber est non mortuus, sed vitalis, & ex vitali originali transumptus. p. 291. c. 1.
- Verbum Diuinum nostrā naturam assumpsit, vt facilius ad Deum offensus accederemus. p. 94. c. 1.
- Verbum Diuinum vterum Mariae sine illius corruptione penetravit. 114. c. 1.
- Verbi Diuini vnio ad humanitatē, maior est vnione anima ad corpus, & quare. p. 104. c. 2.
- Verba magis significatiua amoris diuini accommodantur Mariae, & quare. p. 23. c. 1.
- Virginitas ad implendum caelestem paradysum instituta est. p. 121. c. 1.
- Virgines habebant quindecim gradus vsq; ad maiorem portam templi Hierusalem. p. 82. c. 2.
- Virginitas hominum pluris aestimanda est, quàm Angelorum, & quare. p. 121. c. 1.
- Virgini nihil conuenientius, si velit virginitatem seruare, quàm consortia hominum vitare. p. 106. c. 2.
- Virgines nisi occultentur, suā virginitatem seruare nequeunt. p. 141. c. 1.
- Virgines nunquam sine matris comitatu exire debent. p. 107. c. 1.
- Virginem per plateas vagari, ac meretricem esse, coincidunt in sacris literis. p. 141. c. 2.
- Virgo Beatissima gloriosius recepta fuit in caelestibus palatijs à tota curia caelesti, quàm Iudith ab habitatoribus Bethulia. p. 237. c. 1. & 2.
- Virgo Beatissima non simul cum suo filio ad caelestia palatia ascendit, & quare. p. 253. c. 2. & p. 254. c. 1. & 2.
- Virgula, & fumus humilem designant. p. 20. c. 2.
- Victoria nostra soli Deo attribuenda sunt, & non proprijs viribus. p. 307. c. 1.
- Vindicta soli Deo relinquenda est. p. 234. c. 1.
- Vita actiua & contemplatiua simul reperiri debent. p. 267. c. 1.
- Vita breuitatem rectè explicat rapidissimus amnis, qui ex summitate montium exoritur. p. 286. c. 1. & 2.
- Vita inculpata Maria nostra vitia reprehendit, sicut Adamas suo fulgore vitreum lapidem. p. 27. c. 2.
- Vita nostra rectè vocatur cursus ad mortem. p. 285. c. 2. & p. 286. c. 1.
- Z.
- Zacharias obmutuit, & quare. p. 177. c. 1.

FINIS.

ERRATA

Typographica sic corrigantur.

Pagina 28. colum. 1. lin. 18. dele non. pag. 111. col. 1. lin. 33. dele sit.
p. 117. c. 1. l. 35. lege patrauerit. p. 206. c. 1. l. 4. lege vile pretium est.
p. 235. c. 1. l. 11. dele miseribus. p. 177. c. 1. l. 17. lege Homero potitus sis. p.
12. l. 9. lege grandem. p. 15. l. 19. c. 2. adde de. p. 37. c. 1. l. 20. lege Pon-
tificum. p. 41. c. 2. l. 11. lege Eph. 1. p. 49. c. 2. l. 10. lege Hebræa. p. 74.
c. 2. l. 31. lege Isaïæ, 26. p. 86. c. 1. l. 6. lege Ezechielis. 28. p. 104. c. 1. l.
13. pro aliud lege aliquod. p. 135. c. 2. l. 19. lege Achan. p. 147. c. 2. l. 34.
pro septuaginta, lege septem. p. 179. c. 1. l. penul. & c. 2. l. 1. pro tello, lege
telo. p. 182. c. 2. l. 1. pro 26. lege 28. p. 192. c. 2. l. 5. pro prov. 10. lege Luc.
21. p. 218. c. 2. l. 2. lege & remissione. p. 238. c. 2. l. 31. pro Bloscos, lege
Volfcos. p. 235. c. 2. l. 16. lege S. Lucia pro S. Laurent. p. 259. c. 1. l. 15. Pro
stans, lege sedens. p. 283. c. 1. l. 6. Pro gloriosis, lege gaudiolis. p. 121. c. 1. l.
18. & 19. vbi dicitur Noëx mundis animalibus vnum tantum introduxif-
se in arcam; intellige per vnum, imparem numerum animalium, id est. munda-
animalia in impari numero intromisit Noë in arcam, vt post diluui-
um Deo in sacrificium offerrentur. Vide Chrysoft, super Gen. 7. cap. &
Ferum ibidem.

Alia omittuntur, quæ per se facilè emendabit Lector.



FRIBVRCI BRISGOIÆ,
Excudebat PAVLVS DÜSEL.



A N N O.

M DC XXIV.






L.



10116
29-





16. OKT. 1968

